St. John's Seminary.
Brighton, Mass.




John. P. Sullivan.
Rockland.
Mass.

Sept 1885

J.A.S.

CŒLESTE

# PALMETUM.




I. J. HALLEZ INV.

NÜSSER SC.

# COELESTE

# PALMETUM

AD UBERTATEM ET SACRAS DELICIAS EXCULTUM,
ORNATUM, MUNITUM,

OPERA

WILHELMI NAKATENI, S. J.

PLURIMIS NOVIS IISQUE LECTISSIMIS

SANCTORUM PATRUM ET VENERABILIS VIRI L. BLOSII
OBSITUM FLORIBUS PIETATIS.

EDITIO SEPTIMA.



H. D.



MECHLINIÆ.
H. DESSAIN,
SUMMI PONTIFICIS, S. CONGREGATIONIS DE PROPAGANDA FIDE
ET ARCHIEP. MECHLIN. TYPOGRAPHUS.
M. D. CCC. LXXIX.

# PRÆFATIO

## HUJUS NOVÆ EDITIONIS.

Hoc fere lectissimæ Belgii nostri juventuti virisque doctis proprium est ac peculiare, ut, quam primum in legendis et volvendis scriptoribus latinis satis videntur versati, ad orandum Deum, piaque christiani hominis exercitia obeunda, librum adhibeant latine conscriptum, atque eum morem omnes prope consueverint usque ad finem vitæ conservare. Hunc autem usum a majoribus acceptum nos summa cura tenendum putamus, et vero etiam, sicubi forte elanguit, pro viribus nostris redintegrandum. Incredibile enim est, quantam ille usus apud fideles conciliet linguæ ecclesiasticæ reverentiam ; quam grata illinc existat, suapte quasi natura, rerum divinarum et sacrorum rituum, quibus sacra catholica peraguntur, cognitio ; quam admirabilis etiam sic contrahatur in Religionis officiis adimplendis facilitas et sancta quædam consuetudo. Dixeris ferme, huic linguæ inesse cœleste quoddam incitamentum, quo, qui ea suis in precibus utuntur, singulari quodam spiritu ad ardentem in Deum amorem et vitæ emendationem mirum in modum impellantur.

Mirum itaque nemini videatur libros precum latine conscriptos multo frequentius apud nos quam apud cæteras gentes typis mandari, eamque typographiæ partem a nostratibus diligentius elegantiusque quam in ulla alia regione, olim excultam fuisse. Quis enim non recordetur, Horstios, Nakatenos, pluresque alios scriptores asceticos tam splendidis ornamentis et ridenti cælamine toties in publicam lucem editos, diu quondam fuisse præcipuum artis nostræ typographicæ decus ? Id nobis considerantibus, præsertim vero quum libri omnes ad divinum cultum et sacram liturgiam pertinentes, in patria nostra hodie tanta ex ornatione apparati prodeant, in mentem venit, librum illum, quem ab ipsis prope studiorum nostrorum incunabulis manu quotidiana contrectavimus,

trivimusque, sane etiam mereri, qui comptu elegantiore et potiore diligentia pro eruditis nostris hominibus, magistratibus, causidicis, medicis, aliisque viris linguam latinam edoctis, in publicum proferatur ; eo magis, quod hisce capti illecebris facillime viderentur inescandi ad avitum morem sancta quadam reverentia retinendum et latius propagandum. De re proposita cum carissimis Seminarii nostri convictoribus, amicisque multis non semel communicavimus, qui omnes idem nobiscum sentiebant, nempe non exiguum inde ad pietatem fructum atque incrementum sperari posse, multoque plures eo libro deinde usuros esse, vel ideo quod denuo elaboratus sese ipse tanta omnis generis perfectione esset commendaturus. Quinimo eam spem nobis faciebant, in ipsa Anglia et Germania, ubi doctissimus quisque inter acatholicos tanto studio et sæpe etiam tam sincera indagatione in Ecclesiæ Romanæ dogmata piasque exercitationes hodiedum inquirit, non paucos hoc opus sibi comparaturos, illicque hausuros, quid Ecclesia credendum, quid faciendum omittendumve re vera proponat ; sicque ideo forte quod in hunc librum inciderunt, auxiliante Dei gratia ad catholicam unitatem patrumque suorum Religionem redituros.

Quod eximiorum virorum et judicium et votum ut intellexeramus , illico manum operi admovimus. Sacras imagines quibus venustissima aliquot exemplaria exornata sunt, Ludovico Hallez, pictori hujusce artis expertissimo et magni Overbeck caro discipulo, commisimus delineandas ; delineatas autem in Dusseldorpii celebri Academia ære cælandas curavimus ; et, ut nihil omnino ad voluminis perfectionem deesset, typographum elegimus P. J. Hanicq, mundissimis, quæ tanto numero produxit , operibus celeberrimum. Atque hæc satis dicta sint de externa operis forma.

Jam vero quid in operis retractatione, quale fuit editum a Nakateno, factum sit, paucis hoc loco etiam indicare juverit. Primum quidem , collatis inter se præstantissimis editionibus, librum in quinque partes accurate distinximus, ut preces apte in suis quæque locis positæ quasi ultro sese offerent, atque ita ingens illa piorum exercitiorum copia non inextricabilis horrensque

videri posset saltus, sed potius simillima esset amœno cuidam et exculto nemori, seu exuberanti palmis omnigenisque arbustis mira arte collocatis viridario. Quod ad hanc idoneam rerum distributionem attinet, multa adhuc in COELESTI PALMETO, hominum in ea re perquam versatorum opinione, desiderabantur ; quam confusionem e pretioso illo libro tolli posse putavimus, collectis in Prima ejus parte omnibus exercitiis, quæ quotidie ; in Secunda, quæ singulis hebdomadibus ; in Tertia, quæ incertis temporibus pro diversa fidelium devotione fieri consuevere ; præsertim si ea quæ spectant ad sanctificandos dies dominicos et festos, colendosque celebriores anni liturgici Sanctos, ad partem Quartam rejicerentur ; in Quinta autem seponerentur omnes de agenda vita vere christiana institutiones, precumve interpretationes, quæ hucusque tam inordinate per totum opus erant dispersæ, quæque adeo, quantæcumque aliunde illæ sint utilitatis, precantium pietati potius erant offendiculo quam adjumento. Saltem hæc libri informatio nobis tam clara, et tam longe remota ab omni inepta perturbatione visa fuit, ut ne transversum quidem digitum ab ea recedendum duxerimus. An sic operis perfectioni optime a nobis consultum fuerit, aliorum esto judicium.

Ductis hoc modo primis lineamentis, jam de recognoscendo et locupletando opere agebatur, atque in illa re non parum operæ positum fuisse apparebit intuenti immensas illas opes et nova adminicula, quæ pia mater Ecclesia quotidie pro variis temporibus ad fovendam augendamque pietatem excogitat, et quæ omnia undique conquisita ad hanc novam editionem accessere.

Quod tandem concinnitatis typographicæ et munditiæ castigatioris amicos attinet, horum etiam studiis ac voluptati nos fecisse satis arbitramur ; in recensendo enim contextu nihil non egimus, ut nova editio omnibus numeris absoluta, quantum id diligentissima mentis accurratione fieri possit, evulgaretur. Tanta autem hic erant procuranda, ut, si nonnulli etiamnum defectus, quod minime dubitamus, vigilantiam nostram et patientiam effugerunt, nemini mirum videri debeat, non eos omnes a nobis expunctos fuisse.

Sic igitur, Deo favente, in lucem exeat hic liber pre-

cum eminentibus ingeniis hominibusque litteratis præcipue dedicatus; eos orandi arte magis atque magis erudiat; orationem ipsis reddat jucundam, et planissime demonstret, quanta sit ejus ad salutem necessitas, quanta vis et efficacia; quam magna demum in ea sit nobis omnibus collocanda fiducia. Hoc enimvero est gravissimum ætatis nostræ malum, ac præ cæteris doctissimorum virorum vulnus, quod nimium intelligentiæ suæ et humanæ industriæ viribus confisi vix aliquid a supremo bonorum omnium auctore et largitore, Deo, sibi efflagitant; atque huic malo si remedium aliquod attulerimus, quippe quum non aliud fuerit in susceptis hisce curis propositum, laborem nostrum utilissime collocatum esse putabimus. Quamobrem brevi huic procemio finem imponimus, etiam atque etiam obsecrantes, ut renovati et velut recocti hujus libelli usu, frequentius ac perseverantius pro se et pro aliis, pro Ecclesia et pro rerumpublicarum prosperitate, a Deo Optimo Maximo bona petere et mala deprecari assuescant; seu potius cum Apostolo obsecramus, *primum omnium fieri obsecrationes*, *orationes*, *postulationes*, *gratiarum actiones pro omnibus hominibus; pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt*, *ut quietam et tranquillam vitam agamus in omni pietate et castitate; hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri*, *et ad agnitionem veritatis venire.* I Tim. II, 1, 2, 3, 4.

Mechliniæ, in Semin. Archiep. Sectione 1a
die festo S. Thom. Aquin. MDCCCXLVI.




# APPROBATIO.

Hanc septimam retractati omnem in modum CŒLESTIS PALMETI editionem lubenter approbamus, ejusque usum quam maxime commendamus.

Mechliniæ, die 4 Junii 1879.

VICTOR AUGUSTUS CARD. DECHAMPS,
ARCH. MECHLIN.

## TABELLA TEMPORARIA

| Anni Domini. | Litteræ Domin. | Aur. num. | Epact. | Septuag. | Dies Cinerum. | Pascha. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1880 | d c | 19 | xviij | 25 Jan. | 11 Feb. | 28 Mar. |
| 1881 | b | 1 | * | 13 Feb. | 2 Mar. | 17 Apr. |
| 1882 | A | 2 | xj | 5 Feb. | 22 Feb. | 9 Apr. |
| 1883 | g | 3 | xxij | 21 Jan. | 7 Feb. | 25 Mar. |
| 1884 | f e | 4 | iij | 10 Feb. | 27 Feb. | 13 Apr. |
| 1885 | d | 5 | xiv | 1 Feb. | 18 Feb. | 5 Apr. |
| 1886 | c | 6 | xxv | 21 Feb. | 10 Mar. | 25 Apr. |
| 1887 | b | 7 | vj | 6 Feb. | 23 Feb. | 10 Apr. |
| 1888 | A g | 8 | xvij | 29 Jan. | 15 Feb. | 1 Apr. |
| 1889 | f | 9 | xxviij | 17 Feb. | 6 Mar. | 21 Apr. |
| 1890 | e | 10 | ix | 2 Feb. | 19 Feb. | 6 Apr. |
| 1891 | d | 11 | xx | 25 Jan. | 11 Feb. | 29 Mar. |
| 1892 | c b | 12 | j | 14 Feb. | 2 Mar. | 17 Apr. |
| 1893 | A | 13 | xij | 29 Jan. | 15 Feb. | 2 Apr. |
| 1894 | g | 14 | xxiij | 21 Jan. | 7 Feb. | 25 Mar. |
| 1895 | f | 15 | iv | 10 Feb. | 27 Feb. | 14 Apr. |
| 1896 | e d | 16 | xv | 2 Feb. | 19 Feb. | 5 Apr. |
| 1897 | c | 17 | xxvj | 14 Feb. | 3 Mar. | 18 Apr. |
| 1898 | b | 18 | vij | 6 Feb. | 23 Feb. | 10 Apr. |
| 1899 | A | 19 | xviij | 29 Jan. | 15 Feb. | 2 Apr. |
| 1900 | g | 1 | xxix | 11 Feb. | 28 Feb. | 15 Apr. |
| 1901 | f | 2 | x | 3 Feb. | 20 Feb. | 7 Apr. |
| 1902 | e | 3 | xxj | 26 Jan. | 12 Feb. | 30 Mar. |
| 1903 | d | 4 | ij | 8 Feb. | 25 Feb. | 12 Apr. |
| 1904 | c b | 5 | xiij | 31 Jan. | 17 Feb. | 3 Apr. |
| 1905 | A | 6 | xxiv | 19 Feb. | 8 Mar. | 23 Apr. |
| 1906 | g | 7 | v | 11 Feb. | 28 Feb. | 15 Apr. |
| 1907 | f | 8 | xvj | 27 Jan. | 13 Feb. | 31 Mar. |
| 1908 | e d | 9 | xxvij | 16 Feb. | 4 Mar. | 19 Apr. |
| 1909 | c | 10 | viij | 7 Feb. | 24 Feb. | 11 Apr. |
| 1910 | b | 11 | xix | 23 Jan. | 9 Feb. | 27 Mar. |
| 1911 | A | 12 | * | 12 Feb. | 1 Mar. | 16 Apr. |
| 1912 | g f | 13 | xj | 4 Jan. | 21 Feb. | 7 Apr. |
| 1913 | e | 14 | xxij | 19 Feb. | 5 Feb. | 23 Mar. |
| 1914 | d | 15 | iij | 8 Feb. | 25 Feb. | 12 Apr. |

## FESTORUM MOBILIUM.

| Anni Domini. | Ascens. | Pentec. | Corpus Christi. | Indictio. | Dom. post Pent. | Prima Dom. Advent. |
|---|---|---|---|---|---|---|
| 1880 | 6 Maii | 16 Maii | 27 Maii | 8 | 27 | 28 Nov. |
| 1881 | 26 Maii | 5 Junii | 16 Junii | 9 | 24 | 27 Nov. |
| 1882 | 18 Maii | 28 Maii | 8 Junii | 10 | 26 | 3 Dec. |
| 1883 | 3 Maii | 13 Maii | 24 Maii | 11 | 28 | 2 Dec. |
| 1884 | 22 Maii | 1 Junii | 12 Junii | 12 | 25 | 30 Nov. |
| 1885 | 14 Maii | 24 Maii | 4 Junii | 13 | 26 | 29 Nov. |
| 1886 | 3 Junii | 13 Junii | 24 Junii | 14 | 23 | 28 Nov. |
| 1887 | 19 Maii | 29 Maii | 9 Junii | 15 | 25 | 27 Nov. |
| 1888 | 10 Maii | 20 Maii | 31 Maii | 1 | 27 | 2 Dec |
| 1889 | 30 Maii | 9 Junii | 20 Junii | 2 | 24 | 1 Dec |
| 1890 | 15 Maii | 25 Maii | 5 Junii | 3 | 26 | 30 Nov. |
| 1891 | 7 Maii | 17 Maii | 28 Maii | 4 | 27 | 29 Nov. |
| 1892 | 26 Maii | 5 Junii | 16 Junii | 5 | 24 | 27 Nov. |
| 1893 | 11 Maii | 21 Maii | 1 Junii | 6 | 27 | 3 Dec. |
| 1894 | 3 Maii | 13 Maii | 24 Maii. | 7 | 28 | 2 Dec. |
| 1895 | 23 Maii | 2 Junii | 13 Junii | 8 | 25 | 1 Dec. |
| 1896 | 14 Maii | 24 Maii | 4 Junii | 9 | 26 | 29 Nov. |
| 1897 | 27 Maii | 6 Junii | 17 Junii | 10 | 24 | 28 Nov. |
| 1898 | 19 Maii | 29 Maii | 9 Junii | 11 | 25 | 27 Nov. |
| 1899 | 11 Maii | 21 Maii | 1 Junii | 12 | 27 | 3 Dec. |
| 1900 | 24 Maii | 3 Junii | 14 Junii | 13 | 25 | 2 Dec. |
| 1901 | 16 Maii | 26 Maii | 6 Junii | 14 | 26 | 1 Dec. |
| 1902 | 8 Maii | 18 Maii | 29 Maii | 15 | 27 | 30 Nov. |
| 1903 | 21 Maii | 31 Maii | 11 Junii | 1 | 25 | 29 Nov. |
| 1904 | 12 Maii | 22 Maii | 2 Junii | 2 | 26 | 27 Nov. |
| 1905 | 1 Junii | 11 Junii | 22 Junii | 3 | 24 | 3 Dec. |
| 1906 | 24 Maii | 3 Junii | 15 Junii | 4 | 25 | 2 Dee. |
| 1907 | 9 Maii | 19 Maii | 30 Maii | 5 | 27 | 1 Dec. |
| 1908 | 28 Maii | 7 Junii | 18 Junii | 6 | 24 | 29 Nov. |
| 1909 | 20 Maii | 30 Maii | 10 Junii | 7 | 25 | 28 Nov. |
| 1910 | 5 Maii | 15 Maii | 26 Maii | 8 | 27 | 27 Nov. |
| 1911 | 25 Maii | 4 Junii | 15 Junii | 9 | 25 | 3 Dec. |
| 1912 | 16 Maii | 26 Maii | 6 Junii | 10 | 26 | 1 Dec |
| 1913 | 1 Maii | 11 Maii | 22 Maii | 11 | 28 | 30 Nov. |
| 1914 | 21 Maii | 31 Maii | 11 Junii | 12 | 25 | 29 Nov. |

## JANUARIUS.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| * | A | Kal. | 1 | CIRCUMCISIO DOMINI. |
| xxix | b | iv | 2 | *Adelardi, abb. Corb.* |
| xxviij | c | iij | 3 | *Genovefæ, virg.* |
| xxvij | d | Pr d. | 4 | *Titi, episc. Pharaïldis, virg.* |
| xxvj | e | Non | 5 | Telesphori, papæ et mart. |
| 25. xxv | g | viij | 6 | EPIPHANIA DOMINI. |
| xxiv | f | vij | 7 | *Luciani, presb. et mart.* |
| xxiij | A | vj | 8 | *Gudulæ, virg.* |
| xxij | b | v | 9 | *Petri Sebast. episc.* |
| xxj | c | iv | 10 | *Agathonis, papæ.* |
| xx | d | iij | 11 | Hygini, papæ et mart. |
| xix | e | Prid | 12 | *Arcadii, mart.* |
| xviij | f | Idib. | 13 | *Godefridi, conf.* * Dom. II. post Epiph. FESTUM SS. NOMINIS JESU. |
| xvij | g | xix | 14 | Hilarii, ep. Felicis, presb. et m. |
| xvj | A | xviij | 15 | Pauli, primi erem. Mauri, abb. *Ableberti, ep.* |
| | b | xvij | 16 | Marcelli, papæ et mart. |
| xv | c | xvj | 17 | Antonii, Abbatis. |
| xiv | d | xv | 18 | Cathedra S. Petri Romæ. Priscæ, virg. et mart. |
| xiij | | | | |
| xij | e | xiv | 19 | Canuti, reg. et mart. |
| xj | f | xiij | 20 | Fabiani et Sebastiani, mart. |
| x | g | xij | 21 | Agnetis, virg. et mart. |
| ix | A | xj | 22 | Vincentii et Anastasii, mart. |
| viij | b | x | 23 | Raymundi de Penn. c. Emerentianæ v. m. *Despons. B. M. V.* |
| vij | c | ix | 24 | Timothei, episc. et mart. |
| vj | d | viij | 25 | Conversio S. Pauli. |
| v | e | vij | 26 | Polycarpi, episc. et mart. |
| iv | f | vj | 27 | Joannis Chrysostomi, ep. et doct. |
| iij | g | v | 28 | Agnetis secundo. *Caroli magni, conf.* |
| ij | A | iv | 29 | Francisci Salesii, conf. |
| j | b | iij | 30 | Martinæ, virg. *Aldegundis, virg.* |
| * | c | Prid. | 31 | Petri Nolasci, conf. |

*Sancti quorum nomen italicis litteris exprimitur. officium in universali Ecclesia non habent.*

## FEBRUARIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | d | Kal. | 1 | Ignatii, episc. et mart. |
| xxviij | e | iv | 2 | PURIFICATIO B. M. V. |
| xxvij | f | iij | 3 | Blasii, ep et mart. *Berlendis, virg* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| 25. xxvj | g | Prid. | 4 | Andreæ Corsini, episc. et Conf. |
| xxv. xxiv | A | Non | 5 | Agathæ, virg. et mart. |
| xxiij | b | viij | 6 | Dorotheæ, virg. et mart. *Amandi, episc. Vedasti, ep.* |
| xxij | c | vij | 7 | Romualdi, abbatis. |
| xxj | d | vj | 8 | Joannis de Matha, conf. |
| xx | e | v | 9 | Apolloniæ, virg. et mart. |
| xix | f | v | 10 | Scholasticæ, virg. |
| xviij | g | iij | 11 | *Severini, abb.* |
| xvij | A | Prid. | 12 | *Meletii, episc. Eulaliæ, V. et M.* |
| xvj | b | Idib | 13 | *Juliani, mart. Catharinæ de Ricciis, v.* |
| xv | c | xvj | 14 | Valentini, presb. et mart. |
| xiv | d | xv | 15 | Faustini ef Jovitæ, mart. |
| xiij | e | xiv | 16 | *Onesimi, episc. et mart.* |
| xij | f | xiij | 17 | *Silvini, episc.* |
| xj | g | xij | 18 | Simeonis, episc. et mart. |
| x | A | xj | 19 | *Bonifacii, episc.* |
| ix | b | x | 20 | *Eleutherii, episc.* |
| viij | c | ix | 21 | *Pipini, princ. Landensis.* |
| vij | d | viij | 22 | Cathedra S. Petri Antiochiæ. |
| vj | e | vij | 23 | Petri Damiani, episc. e doct. |
| v | f | vj | 24 | Mathiæ, Apost. |
| iv | g | v | 25 | *Walburgis, virg.* |
| iij | A | iv | 26 | *Nestoris, ep. et mart.* |
| ij | b | iij | 27 | *Leandri, episc.* |
| j | c | Prid. | 28 | *Romanii, abb.* |

*In anno bissextili Februarius est dierum 29, et Festum S. Matthiæ celebratur 25 Februarii, et bis dicitur* Sexto Kalendas, *id est die 24 et die 25; et Littera Dominicalis, quæ assumpta fuit in mense Januario, mutabitur in præcedentem : ut, si in Januario Littera Dominicalis fuerit* A, *mutatur in præcedentem, quæ est* g. *etc. et Littera* f *bis servit 24 et 25.*

## MARTIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| * | d | Kal. | 1 | *Suitberti, episc. David. episc.* |
| xxix | e | vj | 2 | *Ceaddæ, episc. in Angl.* |
| xxviij | f | v | 3 | *Cunegundis, imperatricis.* |
| xxvij | g | iv | 4 | Casimiri, conf. Lucii, papæ et mart. |
| xxvj | A | iij | 5 | *Theophili, episc.* |
| 25. xxv | b | Prid. | 6 | *Coletæ, virg.* |
| xxiv | c | Non. | 7 | Thomæ de Aquino, doct. Perpetuæ et Felicitatis, mart. |
| xxiij | d | viij | 8 | Joannis de Deo, conf. |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| xxij | e | vij | 9 | Franciscæ, viduæ Rom. *Catharinæ Bonon, virg.* |
| xxj | f | vj | 10 | Quadraginta martyrum. |
| xx | g | v | 11 | *Vindiciani, ep.* |
| xix | A | iv | 12 | Gregorii, papæ et doct. * Feria VI. post Dominicam Passionis, FESTUM SEPTEM DOLOR. B. M. V. |
| xviij | b | iij | 13 | *Euphrasiæ, virg. Nicephori, ep.* |
| xvij | c | Prid. | 14 | *Mathildis, reginæ.* |
| xvj | d | Idib. | 15 | *Longini, militis.* |
| xv | e | xvij | 16 | *Heriberti, episc.* |
| xiv | f | xvj | 17 | Patritii, episc. in Hib. *Gertrudis, virg.* |
| xiij | g | xv | 18 | *Gabrielis archang. Landoaldi, ep.* |
| xij | A | xiv | 19 | Joseph, Sponsi B. M. V. conf. |
| xj | b | xiij | 20 | *Cuthberti, episc.* |
| x | c | xij | 21 | Benedicti, abb. |
| ix | d | xj | 22 | *Catharinæ Sueciæ, virg.* |
| viij | e | x | 23 | *Victoriani, et soc. mart.* |
| vij | f | ix | 24 | *Simonis pueri, mart.* |
| vj | g | viij | 25 | ANNUNTIATIO B. M. V. |
| v | A | vij | 26 | *Ludgeri, episc.* |
| iv | b | vj | 27 | *Ruperti, episc.* |
| iij | c | v | 28 | *Gunthramni, regis Francorum.* |
| ij | d | iv | 29 | *Eustasii, abbatis.* |
| j | e | iij | 30 | *Quirini, mart. Veroni, conf.* |
| * | f | Prid. | 31 | *Corneliæ, virg. et mart. Balbinæ, V.* |

## APRILIS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxix | g | Kal. | 1 | *Hugonis, episc.* |
| xxviij | A | iv | 2 | Francisci de Paula, conf. |
| xxvij | b | iij | 3 | *Richardi, episc.* |
| 25. xxvj | c | Prid. | 4 | Isidori, episc. |
| xxv.xxiv. | d | Non. | 5 | Vincentii Ferrerii, conf. *Julianæ, virg. Cornel.* |
| xxiij | e | viij | 6 | *Xysti I. pap. et mart.* |
| xxij | f | vij | 7 | *Hermanni Joseph, conf.* |
| xxj | g | vj | 8 | *Perpetui, episc.* |
| xx | A | v | 9 | *Waldetrudis, vid.* |
| xix | b | iv | 10 | *Macharii, episc.* |
| xviij | c | iij | 11 | Leonis, papæ et doct. * Dom. III. post Pascha. FESTUM PATROCINII S. JOSEPH. |
| xvij | d | Prid. | 12 | *Julii, papæ.* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| xvj | e | Idib | 13 | Hermenegildi, mart. |
| xv | f | xviij | 14 | Tiburtii, Valeriani et Maximi, mart. |
| xiv | g | xvij | 15 | *Basilissæ et Anastasiæ, mart.* |
| xiij | A | xvj | 16 | *Fructuosi, episc. Drogonis, conf.* |
| xij | b | xv | 17 | Aniceti, papæ et mart. |
| xj | c | xiv | 18 | *Apollonii, sen. romani, mart.* |
| x | d | xiij | 19 | *Ursmari, episc.* |
| ix | e | xij | 20 | *Agnetis de monte Politiano, virg.* |
| viij | f | xj | 21 | Anselmi, episc. et doct. |
| vij | g | x | 22 | Soteris et Caji, pont. et mart. |
| vj | A | ix | 23 | Georgii, mart. |
| v | b | viij | 24 | Fidelis a Sigmaringa, mart. |
| iv | c | vij | 25 | Marci, evang. |
| iij | d | vj | 26 | Cleti et Marcellini, pont. et mart. |
| ij | e | v | 27 | *Anastasii, papæ. Zitæ, virg.* |
| j | f | iv | 28 | Vitalis, mart. |
| * | g | iij | 29 | Petri, mart. |
| xxix | A | Prid. | 30 | Catharinæ Senensis, virg. |

## MAJUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxviij | b | Kal. | 1 | Philippi et Jacobii, apost. |
| xxvij | c | vj | 2 | Athanasii, episc. et conf. |
| xxvj | d | v | 3 | Inventio S. Crucis. Alexandri, pap. et mart. et soc., ac Juvenalis, ep. |
| 25. xxv | e | iv | 4 | Monicæ, viduæ. |
| xxiv | f | iij | 5 | Pii V. papæ. |
| xxiij | g | Prid. | 6 | Joannis ante portam Latinam. |
| xxij | A | Non. | 7 | Stanislai, episc. et mart. |
| xxj | b | viij | 8 | Apparitio S. Michaelis, archang. |
| xx | c | vij | 9 | Gregorii Nazianzeni, ep. et doct. |
| xix | d | vj | 10 | Antonini, episc. Gordiani et Epimachi, mart. |
| xviij | e | v | 11 | *Francisci de Hieronymo, conf.* |
| xvij | f | iv | 12 | Nerei, Achillei, Domitillæ, virg. atque Pancratii, mart. |
| xvj | g | iij | 13 | *Servatii, episc.* |
| xv | A | Prid. | 14 | Bonifacii, mart. |
| xiv | b | Idib. | 15 | *Dymphnæ, virg. et mart.* |
| xiij | c | xvij | 16 | Ubaldi, ep. *Joannis Nep. presb. et m* |
| xij | d | xvj | 17 | Paschalis Baylon, conf. |
| xj | e | xv | 18 | Venantii, mart. |
| x | f | xiv | 19 | Petri Cœl. pap. Pudentianæ, virg. |
| ix | g | xiij | 20 | Bernardini Senensis, conf. |
| viij | A | xij | 21 | *Valentis, episc. et mart.* |

| Cyclus Eacpt. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| vij | b | xj | 22 | *Æmilii, mart. Juliæ, v. et m.* |
| vj | c | | 23 | *Guiberti, conf.* |
| v | d | ix | 24 | *Fest, B. M. V. tit. Auxil. Christian.* |
| iv | e | viij | 25 | Gregorii VII, papæ et conf. Urbani, papæ et mart. |
| iij | f | vij | 26 | Philippi Nerii, conf. Eleuthérii, papæ et mart. |
| ij | g | vj | 27 | Mariæ Magdalenæ de Pazzis, virg. Joannis, papæ et mart. |
| j | A | v | 28 | *Germani, episc.* |
| * | b | iv | 29 | *Maximini, episc.* |
| xxix | c | iij | 20 | Felicis, papæ et mart. *Ferdinandi, regis et conf.* |
| xxviij | d | Prid. | 31 | Petronillæ, virg. |
| | | | | Fer. V. post Oct. SS. Corp. Christi. FEST. SS. CORDIS JESU. |

## JUNIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxvij | e | Kal. | 1 | *Gerlaci, conf.* |
| 25. xxvj | f | iv | 2 | Marcellini, Petri atque Erasmi, mart. |
| xxv. xxiv | g | iij | 3 | *Clothildis, reginæ.* |
| xxiij | A | Prid. | 4 | Francisci Caracciolo, conf. |
| xxij | b | Non. | 5 | *Bonifacii, episc. in Germ.* |
| xxj | c | viij | 6 | Norberti, episc. |
| xx | d | vij | 7 | *Roberti, abbatis in Anglia.* |
| xix | e | vj | 8 | *Medardi, episc.* |
| xviij | f | v | 9 | Primi et Feliciani, mart. |
| xvij | g | iv | 10 | Margaritæ, reginæ Scotiæ. |
| xvj | A | iij | 11 | Barnabæ, apost. |
| xv | b | Prid. | 12 | Joannis a S. Facundo, conf. |
| xiv | c | Idib. | 13 | Antonii de Padua, conf. |
| xiij | d | xviij | 14 | Basilii Magni, episc. et doct. |
| xij | e | xvij | 15 | Viti, Modesti atque Crescentiæ, mart. |
| xj | f | xvj | 16 | *Lutgardis, virg. Joannis Franc. Regis, conf.* |
| x | g | xv | 17 | *Adulphi, episc.* |
| ix | A | xiv | 18 | Marci et Marcelliani, mart. |
| viij | b | xiij | 19 | Julianæ de Falconeriis, virg. Gervasii et Protasii, mart. |
| vij | c | xij | 20 | Silverii, papæ et mart. |
| vj | d | xj | 21 | Aloysii Conzagæ, conf. |
| v | e | x | 22 | Paulini, episc. et conf. *Albani, mart.* |
| v | f | ix | 23 | *Ediltrudis, reginæ in Anglia. Mariæ Oigniacensis.* |
| iij | g | viij | 24 | Nativitas S. Joannis Baptistæ. |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. |
|---|---|---|---|
| ij | A | vij | 25 Gulielmi, abb. |
| j | b | vj | 26 Joannis et Pauli, mart. |
| * | c | v | 27 *Ladislai, regis. Walheri, mart.* |
| xxix | d | iv | 28 Leonis, papæ et conf. |
| xxviij | e | iij | 29 PETRI ET PAULI, APOST. |
| xxvij | f | Prid. | 30 Comm.S. Paulia. post. *Adiliæ, virg.* |

## JULIUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | | | | * Dom. I. PRETIOSISSIMI SANGUINIS D. N. J. C. |
| xxvj | g | Kal. | 1 | *Rumoldi, episc. et mart.* |
| 25. xxv. | A | vj | 2 | Visit. B. M. V. Processi etc. mart. |
| xxiv | b | v | 3 | *Hyacinthi, mart.* |
| xxiij | c | iv | 4 | *Odonis, episc. in Anglia.* |
| xxij | d | iij | 5 | *Zoæ, mart.* |
| xxj | e | Prid. | 6 | *Godelievæ, mart.* |
| xx | f | Non. | 7 | *Willebaldi, episc.* |
| xix | g | viij | 8 | Elisabeth reg. Port. *Landradæ, v.* |
| xviij | A | vij | 9 | *Martyrum Gorcom.* |
| xvij | b | vj | 10 | Fratrum, et SS. Rufinæ ac Secundæ, mart. *Amelbergæ, virg.* |
| xvi | c | v | 11 | Pii, papæ et mart. |
| xv | d | iv | 12 | Joannis Gualberti, abb. Naboris et Felicis, mart. |
| xiv | e | iij | 13 | Anacleti, papæ et mart. |
| xiij | f | Prid. | 14 | Bonaventuræ, ep et d. *Ragenuflæ, v.* |
| xij | g | Idib. | 15 | Henrici, imp. conf. *Divisio 12 Apost.* |
| xj | A | xvij | 16 | B. V. Mariæ de monte Carmelo. *Raineldis, v. et m.* |
| x | b | xvj | 17 | Alexii, conf. Fredegandi, abb. |
| ix | c | xv | 18 | Camilli de Lell. conf. Symphorosæ cum 7 filiis mart. |
| viij | d | xiv | 19 | Vincentii a Paulo, conf. |
| vij | e | xiij | 20 | Hieronymi Æmiliani, conf. Margaritæ, virg. et mart. |
| vj | f | xij | 21 | Praxedis, virg. |
| v | g | xj | 22 | Mariæ Magdalenæ. *Wandregisili, a.* |
| iv | A | x | 23 | Apollinaris, ep. et m. Liborii. e. et c. |
| iij | b | ix | 24 | Christinæ, virg. et mart |
| ij | c | viij | 25 | Jacobi, apost. Christophori, mart. |
| j | d | vij | 26 | Annæ, matris B. M. V. |
| * | e | vj | 27 | Pantaleonis, mart. |
| xxix | f | v | 28 | Nazarii, Celsi et Victoris, mart. ac Innocentii, papæ et conf. |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| xxviij | g | iv | 29 | Marthæ, virg. Felicis, Simplicii etc. mart. |
| xxvij | A | iij | 30 | Abdon et Sennen, mart. |
| 25. xxvj | b | Prid. | 31 | Ignatii de Loyola, conf. |

## AUGUSTUS.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxv xxiv | c | Kal. | 1 | Petri ad vincula. Machabæorum, mart. |
| xxiij | d | iv | 2 | Alph. Mariæ de Liguori, episc. Stephani, papæ et mart. |
| xxij | e | iij | 3 | Inventio S. Steph., protom. |
| xxj | f | Prid. | 4 | Dominici, conf. |
| xx | g | Non. | 5 | Dedic. S. Mariæ ad Nives. |
| xix | A | viij | 6 | Transfiguratio Domini. Xysti etc. mart. |
| xviij | b | vij | 7 | Cajetani Thienæi, conf. Donati, episc. et mart. |
| xvij | c | vj | 8 | Cyriaci, Largi et Smaragdi, mart. |
| xvj | d | v | 9 | Romani, mart. |
| xv | e | iv | 10 | Laurenti mart. |
| xiv | f | iij | 11 | Tiburtii et Susannæ, mart. *Gaugerici, ep.* |
| xiij | g | Prid. | 12 | Claræ, virg. |
| xij | A | Idib. | 13 | Hippolyti et Cassiani, mart. |
| xj | b | xix | 14 | Eusebii, conf. |
| x | c | xviij | 15 | ASSUMPTIO B. M. V. * Dom. infra Oct. Ass. Festum S. Joachim, conf. |
| ix | d | xvij | 16 | Hyacinthi, conf. *Rochi, conf. Arnoldi, ep. et conf.* |
| viij | e | xvj | 17 | *Liberati, abb. Jeronis, presb. et m.* |
| vij | f | xv | 18 | Agapiti, mart. *Helenæ, imp.* |
| vj | g | xiv | 19 | *Julii, senat. et mart. Mariani c.* |
| v | A | xiij | 20 | Bernardi, conf. et doct. |
| iv | b | xij | 21 | Joannæ Franc. a Chantal, vid. |
| iij | c | xj | 22 | Timothei, Hippolyti et Symphoriani, mart. |
| ij | d | x | 23 | Philippi Ben., conf. |
| j | e | ix | 24 | Bartholomæi, apost. Romæ 25. |
| * | f | viij | 25 | Ludovici, reg. Franciæ c. Romæ 26. |
| xxix | g | vij | 26 | Zephyrini, papæ et mart. |
| xxviij | A | vj | 27 | Joseph Calasanctii, conf. |
| xxvij | b | v | 28 | Augustini, episc. Hermetis, mart. |
| xxvj | c | iv | 29 | Decollatio S. Joannis Baptistæ. Sabinæ, mart. |
| xxv | d | iij | 30 | Rosæ, virg. Limanæ. |
| xxiv | e | Prid. | 31 | Raymundi Nonnati, conf. |

## SEPTEMBER.

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| xxiij | f | Kal. | 1 | Ægidii, abb. |
| xxij | g | iv | 2 | Stephani, regis conf. |
| xxj | A | iij | 3 | *Remacli, episc.* |
| xx | b | Prid. | 4 | *Rosaliæ, virg.* |
| xix | c | Non. | 5 | Laurentii Justiniani, episc. |
| xviij | d | viij | 6 | *Zachariæ, proph. Onesiphori, m.* |
| xvij | e | vij | 7 | *Madelbertæ, virg. Hilduardi, ep.* |
| xvj | f | vj | 8 | NATIVITAS B. M. V. Adriani, m. * Dom infra Oct. Fest. SS. Nominis B. M. V. |
| xv | g | v | 9 | Gorginii, mart. *Audomari, mart.* |
| xiv | A | iv | 10 | Nicolai de Tolentino, conf. *Theodardi, episc. et mart.* |
| xiij | b | iij | 11 | Proti et Hyacinthi, mart. *Vincianæ, virg.* |
| xij | c | Prid. | 12 | *Guidonis, conf.* |
| xj | d | Idib. | 13 | *Amati, episc.* |
| x | e | xviij | 14 | Exaltatio S. Crucis. |
| ix | f | xvij | 15 | Nicomedis, mart. * Dom. III. commemorat. Septem Dolor. B. M. V. |
| viij | g | xvj | 16 | Cornelii et Cypriani, pont. et mart. Euphemiæ, Luciæ et Geminiani, mart. |
| vij | A | xv | 17 | Impressio Stigm. S. Francisci. *Lamberti, episc. et mart.* |
| vj | b | xiv | 18 | Josephi a Cupertino, conf. |
| v | c | xiij | 19 | Januarii, episc. et soc., mart. |
| iv | d | xij | 20 | Eustachii et soc. mart. |
| iij | e | xj | 21 | Matthæi, apost. et evang. |
| ij | f | x | 22 | Thomæ a Villanova, ep. *Materni, ep.* |
| j | g | ix | 23 | Lini, papæ et mart. Theclæ, v. et m. |
| * | A | viij | 24 | B. M. V. de Mercede. *Gerardi, episc. et mart.* |
| xxix | b | vij | 25 | *Firmini, ep. et mart. Gerulphi, m.* |
| xxviij | c | vj | 26 | Cypriani et Justinæ, mart. |
| xxvij | d | v | 27 | Cosmæ et Damiani, mart. |
| 25. xxv. | e | iv | 28 | Wenceslai, ducis et mart. |
| xxv.xxiv. | f | iij | 29 | Dedicatio S. Michaelis, arch. |
| xxvij | g | Prid. | 30 | Hieronymi, presb. et doct. |

## OCTOBER

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| | | | | * Dominica I., Festum SS. Rosarii B. M. V. |
| xxij | A | Kal. | 1 | Remigii, episc. et conf. *Bavonis, conf. Piati, mart.* |
| xxj | b | vj | 2 | Angelorum Custodum. *Leodegarii, ep. et mart.* |
| xx | c | v | 3 | Gerardi, abb. *Duorum Ewaldorum, mart.* |
| xix | d | iv | 4 | Francisci, conf. |
| xviij | e | iij | 5 | Placidi et sociorum, mart. |
| xvij | f | Prid. | 6 | Brunonis, conf. |
| xvj | g | Non. | 7 | Marci, papæ. Sergii et soc., m. |
| xv | A | viij | 8 | Birgittæ, viduæ. |
| xiv | b | vij | 9 | Dionysii, Rustici et Eleutherii, mart. *Ghisleni, episc.* |
| xiij | c | vj | 10 | Francisci Borgiæ, conf. |
| xij | d | v | 11 | *Gummari, conf.* |
| xj | e | iv | 12 | *Walfridi, episc. in Anglia.* |
| x | f | iij | 13 | Eduardi Regis, conf. |
| ix | g | Prid. | 14 | Callisti, papæ et m. *Donatiani, episc.* |
| viij | A | Idib. | 15 | Teresiæ virg. |
| vij | b | xvij | 16 | *Florentini, episc.* |
| vj | c | xvj | 17 | Hedwigis, viduæ. |
| v | d | xv | 18 | Lucæ, evang. |
| iv | e | xiv | 19 | Petri de Alcantara, conf. |
| iij | f | xiij | 20 | Joannis Cantii, conf. |
| ij | g | xij | 21 | Hilarionis, abb. Ursulæ et sociarum, virg. et mart. |
| j | A | xj | 22 | *Cordulæ, virg. et mart.* |
| * | b | x | 23 | *Joannis a Capistrano, mart.* |
| xxix | c | ix | 24 | *Raphaelis, archang.* |
| xxviij | d | viij | 25 | Chrysanthi et Dariæ, mart. |
| xxvij | e | vij | 26 | Evaristi, papæ et mart. |
| xxvj | f | vj | 27 | *Florentini, mart.* |
| xxv | g | v | 28 | Simonis et Judæ, apost. |
| 25. xxiv | A | iv | 29 | *Ermelindis, virg.* |
| xxiij | b | iij | 30 | *Serapionis, ep. Alphonsi, Rodr. conf.* |
| xxij | c | Prid. | 31 | *Wolfgangi, episc. Quintini, mart.* |

## NOVEMBER.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xxj | d | Kal. | 1 | FESTUM OMNIUM SANCTORUM. |
| xx | e | iv | 2 | Com. omnium Fidelium Defunct. |
| xix | f | iij | 3 | *Huberti, episc. Odradæ, virg.* |

| Cyclus Epact. | Litt. Dom. | | Dies mens. | |
|---|---|---|---|---|
| xviij | g | Prid. | 4 | Caroli Borromæi, episc. et conf. |
| xvij | A | Non. | 5 | *Zachariæ et Elisabeth, parentum S. Joannis Baptistæ.* |
| xvj | b | viij | 6 | *Leonardi, conf.* |
| xv | c | vij | 7 | *Willibrordi, ep. Engelberti, ep. et mart.* |
| xiv | d | vj | 8 | SS. Quatuor Coronatorum, mart. |
| xiij | e | v | 9 | Dedicat. Basilicæ Salvat. Theodori, mart. |
| xij | f | iv | 10 | Andreæ Avellini, conf. Tryphonis et soc., mart. |
| xj | g | iij | 11 | Martini, episc. et conf. Mennæ, mart. |
| x | A | Prid. | 12 | Martini, papæ et mart. *Livini, ep. et mart.* |
| ix | b | Idib | 13 | Didaci, conf. *Stanislai Kostka, conf.* |
| viij | c | xviij | 14 | *Albrici, episc.* |
| vij | d | xvij | 15 | Gertrudis, virg. *Leopoldi, marchionis Austriæ, conf.* |
| vj | e | xvj | 16 | *Edmundi, episc. in Anglia.* |
| v | f | xv | 17 | Gregorii Thaumaturgi, episc. et conf. |
| iv | g | xiv | 18 | Dedicatio Basilic. Petri et Pauli. |
| iij | A | xiij | 19 | Elisabeth, viduæ. Pontiani, papæ et mart. |
| ij | b | xij | 20 | Felicis de Valois, conf. |
| j | c | xj | 21 | Præsentatio B. M. V. |
| * | d | x | 22 | Cæciliæ, virg. et mart. |
| xxix | e | ix | 23 | Clementis, papæ et mart. Felicitatis, mart. *Trudonis, conf.* |
| xxviij | f | viij | 24 | Joannis a Cruce, conf. Chrysogoni, mart. |
| xxvij | g | vij | 25 | Catharinæ, virg. et mart. |
| 25. xxvj | A | vj | 26 | Petri Alexandrini, episc. et m. |
| xxv. xxiv | b | v | 27 | *Acharii, episc.* |
| xxiij | c | iv | 28 | *Sosthenis, mart. Jacobi Piceni, conf.* |
| xxij | d | iij | 29 | Saturnini, mart. *Radbodi, episc.* |
| xxj | e | Prid. | 30 | Andreæ, apost. |

## DECEMBER.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| xx | f | Kal. | 1 | *Eligii, episc.* |
| xix | g | iv | 2 | Bibianæ, virg. et mart. |
| xviij | A | iij | 3 | Francisci Xaverii, conf. |
| xvij | b | Prid. | 4 | Petri Chrysologi, episc. et doct. Barbar. virg. et mart. |
| xvj | c | Non | 5 | Sabbæ, abbatis. |
| xv | d | viij | 6 | Nicolai, episc. |

# COELESTE

# PALMETUM.

## PARS PRIMA.

### EXERCITIA PIETATIS ORDINARIA.

## I

## PRECES MATUTINÆ.

*Ut primum evigilas, muni te signo sanctæ Crucis, et mox dic:*

Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

Gloria Patri, qui creavit nos.

Gloria Filio, qui redemit nos.

Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos.

*Inter surgendum dic:*

In nomine Domini nostri Jesu Christi surgo: ipse me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducat æternam. Amen.

Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

*Toto autem eo tempore quod induendis tibi vestibus et lavandis facie ac manibus impendis, precare, recitando Ps.* Miserere, De profundis, *vel Mysterium aliquod* Vitæ *aut* Passionis Domini nostri Jesu Christi *considerando.*

*Cum vestibus fueris indutus, attente et devote recita, flexis genibus, sequentes preces:*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

*(Ind.)* Veni, Creator Spiritus,
Mentes tuorum visita,
Imple superna gratia
Quæ tu creasti pectora,
Qui diceris Paraclitus,
Altissimi donum Dei,

Fons vivus, ignis, charitas,
Et spiritalis unctio.
Tu septiformis munere,
Digitus paternæ dexteræ,
Tu rite promissum Patris,
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorem cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemque dones protinus:
Ductore sic te prævio
Vitemus omne noxium.
Per te sciamus da Patrem,
Noscamus atque Filium,
Teque utriusque Spiritum
Credamus omni tempore.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sæculorum sæcula. Am.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando prosequere: ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

GRATIARUM ACTIO.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas, confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam. Amen.

Gratias tibi agimus, sanctissima Trinitas, pro custodia in hac nocte, et incolumitate misericorditer nobis præstita, et pro cæteris collatis beneficiis: da, quæsumus, ut semper in digna gratiarum actione vivamus. Amen.

*Hic lente et maxima cum attentione recitentur Pater, Ave, Credo, Præcepta Decalogi et Ecclesiæ, item actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, et Relationis operum in Deum. Convenit, ut has preces identidem hic recitemus lingua vernacula, qua eas infantes didicimus.*

ORATIO DOMINICA.

Pater noster, qui es in cœlis: sanctificetur nomen tuum: adveniat regnum tuum: fiat voluntas tua, sicut in cœlo, et in terra. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie: et dimitte nobis debita nostra, sicut et nos

dimittimus debitoribus nostris. Et ne nos inducas in tentationem: sed libera nos a malo. Amen.

SALUTATIO ANGELICA.

Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc et in hora mortis nostræ. Amen.

SYMBOLUM APOSTOLORUM.

Credo in Deum, Patrem omnipotentem, Creatorem cœli et terræ. Et in Jesum Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum: qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus: descendit ad inferos: tertia die resurrexit a mortuis: ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est judicare vivos, et mortuos. Credo in Spiritum sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, Sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam æternam. Amen.

PRÆCEPTA DECALOGI.

1. Non habebis deos alienos coram me.
2. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.
3. Memento, ut diem Sabbati sanctifices.
4. Honora patrem tuum, et matrem tuam, ut sis longævus super terram.
5. Non occides.
6. Non mœchaberis.
7. Non furtum facies.
8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.
9. Non concupisces uxorem proximi tui.
10. Nec omnia quæ illius sunt.

PRÆCEPTA ECCLESIÆ.

1. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato.
2. Sacrum Missæ officium diebus festis reverenter audito.
3. Indicta certis diebus jejunia, et a quibusdam cibis abstinentiam observato.
4. Peccata tua sacerdoti proprio, aut alteri curæ ejus facultate, singulis annis confitetor.
5. Sacrosanctam Eucharistiam ut minimum semel in anno, idque circa festum Paschæ, sumito.

ACTUS FIDEI.

*(Ind.)* Firma fide credo te Deum esse, Unum in essentia, Trinum in personis; credo Filium Dei Jesum Chri-

stum incarnatum, passum pro nobis et mortuum; credo te remunératorem bonorum et vindicem malorum; credo et profiteor quæ Symbolo Apostolorum continentur, et omnia ac singula, quæ sancta Ecclesia Romano-Catholica mihi credenda proponit; quia tu Deus summa veritas es, qui ea revelasti.

In hac fide et pro hac fide vivere et mori volo ac statuo.

ACTUS SPEI.

Misericordissime Deus, spero per passionem et merita Jesu Christi hic tuam gratiam et remissionem peccatorum, posthac vitam æternam in beatifica tui possessione; quia tu, Deus meus, omnipotens es, et infinite bonus erga nos, ac fidelis in promissis.

*Dominus firmamentum meum et refugium meum, liberator meus, adjutor meus; sperabo in eum, non confundar in æternum.* Ps. 17. v. 3.

ACTUS CHARITATIS.

Amo te, Deus meus, super omnia ex toto corde: amo te propter te, et proximum meum propter te, quia in te ipso es summe bonus et ipsa bonitas infinita, et ideo dignus, ut ameris ab omnibus: ament te omnes homines! laudent te omnes creaturæ! utinam ego te, Deus, plus amarem! vere me pœnitet, quod umquam te offenderim: jam statuo servare omnia mandata tua.

ACTUS CONTRITIONIS.

Domine Deus, doleo ex integro corde de peccatis commissis, quia per ea te, summum bonum super omnia dilectum, offendi; et detestor ea, quia tibi displicent: propono firmiter non peccare de cætero: et ex hoc momento statuo vitare et tollere occasiones omnes, causas et pericula peccatorum, potius vitam et omnia amittere quam peccatum admittere; statuo etiam peccata mea quamprimum confiteri, et in satisfactionem accepto de manu tua omnia adversa, labores et onera. *Cor contritum et humiliatum, Deus non despicies.* Ps. 50.

ACTUS RELATIONIS OPERUM IN DEUM.

Domine Deus, omnium creator et gubernator, in quo vivimus, movemur et sumus, sine quo nihil possumus, quæcumque hodie cogitabo, loquar, agam, aut patiar, omnia refero ad gloriam tuam et Domini nostri Jesu Christi.

Domine Deus omnipotens, qui ad principium hujus diei nos pervenire fe-

cisti, tua nos hodie salva virtute, ut in hac die ad nullum declinemus peccatum, sed semper ad tuam justitiam faciendam nostra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Per Dominum nostrum, etc.

---

## (*Ind.*) LITANIÆ SANCTISSIMI NOMINIS.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.
Pater de cœlis, Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Jesu Fili Dei vivi,
Jesu Splendor Patris,
Candor lucis æternæ,
Rex gloriæ,
Sol justitiæ,
Fili Mariæ Virginis,
Amabilis,
Admirabilis,
Deus fortis,
Pater futuri seculi,
Magni consilii Angele,
Potentissime,
Patientissime,
Obedientissime,
Mitis, et humilis corde,
Amator castitatis,
Amator noster,
Deus pacis,
Auctor vitæ,
Exemplar virtutum,
Zelator animarum,
Deus noster,
Refugium nostrum,
Pater pauperum,
Thesaurus fidelium,
Bone Pastor,
Lux vera,
Sapientia æterna,
Bonitas infinita,
Via et vita nostra,
Gaudium Angelorum,
Rex Patriarcharum,
Magister Apostolorum,
Doctor Evangelistarum,
Fortitudo Martyrum,
Lumen Confessorum,
Puritas Virginum,
Corona Sanctorum omnium, *Miserere nobis.*
Propitius esto, parce nobis, Jesu.
Propitius esto, exaudi nos, Jesu.
Ab omni malo, libera nos, Jesu.
Ab omni peccato, libera nos Jesu.

Ab ira tua, libera nos, Jesu.
Ab insidiis diaboli, libera nos, Jesu.
A spiritu fornicationis, libera nos, Jesu.
A morte perpetua,
A neglectu inspirationum tuarum.
Per mysterium sanctæ incarnationis tuæ,
Per nativitatem tuam,
Per infantiam tuam,
Per divinissimam vitam tuam,
Per labores tuos,
Per agoniam et passionem tuam,
Per Crucem et derelictionem tuam,
Par languores tuos,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per resurrectionem tuam,
Per ascensionem tuam,
Per gaudia tua,
Per gloriam tuam,

Libera nos, Jesu.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu, audi nos.
Jesu, exaudi nos.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui dixisti : Petite et accipietis, quærite et invenietis , pulsate et aperietur vobis : quæsumus, da nobis petentibus divinissimi tui amoris affectum, ut te toto corde, ore et opere diligamus, et a tua nunquam laude cessemus. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Sancti nominis tui , Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum, quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

Sancte Michael archangele, defende nos ab hostibus.

Sancte Joseph, sancti NN. Patroni nostri, et omnes Sancti Dei, intercedite pro nobis.

*(Ind.)* Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna.

Dominus nos benedicat, et ab omni malo defendat, et ad vitam perducat æternam,

et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. Amen.

*(Ind.)* ℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu sancto. Ave Maria.

℣. Ecce ancilla Domini.

℟. Fiat mihi secundum verbum tuum. Ave Maria.

℣. Et Verbum caro factum est.

℟. Et habitavit in nobis. Ave Maria.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde : ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

*Hos quatuor versiculos cum oratione dic mane, meridie et vespere, cum Salutationis angelicæ signum datur. Tempore paschali dicitur:* Regina cœli, etc.

*Sequitur meditatio secundum methodum ordinariam et ab omnibus maxime laudatam. Vide N.* XXXIX.

---

*Poterunt etiam, ut grata varietas devotioni faveat, identidem recitari sequentes preces his versibus summatim comprehensæ :*

*1. Sis gratus. 2. Cor offer.*
*3. Opus dispone futurum.*
*4. Vita peccatum. 5. Subsidiumque pete.*

POSTQUAM VESTITUS ES.

1. *Sis gratus SS. Trinitati.*

Adoro, laudo, et glorifico te, o S. Trinitas, et gratias ago, quod te protegente noctem hanc incolumis transegerim. O quam multi peccatores eadem hac nocte mortui, et merito suo æternum sunt damnati! Quid tibi, o summum bonum meum, rependam, quod me tam singulari amore dignatus es? Tu, quæso, o piissima Mater, castissimaque Virgo Maria, tuque, o Angele custos, et vos, Patroni mei NN., laudate et glorificate Dominum mecum nunc, et semper. Amen.

II. *Cor offer cœlesti Patri.*

O Pater æterne, tibi cor meum, et omnes animæ vires, corporisque sensus, et quidquid in me est, lubens volens offero. Suscipe me creaturam tuam, omniaque mea in unione dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi. O Pater, quando veniam et apparebo in conspectu tuo!

III. *Opus dispone futurum, juxta doctrinam et exemplum Christi.*

O dulcissime Jesu, qui es Via, Veritas et Vita : en firmiter statuo in viam mandatorum tuorum currere, ac hoc præsertim pietatis munus N. hodie obire. Universa et singula Nominis tui gloriæ adscribo. O Jesu, spes et vita mea, utinam te hodie et omni tempore, quoties spiritum traho, amare, venerari, glorificare, omnesque creaturas ad tui laudes adducere possem! Suscipe, o Jesu, hanc voluntatem meam, tuisque infinitis meritis defectus meos supple.

IV. *Vita peccatum, Spiritus sancti ope.*

Veni, sancte Spiritus, solatium atque robur animæ meæ, ut cunctis tentationibus fortiter resistam. Ergone peccatum hoc N. sciens ac volens repetam? Heu, nimis crebro in illud incidi! constantem ab hoc die emendationem spero. Gratiæ tuæ ope mihi assiste, o sancte Spiritus; ita super aspidem et basiliscum ambulabo, et conculcabo leonem et draconem. *Ps.* 90. 13.

V. *Subsidium pete ab omnibus Sanctis Dei.*

Adeste mihi pariter, o Electi Dei omnes, bonis favete propositis; o sancta Dei Genitrix Virgo Maria, una cum castissimo Sponso tuo S. Josepho, et tu, S. Angele, fidelis mei custos, vosque pariter Patroni mei singulares SS. NN.; et vos, quorum hodie memoria agitur, auxiliatricem mihi manum porrigite, incautum monete, errantem in viam reducite, ut cuncta, quæ apud me statui, reipsa hodie exequar. Tu cunctis aspira, Deus meus et omnia.

Pater noster, etc. Ave Maria, etc. Credo, etc.

Dignare, Domine, die isto sine peccato nos custodire. Miserere nostri, Domine, miserere nostri. Fiat misericordia tua, Domine, super nos, quemadmodum speravimus in te. In te, Domine, speravi, non confundar in æternum.

## COMMENDATIO
### AD JESUM.

O amabilissime Jesu, ego

me hodie, et semper in manus tuas commendo, quemadmodum tu moriens in Cruce te in manus Patris, et Beatissima Mater tua se tibi commendavit. Fac, ut secundum voluntatem tuam vivam, et in te moriar, utque idem omnibus tam inimicis, quam amicis meis concedas, oro, maxime his NN.: per merita Passionis et mortis tuæ, perque dulcissimæ Matris tuæ, et Sanctorum omnium intercessionem. Amen.

*Benedictio.*

Benedic me, pie Jesu, cum Patre et Spiritu sancto, et perduc ad vitam æternam. Amen.

*Præterea pro cujusque voluntate recitari poterunt preces sequentes, vel aliæ similes.*

COMMENDATIO

SUI AD B. VIRGINEM.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, et in sinum misericordiæ tuæ, hodie, et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam, et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam, et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas; vitam et finem vitæ meæ tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur, et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

AD S. ANGELUM TUTELAREM.

O fidelissime comes, a Deo tutelæ meæ assignate, protector et defensor meus, numquam recedens a latere meo, quas tibi gratias referam pro fide, amore, innumerisque in me collatis beneficiis? Tu dormienti advigilas: mœstum solaris: dejectum erigis: imminentia pericula avertis: futura doces cavere: a peccatis abstrahis: ad bonum impellis: lapsum ad pœnitentiam hortaris, Deoque concilias. Jam dudum fortassis in infernum detrusus fuissem, nisi tuis precibus divinam a me iram avertisses. Ne, precor, me umquam deseras: in adversis solare: in prosperis contine: in periculis tuere: in tentationibus adjuva, ne iis umquam succumbam. Preces et gemitus meos, omniaque pia opera divino conspectu offer, atque effice, ut in gratia ex hac perveniam ad vitam æternam. Amen.

Angelus Domini, etc. *Vide supra, pag. 7.*

*Sequitur meditatio, ut dicitur supra, pag. 7.*

*Ut semper in statu gratiæ degas, assuesce singulis horis elicere actum contritionis, hoc, vel simili modo:*

Deus meus et omnia, doleo quam possum maxime, quod te, quem super omnia amo, peccatis meis umquam offenderim: propitius esto mihi peccatori.

*Ad initium cujusque operis dic:*

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Veni, sancte Spiritus, etc. *infra pag. 11.*

*Vel dic:*

Ad majorem nominis tui gloriam, Deus, hoc opus aggredior, illudque infinitis Jesu Christi meritis conjunctum tibi offero.

*Et cum extra statum gratiæ nullum opus ex condigno sit meritorium, elice breviter, ut supra,* actum contritionis, *vel dic:*

Amo te, Deus meus, super omnia, et doleo ex toto corde, quod te summum bonum meum offenderim; emendationem et satisfactionem cum tua gratia propono.

*De intentione bona omnibus operibus nostris præmittenda.*

Omne quodcumque facitis in verbo, aut in opere, omnia in nomine Domini Jesu Christi, gratias agentes Deo, et Patri per ipsum. *Col. 3, 57.*

*Inter opus mentem sæpius ad Deum eleva.*

*Dum hora auditur, dic:* Ave Maria, etc. *Vel:* Omnipotens faustam donet mortalibus horam.

*Dum vadis ad templum.*

Domine, in multitudine misericordiæ tuæ introibo in domum tuam: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

### IN ASPERSIONE AQUÆ BENEDICTÆ.

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. *Ps. 50. 8.*

Actum contritionis *breviter elice, ut supra, vel hoc modo:*

Doleo, o Deus, quod umquam te, quem amo super omnia, offenderim.

# (*Ind.*) MEDITATIONES

PRO SINGULIS HEBDOMADÆ DIEBUS.

## I. MEDITATIO

PRO DIE DOMINICA.

De æterna Beatitudine.

Præparatio. 1. *Seposito omni terreno affectu et cura, dic:*

Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*2. Imaginare tibi amplissimum et pulcherrimum Beatorum domicilium, in eoque Deum inter Angelos, etc.*

*3. Pete gratiam, ut, quantum fieri potest, cœlestem illam gloriam prospicere et agnoscere possis.*

PUNCTUM I.

*Considera, quid sit beatitudo, sc.* Status bonorum omnium aggregatione perfectus, sine admixtione ullius mali, *in quo Beati secure cum plenissima desiderii satietate conquiescunt, juxta illud Ps. 16.* Satiabor, cum apparuerit gloria tua.

*Affectus.* Quid ergo mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? *Ps. 72.*

PUNCTUM II.

*Considera, quam suavis in illa civitate cœlesti (cujus muri, portæ, plateæ, et claritas describuntur* Apoc. 21.) *sit futura Christi, B. M. V., Angelorum et aliorum SS. familiaritas, ubi omnes cum Deo, et Deus cum omnibus intime erit conjunctus; ubi summi infimos sine ullo despectu, et infimi summos sine ulla invidia amplexabuntur.*

*Affectus.* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! *Ps. 83.*

PUNCTUM III.

*Considera gloriæ diversitatem 1. Cor. 15. 41.* Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, et alia claritas stella-

rum. Stella enim a stella differt in claritate : sic et resurrectio mortuorum. *Nam quo plus boni quisque in hac vita præstiterit, et mali pro Deo sustinuerit, tanto major erit ejusdem gloria.*

Affectus. *Et ego ubique crucem et labores subterfugiam, cum tamen* non sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam? *Rom. 2.*

Colloquium. *Age Deo gratias, quod tantum tibi præparaverit præmium pro tam exiguis ipsi præstitis obsequiis : accusa ingratitudinem et negligentiam tuam.*

*Totum hoc pietatis exercitium protectioni Beatæ Mariæ Virginis committe, atque ideo recita orationem:* Sub tuum, etc. *pag. 6.*

## II. MEDITATIO

### PRO DIE LUNÆ.

### De Morte.

*Præparatio est eadem quæ pag. præced. Sed pro imaginatione loci, cogita, te jacere in lecto agonizantem, una manu Crucifixum, altera cereum tenentem.*

### PUNCTUM I.

*Considera,* statutum esse *omnibus* hominibus semel mori. *Hebr. 9. Incerta vero est dies et hora. Nam* dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint: Pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus. 1. *Thess. 5. 3. Vere dixit Sapiens Eccl. 9.* Sicut pisces capiuntur hamo, et sicut aves laqueo, sic capiuntur homines in tempore malo.

Affectus. *Cur ergo non omni hora et momento me paro, prout Christus adhortatur Math. 24.* Estote parati, quia nescitis, qua hora Filius hominis venturus sit?

### PUNCTUM II.

*Considera, quanti isto tempore sint futuri dolores corporis, ob quos nec orare nec serio pænitentiam agere, nec recordari peccatorum tuorum poteris. Implebitur enim illud Ps. 40. 4.* Universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

*Affectus.* Ergo dum tempus habemus, operemur bonum. *Gal. 6. 10. De præsenti vero tempore dicitur :* Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. 2. *Cor. 6. 2.* Dixi, nunc cœpi. *Ps. 76.*

### PUNCTUM III.

*Considera, in quantis angustiis tunc futura sit anima, quando a corpore illi discedendum erit, et nescit,* an odio, an amore digna sit; *an in cœlum recipienda sit, an in infernum detrudenda.*

*Anima Hilarionis, qui 70 fere annis Christo servierat, trepidavit in egressu:* Egredere, *aiebat,* anima mea, quid times? *Job quoque moriturus ait cap. 10. 12.* Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum, etc. *Quanto majorem causam timoris tu habes! Sed* Justorum animæ in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. *Sap. 3. 1.*

Affectus. *Utinam hæc semper expenderem, atque ita vitam instituerem, ut dicere possem:* Mihi vivere Christus est, et mori lucrum! *Phil. 1. 21.*

Colloquium *fit cum Christo; de neglecta meditatione mortis accusa te, emendationemque sponde.*

## III. MEDITATIO

### PRO DIE MARTIS.

### De Judicio.

*Præparatio uti pag. 11. Pro imaginatione loci, cogita te coram Christo sedente in throno judiciario tamquam debitorem stare, redditurum rationem, etc.*

#### PUNCTUM I.

*Considera, qua ratione anima saluta vinculis corporis, ab omnibus derelicta, Christo judici sistenda sit, æternam acceptura sententiam, ubi nec preces, nec lacrymæ quidquam valebunt, nec excusatio admittetur, ubi Angelus custos et diabolus bona et mala opera proferent etc.* Quid sum miser tunc dicturus?

Affectus. *Adhucne tam ero incurius?* Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. *Cor. 11. 31.*

#### PUNCTUM II.

*Considera, non tantum de gravibus peccatis, sed etiam de verbo otioso reddendam rationem. Tunc tibi scribetur illud Dan. 5. 25.* Mane, Thecel, Phares. MANE: numeravit Deus regnum tuum, et complevit illud. THECEL: appensus es in statera, et inventus es minus habens. PHARES: divisum est regnum tuum, et datum est Medis et Persis.

Affectus. *Et ego non paveam?* Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui. *Ps. 118.* Non intres in judicium cum servo tuo *Ps. 142.*

#### PUNCTUM III.

*Considera, quanto cum tremore expectaturi sint omnes sententiam decretoriam, quæ in æternum non mutabitur.* Venite benedicti, etc. Discedite a me, etc.

Affectus. *Et me deinceps*

*peccare delectabit?* Loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo: NOLI ME CONDEMNARE. *Job. 10.*

Colloquium *Gratias age Christo, quod tibi hucusque tempus gratiæ indulserit, etc.*

## IV. MEDITATIO

### PRO DIE MERCURII.

### De Inferno.

*Præparatio uti pag. 11. Pro imaginatione loci, pone tibi ob oculos profundam et horrendam cavernam plenam serpentibus, aliisque monstris, ubi continuus ejulatus, inter fumum et stridentes flammas, etc.*

PUNCTUM I.

*Considera, quid sit æterna damnatio, sc.* Interminabilis et immutabilis status, in quo reprobi sine ulla commiseratione torquebuntur: nullum simile tormentorum genus ab homine potest excogitari. Pars illorum erit in stagno ardenti igne et sulphure, etc. *Apoc. 14. 10.*

Affectus. *Vere Isaias cap. 33.* Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis? *O Domine, hic ure, hic seca, ut in æternum parcas.*

PUNCTUM II.

Expende pœnam sensus, *h. e. æterna tormenta tam animæ, quam corporis;* Oculi *spectris,* Aures *incondito ejulatu, fletu et blasphemiis,* Nares *intolerabili fætore,* Lingua et Palatum *liquata pice et sulphure,* Manus, Pectus, totumque reliquum corpus *intolerabili carnificina cruciabuntur.* Memoria et Intellectus *recordatione et consideratione neglecti temporis gratiæ cor identidem rodent.* Voluntas *nihil ex suis desideriis et votis obtinebit; omnia in contrarium ibunt.* Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum, etc. *Apoc. 18. 7.*

Affectus. *O cæcitatem hominum, qui, pro guttula mellis, tantum haurire fellis non verentur!*

PUNCTUM III.

Expende pœnam damni, *quæ est æterna a conspectu Dei, et consortio Sanctorum exclusio, multo intolerabilior, quam omnia alia tormenta.*

Affectus. *O si hæc nunquam animo exciderent!* Ne projicias me *Domine* a facie tua. *Ps. 50.*

Colloquium *sit deprecatio tantæ pœnæ.*

## V. MEDITATIO

### PRO DIE JOVIS.

### De beneficiis divinis.

*Præparatio ut pag. 11.*

*Pro loci constitutione imaginare tibi cor et oculos Dei ad dona sua cumulate conferenda propensi.*

PUNCTUM I.

*Considera 1. Deum ab æterno in te præ tot aliis oculos suos conjecisse, et ex nihilo ad æternam salutem creare decrevisse. Jer. 31.* In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans. *Re ipsa deinde producit te* tempore gratiæ, loco catholico, parentibus piis, etc. *peccanti pepercit, tot periculis eripuit, et in viam salutis induxit, etc.*

*Affectus.* Misericordias Domini in æternum cantabo. *Ps. 88. Tantumne benefactorem ullo umquam peccato offendam?*

PUNCTUM II.

*Considera, Deum Sacramenta* BAPTISMATIS *et* PŒNITENTIÆ *instituisse, ut a peccatis liberaremur, non ob suum, sed nostrum commodum; ipse enim bonorum nostrorum non indiget; potuisse nos citra ullam injuriam æternum damnare, etc.*

*Affectus.* Benedic anima mea Domino; et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. *Ps. 102.*

PUNCTUM III.

*Considera incomprehensibilem Dei amorem erga nos in sacrosanctæ Eucharistiæ institutione, quo seipsum nobis in cibum et potum dat.* Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. *Deut. 4.*

Affectus. *Ubi est reciprocus amor meus?* Quid retribuam Domino pro omnibus, etc. *Ps. 115.*

Colloquium *ad Deum, ne benefacere desistat.*

## VI. MEDITATIO

### PRO DIE VENERIS.

De passione et morte Christi.

*Præparatio ut pag. 11. Pro imaginatione loci, pone tibi ob oculos* montem Oliveti, *ad cujus radicem Christus sanguinem sudavit:* montem Sion, *in quo sita est urbs Solymæa, ubi accusatus, flagellatus et condemnatus est:* montem Calvariæ, *ubi Cruci affixus est.*

PUNCTUM I.

*Considera, quid passus sit in horto.*

Affectus. *Quis illi non compatiatur, et propinatum Passionis calicem de manu ipsius admittat?*

PUNCTUM II.

*Considera, quid in urbe sustinuerit, apud Annam, Caipham, Pilatum, etc.*

Affectus. *Hic nulli deesse potest.*

PUNCTUM III.

*Considera, quæ Christus in monte Calvariæ sustinuit in detractione vestium, manuum ac pedum perforatione, quæ locutus in Cruce, etc.*

*Affectus.* Inspice vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis; caput habet inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplexandum: hæc quanta sint, cogita: hæc in statera cordis tui expende, ut totus tibi figatur in corde, qui pro te totus affixus est in Cruce. *August. de Virg.*

Colloquium. *Provocabit crucifixus Jesus.*

## VII. MEDITATIO

### PRO DIE SABBATI.

De B. V. Maria.

*Præparatio ut pag. 11. Pro constructione loci, pone tibi ob animum Reginam cœli et terræ super omnes Choros Angelorum exaltatam, et a SS. Trinitate coronatam.*

PUNCTUM I.

*Considera tam externam, quam internam benedictæ illius Virginis pulchritudinem, de qua Sponsus Cant. 3.* Tota pulchra es, amica mea, et macula non est in te. *Quidni pulcherrima sit, quæ genuit* speciosum forma præ filiis hominum! *Certe* sanctificavit tabernaculum suum Altissimus. *Ps. 45.*

Affectus. *Et ego ante tam illustre christianæ perfectionis speculum non emundabo maculas animæ? o purissima Virgo, impetra ad hoc mihi gratiam.*

PUNCTUM II.

*Considera prærogativas, honores, quibus eam exornat SS. Trinitas: Pater ut filiam amat, Filius ut matrem honorat, Spiritus sanctus ut sponsam amplexatur.*

*Affectus.* Quibus te laudibus efferam nescio, etc.

PUNCTUM III.

*Considera benignitatem et misericordiam hujus Matris in omnes miseros; et quamvis infinities major sit Dei misericordia, hujus tamen infinita quoque est justitia, quam Maria nullatenus exercet.*

*Affectus.* Salve Regina, Mater, etc.

Colloquium *ad B. V. suggeretur ab affectu.*

# BENEDICTIO MENSÆ,

## ET GRATIARUM ACTIO POST MENSAM.

---

## BENEDICTIO MENSÆ.

℣. Benedicite.

℟. Deus.

℣. Benedic, Domine, nos et hæc tua dona, quæ de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Mensæ cœlestis participes faciat nos Rex æternæ gloriæ.

℟. Amen.

---

*Poterit etiam dici Benedictio sequens :*

Oculi omnium in te sperant, Domine, et tu das escam illorum in tempore opportuno. Aperis tu manum tuam, et imples omne animal benedictione.

Gloria Patri, etc.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

OREMUS.

Benedic, Domine, nos et hæc tua dona, qua de tua largitate sumus sumpturi. Per Christum Dominum nostrum. ℟ Amen.

---

# GRATIARUM ACTIO

## POST MENSAM.

℣. Benedicamus Domino.
℟. Deo gratias.

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis: qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

### OREMUS PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

*(Ind.)* De profundis clamavi ad te, Domine: * Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, * in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine: * Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est, * et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus: * speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, * speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia: * et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel, * ex omnibus iniquitatibus ejus.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

### OREMUS.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate

Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

---

*Poterit etiam dici hæc gratiarum actio :*

Agimus tibi gratias, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis : qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Sit nomen Domini benedictum.

℟. Ex hoc nunc, et usque in sæculum.

OREMUS.

Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum, vitam æternam. ℟. Amen.

---

# IV

# PIA SUSPIRIA,

## SEU PRECES JACULATORIÆ, E SCRIPTURA SACRA DEPROMPTÆ, QUÆ PER DIEM, SIVE DOMI, SIVE IN TEMPLO, PRO DIVERSO ANIMÆ STATU, AD DEUM EFFERRI POTERUNT.

I. *Ad impetrandam remissionem peccatorum.*

Peccavi, quid faciam tibi, o custos hominum ? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihi metipsi gravis ? *Job 7. 20.*

Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo : Noli me condemnare. *Job 10. 1, 2.*

Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. *Ps. 24. 19.*

Delicta juventutis meæ et ignorantias meas ne memineris, Domine. *Ps. 24. 7.*

Respice in me, et miserere mei. *Ps. 24. 17.*

Miserere mei, Domine, sana me, quia peccavi tibi. *Ps. 40. 4.*

Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. *Ps. 50. 1.*

Ne projicias me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me. *Ibid.* ℣. 12.

Deus, tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. *Ps. 68. 7.*

Veniant mihi miserationes tuæ, et vivam. *Ps. 118. 77.*

Erravi sicut ovis, quæ periit: quære servum tuum. *Ibid.* ℣. 176.

Ne intres in judicium cum servo tuo : quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. *Ps. 142. 2.*

Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum : ne irascaris, Domine, satis : et ne ultra memineris iniquitatis nostræ. *Isaiæ 64. 8, 9.*

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut fleam die ac nocte ? *Jerem. 9. 1.*

Quare in perpetuum oblivisceris nostri, derelinque nos in longitudine dierum. Converte nos, Domine, ad te, et convertemur. *Thren. 5. 20, 21.*

Surgam, et ibo ad Patrem meum, et dicam ei : Pater, peccavi in cœlum, et coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus. *Luc. 15. 18.*

Jesu fili David, miserere mei. *Luc. 18. 38.*

### II. *Ad impetrandam humilitatem.*

Vilior fiam plus quam factus sum : et ero humilis in oculis meis. 2. *Reg. 6. 22.*

Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, et loquar verbis meis cum eo ? *Job 9. 14.*

Memoria mea comparabitur cineri, et redigentur in lutum cervices meæ. *Job 13. 12.*

Quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum quod comeditur a tinea. *Ibid.* ℣. 28.

Putredini dixi : Pater meus es, et soror mea vermibus. *Job 17. 14.*

Ego autem sum vermis et non homo : opprobrium hominum et abjectio plebis. *Ps. 21. 6.*

Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quoniam visitas eum? *Ps. 8. 5.*

Bonum mihi quia humiliasti me. *Ps. 118. 71.*

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis. *Phil. 2. 8.* Et ego superbiam ?

### III. *Ad vitæ hujus cognitionem.*

Peregrini sumus, Domine, coram te, et advenæ, sicut omnes patres nostri. Dies nostri quasi umbra super terram, et nulla est mora. 1. *Paral. 29. 15.*

Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei. *Job 7. 16.*

Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. *Job 10. 9.*

Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi ? Dimitte ergo me, ut plangam paulùlum dolorem meum. *Job 10. 20.*

Paucitatem dierum meorum nuntia mihi. Ne revoces me in dimidio dierum meorum. *Ps. 101. 24. 25.*

Domine, secundum voluntatem tuam fac mecum, et præcipe in pace recipi spiritum meum : expedit enim mihi mori magis quam vivere. *Tob. 3. 6.*

Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia ! *Num. 23. 10.*

### IV. *In angustiis et animi mærore.*

Sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea : et anima mea turbata est valde. *Ps. 6. 2.*

Aruit, tamquam testa, virtus mea : et lingua mea adhæsit faucibus meis : et in pulverem mortis deduxisti me. *Ps. 21. 16.*

Defecit in dolore vita mea, et anni mei in gemitibus. *Ps. 30. 12.*

Vide humilitatem meam et laborem meum, et dimitte universa delicta mea. *Ps. 24. 19.*

Domine, ante te omne desiderium meum, et gemitus meus a te non est absconditus. *Ps. 37. 9.*

Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo. *Ps. 42. 5. 6.*

Cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies. *Ps. 50. 11.*

Lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi. *Ps. 85. 3.*

Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. Non avertas faciem tuam a me, et similis ero descendentibus in lacum. *Ps. 142. 7. 8.*

Laboravi in gemitu meo, et requiem non inveni. *Jerem. 45. 3.*

Domine, multi gemitus mei, et cor meum mœrens. *Thren. 1. 22.*

Tristis est anima mea usque ad mortem. *Matth. 26. 38.*

Redde mihi lætitiam salutaris tui. *Ps. 50. 13.*

V. *Ad exercendam resignationem.*

Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat. 1. *Reg. 3. 18.*

Si dixerit mihi: non places, præsto sum: faciat quod bonum est coram se. 2. *Reg. 15. 26.*

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps. 56. 10.*

Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. 1. *Mach. 3. 60.*

Fiat voluntas tua. *Matth. 26. 42.*

Domine, quid me vis facere? *Act. 9. 6.*

VI. *Ad patientiam impetrandam.*

Dominus dedit, Dominus abstulit: sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. *Job 1. 21.*

Si bona suscepimus de manu Domini, mala quare non suscipiamus? *Job 2. 10.*

Quis ego sum, ut contradicam Domino meo? *Judith 12. 13.*

Dominus præcepit, et quis audet rogare, quare sic fecerit? 2. *Reg. 16. 10.*

Quoniam ego in flagella paratus sum, et dolor meus in conspectu meo semper. *Ps. 37. 18.*

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. *Ps. 115. 4.*

VII. *Adversus tentationes.*

Quomodo possum hoc malum facere, et peccare in Deum meum? *Gen. 39. 9.*

Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hanc rem. 2 *Reg. 24. 7.*

Confirma me, Domine, Deus, in hac hora. *Jud. 13. 9.*

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum. *Ps. 6. 2.*

In te eripiar a tentatione *Ps. 17. 32.*

Salvum me fac, Deus; quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. *Ps. 68. 1.*

Eripe me de luto, ut non infigar. *Ps. 17. 18.*

Ne tradas bestiis animas confitentes tibi, et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. *Ps. 73. 20.*

Nisi quia tu, Domine, adjuvisti me, paulo minus habitasset in inferno anima mea. *Ps. 93. 17.*

Averte oculos meos, ne videant vanitatem. *Ps. 118. 37.*

Omne desiderium averte a me, aufer a me ventris concupiscentias, et concubitus concupiscentiæ ne apprehendant me, et animæ irreverenti et infrunitæ ne tradas me. *Eccli. 23. 6.*

Melius est mihi absque opere incidere in manus hominum, quam peccare in conspectu Domini. *Dan. 13. 23.*

Et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo. *Matth. 6. 13.*

VIII. *Ad fiduciam exercendam.*

Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo. *Job 13. 15.*

Domine, pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. *Job 17. 3.*

Deus meus, in te confido, non erubescam. *Ps. 24. 1.*

Etsi ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. *Ps. 22. 4.*

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum. *Ps. 30. 1.*

Mihi autem adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. *Ps. 72. 27.*

Dominus mihi adjutor: non timebo, quid faciat mihi homo. *Ps. 117. 6.*

Domine, fortitudo mea et robur meum, et refugium meum in die tribulationis. *Jerem. 16. 19.*

IX. *Exercitium timoris Dei.*

Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine: terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. *Job 10. 20.*

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? *Job 14. 13.*

Quid faciam, cum surrexerit ad judicandum Deus? et cum quæsierit, quid respondebo illi? *Job. 31. 14.*

Semper quasi tumentes super me fluctus timui Deum, et pondus ejus ferre non potui. *Ibid.* ℣. 23.

Dolores inferni circumdederunt me, præoccupaverunt me laquei mortis. *Ps. 17. 6.*

Confige timore tuo carnes meas: a judiciis enim tuis timui. *Ps. 118. 120.*

X. *Ad cautelam in loquendo.*

Dixi: Custodiam vias meas, ut non delinquam in

lingua mea, ponam ori meo custodiam. *Ps. 38. 1.*

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. *Psalm. 140. 3.*

Quis dabit ori meo custodiam, et super labia mea signaculum certum, ut non cadam ab ipsís, et lingua mea perdat me? *Eccli. 22. 33.*

Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. *Jacobi 3. 2.*

XI. *Ad cognoscendam Dei voluntatem in rebus dubiis, maxime in eligendo vitæ statu.*

Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 1. *Reg. 3. 10.*

Vias tuas, Domine, demonstra mihi, et semitas tuas edoce me. *Ps. 24. 4.*

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Ps. 16. 6.*

Emitte lucem tuam et veritatem tuam. *Ps. 42. 3.*

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps. 56. 8.*

Deus misereatur nostri, et benedicat nobis: illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri. *Psal. 66. 1.*

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua. *Ps. 85. 10.*

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia. *Ps. 118. 133.*

Notam fac mihi viam in qua ambulem: quia ad te levavi animam meam. *Psal. 142. 10.*

Doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu. *Ibid.* ℣. 11.

Domine, quid me vis facere? *Act. 9. 6.*

XII. *Postquam statuimus Deo servire.*

Dirupisti vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis. Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi. *Ps. 115. 7. 8.*

Convertere, anima mea, in requiem tuam: quia Dominus benefecit tibi. *Psal. 114. 7.*

Elegi abjectus esse in domo Dei mei magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Ps. 83. 11.*

Amodo voca me: Pater meus tu es. *Jerem. 3. 4.*

XIII. *Ad divinæ præsentiæ recordationem.*

Dirige in conspectu tuo viam meam. *Ps. 5. 9.*

Quo ibo a spiritu tuo? et quo a facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades: si sumpsero pennas meas diluculo, et habitavero in extremis ma-

ris: etenim illuc manus tua deducet me, et tenebit me dextera tua. *Ps. 138. 6.*

Oculi tui, Domine, multo plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, et profundum abyssi; et hominum corda intuentes in absconditas partes. *Eccli. 23. 28.*

Oculi tui aperti sunt super omnes vias filiorum Adam, ut reddas unicuique secundum vias suas, et secundum fructum adinventionum ejus. *Jerem. 16. 17.*

XIV. *Laus Dei, et gratiarum actio.*

Domine, Deus meus, in æternum confitebor tibi. *Ps. 29. 15.*

Omnia ossa mea dicent: Domine, quis similis tibi? *Ps. 34. 11.*

Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam. *Ps. 70. 9.*

Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Benedic, anima mea, Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus. *Ps. 102. 1.*

Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. *Ps. 113. 9.*

Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? *Ps. 115. 3.*

Confitebor tibi, Domine, quoniam exaudisti me: et factus es mihi in salutem. *Ps. 117. 28.*

XV. *Amor Dei et cœlestis gloriæ.*

Si inveni gratiam in conspectu tuo, Domine, ostende mihi faciem tuam. *Exodi 33. 13.*

Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, ut videam voluptatem Domini, et visitem templum ejus. *Ps. 26. 7. 8.*

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: faciem tuam, Domine, requiram. *Ibid.* ℣. 13.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum: ita desiderat anima mea ad te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum, fortem, vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? *Psal. 14. 1.*

Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, et volabo, et requiescam? *Ps. 54. 7.*

Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Defecit caro mea, et cor meum, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum. *Ps. 72. 25.*

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini. Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum vivum. *Ps. 83. 1.*

Beati qui habitant in domo tua, Domine: in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ibid.* ℣. 5.

Melior est dies una in atriis tuis super millia. *Ibid.* ℣. 10.

Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est! *Ps. 119. 5.*

Educ de custodia animam meam ad confitendum nomini tuo. *Psal. 141. 10.*

Indica mihi quem diligit anima mea, ubi pascas, ubi cubes in meridie? *Cant. 1. 6.*

Anima mea desideravit te in nocte. *Isaiæ 26. 9.*

Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Rom. 7. 24.*

Cupio dissolvi, et esse cum Christo. *Phil. 1. 23.*

# V

## PRECES PRO SACRIFICIO MISSÆ.

Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

### ORATIO,

QUA INTENTIO FIT AUDIENDÆ MISSÆ.

Domine Deus, ad cujus imaginem creatus sum, da mihi gratiam ut imminenti sacrificio, qua par est reverentia et devotione intersim, illudque una cum sacerdote divinæ Majestati tuæ gratiose offeram: 1. Ad majorem nominis tui honorem, et gloriam, cui soli hoc sacrificium debetur. 2. In memoriam passionis et mortis tuæ, quam ad hujus sacrifi-

cii usum fieri præcepisti. 3. In gratiarum actionem pro omnibus mihi collatis beneficiis. 4. In satisfactionem omnium mearum culparum ac pœnarum, quas sanctissimo sanguini tuo in hoc sacrificio immergo. 5. Ad impetrandam gratiam tuam, et opem in re ista N. 6. Pro charissimis parentibus, amicis et benefactoribus meis, maxime istis NN. 7. Pro fidelibus defunctis, potissimum istis NN. Placeat tibi, Domine, hæc intentio mea, et exaudi me. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

*Dic deinde cum sacerdote et ministro :*

*Sacerd.* Introibo ad altare Dei.

*Minist.* Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

*S.* Judica me, Deus, et discerne causam meam de gente non sancta, ab homine iniquo et doloso erue me.

*M.* Quia tu es, Deus, fortitudo mea: quare me repulisti, et quare tristis incedo, dum affligit me inimicus.

*S.* Emitte lucem tuam et veritatem tuam : ipsa me deduxerunt et adduxerunt in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua.

*M.* Et introibo ad altare Dei: ad Deum qui lætificat juventutem meam.

*S.* Confitebor tibi in cithara Deus, Deus meus; quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

*M.* Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi; salutare vultus mei, et Deus meus.

*S.* Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

*M.* Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

*S.* Introibo ad altare Dei.

*M.* Ad Deum, qui lætificat juventutem meam.

*S.* Adjutorium nostrum in nomine Domini.

*M.* Qui fecit cœlum et terram.

*S.* Confiteor, etc.

*M.* Misereatur tui omnipotens Deus, et dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam æternam.

*S.* Amen.

*M.* Confiteor Deo omnipotenti, beatæ Mariæ semper Virgini, beato Michaeli Archangelo, beato Joanni Baptistæ, sanctis Apostolis Petro et Paulo, omnibus Sanctis, et tibi, Pater: quia peccavi nimis cogitatione, verbo et opere, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa: ideo precor beatam Mariam semper Virginem, beatum Michaelem Archan-

gelum, beatum Joannem Baptistam, sanctos Apostolos Petrum et Paulum, omnes Sanctos, et te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

*S.* Misereatur vestri omnipotens Deus, et dimissis peccatis vestris, perducat vos ad vitam æternam.

*M.* Amen.

*S.* Indulgentiam, absolutionem, et remissionem peccatorum nostrorum, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus.

*M.* Amen.

*S.* Deus, tu conversus vivificabis nos.

*M.* Et plebs tua lætabitur in te.

*S.* Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam.

*M.* Et salutare tuum da nobis.

*S.* Domine, exaudi orationem meam.

*M.* Et clamor meus ad te veniat.

*S.* Dominus vobiscum.

*M.* Et cum spiritu tuo.

AD INTROITUM.

Benedicta sit sancta Trinitas, atque indivisa Unitas: confitebimur ei, quia fecit nobiscum misericordiam suam.

Gloria Patri, qui creavit nos.

Gloria Filio, qui redemit nos.

Gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos.

Gloria summæ et individuæ Trinitati, Deo nostro in sæcula sæculorum. Amen.

*S.* Kyrie, eleison.

*M.* Kyrie, eleison.

*S.* Kyrie, eleison.

*M.* Christe, eleison.

*S.* Christe, eleison.

*M.* Christe, eleison.

*S.* Kyrie, eleison.

*M.* Kyrie, eleison.

*S.* Kyrie, eleison.

*Corde hic simul dic, quod verba significant:* Domine, miserere. Christe, miserere, *et dolorem excita.*

*Dic postea cum sacerdote, si dicendum est:*

Gloria in excelsis Deo. Et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Laudamus te, benedicimus te, adoramus te, glorificamus te. Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam. Domine Deus Rex cœlestis, Deus Pater omnipotens. Domine Fili unigenite Jesu Christe. Domine Deus, Agnus Dei, Filius Patris. Qui tollis peccata mundi, miserere nobis. Qui tollis peccata mundi, suscipe deprecationem nostram. Qui sedes ad dexteram Patris, miserere nobis. Quoniam tu solus sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus,

Jesu Christe, cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen.

COLLECTA, UT INFRA PRO TEMPORE.

*Ad Epistolam et Graduale.*

Exaudi, Deus, preces Ecclesiæ tuæ sanctæ, tibi in nomine dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi humiliter supplicantis, ut tuam nobis dexteram porrigas, quæ omnia mala avertat, et in tua nos gratia confirmet. Amen.

ACTUS FIDEI.

Credo, Domine Deus, quidquid per Scripturam, unigenitumque Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, et SS. Apostolos revelasti, mihique per Ecclesiam, quæ columna est et firmamentum veritatis, credendum proposuisti. In hac catholica Fide per tuam gratiam vivere et mori statuo. Amen.

ACTUS SPEI.

In te, benignissime Pater, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, omnem spem meam ac fiduciam repono. Magna quidem et multa sunt delicta mea; tua tamen infinite major est bonitas, quæ non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat; hac tua immensa bonitate fretus, remissionem omnium meorum peccatorum, et vitam æternam me consecuturum plane confido.

ACTUS CHARITATIS.

Quis te non amet, amantissime Deus, qui in charitate perpetua dilexisti nos, Filiumque tuum unigenitum dedisti pro nobis? Quando, mi Deus, veniam, et apparebo ante faciem tuam, cupitisque complexibus tuis æternum fruar?

AD EVANGELIUM.

*Vel attende ad sacerdotem, si illum potes intelligere, vel recita quæ sequuntur.*

Domine Jesu, qui ex voluntate Patris tui lætum mundo Evangelium annuntiasti; da gratiam, ut illud intellectu percipiam, voluntate amplectar, memoria conservem, opere compleam: et gregi electarum ovium tuarum, quæ vocem tuam audiunt, ita hic associer, ut eidem in novissimo die ad dexteram tuam conjunctus audire merear: Venite, benedicti, etc.

## ORATIO
### ANTE CONCIONEM.

Audiam quid loquatur in me Dominus. O Jesu, lux mundi, illumina intellectum meum, ut sensum divini

verbi tui percipiam; munda cor meum, ut in eodem optatum faciat fructum. Amen.

*Vel dic :* Deus, qui corda fidelium, etc. *pag.* 26.

## ORATIO
### POST CONCIONEM.

Gratias ago tibi, Domine Deus, quod animam meam verbo tuo reficere dignatus sis. Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. *Ps.* 118.

*Dic Credo, si dicendum est.*

Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum. Et ex Patre natum ante omnia sæcula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum non factum, consubstantialem Patri: per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, et sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum Scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos: cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vivificantem: qui ex Patre, Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur. Qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam catholicam, et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi sæculi. Amen.

### AD OFFERTORIUM.

O Pater æterne, qui sanctissimum hoc novæ Legis Sacrificium, quo unigenitus Filius tibi offerretur, institui voluisti; hunc et ego divinæ Majestati tuæ, meque in ejusdem unione offero cum omnibus, quæ a tua bonitate mihi sunt concessa: respice in me, et miserere mei. Amen.

### AD ORATE FRATRES.

Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis, ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ.

*Repete hic, si libet:* Veni, sancte Spiritus, etc. *Vide pag.* 26.

### AD PRÆFATIONEM.

Sursum corda. Habemus

ad Dominum. Gratias agamus Domino Deo nostro. Dignum et justum est. Vere dignum et justum est, æquum et salutare, nos tibi semper et ubique gratias agere: Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus; per Christum Dominum nostrum. Per quem Majestatem tuam laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Potestates. Cœli cœlorumque Virtutes, ac beata Seraphim, socia exultatione concelebrant. Cum quibus et nostras voces ut admitti jubeas deprecamur, supplici confessione dicentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth. Pleni sunt cœli et terra gloria tua. Hosanna in excelsis. Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.

### ORATIO AD MEMENTO,

*Seu ad memoriam pro vivis.*

Memento, quæsumus, Domine, per passionem et mortem dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi, in primis Ecclesiæ tuæ sanctæ, eamque ceu Sponsam ejusdem Filii tui protege, sanctifica et exalta: Præsides ac Ministros ipsius Spiritu sancto reple, ut omnes illorum doctrina et exemplo proficiant ad majorem Nominis tui gloriam.

Memento etiam, Domine, parentum meorum, fratrum, sororum et amicorum NN. omniumque, pro quibus orare teneor, et tu me vis orare. Da his omnibus uberem in præsenti vita gratiam, et gloriam in futura.

### AD ELEVATIONEM,

*Dic orationem sancti Thomæ Aquinatis.*

Adoro te devote, latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Visus, tactus, gustus, in te fallitur,
Sed auditu solo tuto creditur.
Credo quidquid dixit Dei Filius,
Nil hoc verbo Veritatis verius.
In Cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et humanitas:
Ambo tamen credens, atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,

In te spem habere, te diligere.
O memoriale mortis Domini,
Panis vivus, vitam præstans homini,
Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine:
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio:
Ut te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ. Amen.

POST ELEVATIONEM CALICIS.

Domine Jesu Christe, vere tu es Deus absconditus, quem sub panis et vini speciebus modo adoravi. Ne sinas, obsecro, ut pretiosus ille Sanguis tuus pro me frustra olim in ara crucis sit effusus, sed per passionem et mortem tuam in numerum electorum tuorum admitti, et te revelata facie æternum aspicere et amplecti merear. Amen.

AD MEMENTO PRO DEFUNCTIS.

Memento etiam, Domine, famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo Fidei, et dormiunt in sancta pace.

Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas deprecamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Nobis quoque peccatoribus, famulis tuis de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris cum tuis Sanctis NN., intra quorum nos consortium non æstimator meriti, sed veniæ, quæsumus, largitor admitte. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

*Orationem Dominicam recita cum Sacerdote.*

Pater noster, etc.

*Perge cum eodem Sacerdote:*

Libera nos, quæsumus, Domine, ab omnibus malis, præteritis, præsentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, da propitius pacem in diebus nostris, ut ope misericordiæ tuæ adjuti, et a peccatis simus semper liberi, et ab omni perturbatione

securi. Per eumdem Dominum nostrum, etc.

Pax Domini sit semper nobiscum. Amen.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis. *Sic ter dicitur ; tertia autem vice pro* Miserere nobis, *dicitur :* Dona nobis pacem.

PRÆPARATIO AD COMMUNIONEM SPIRITUALEM.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu sancto, per mortem tuam mundum vivificasti, libera me, per hoc sacrosanctum Corpus et Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis et universis malis, et fac me tuis semper inhærere mandatis, et a te numquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Perceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus *spiritualiter* sumere præsumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem : sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis, etc.

*Dic deinde ter cum Sacerdote :*

Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

*Hic cogita communicare cum Sacerdote, et dic:*

Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam æternam. Amen.

*Hic Christum quasi præsentem complectere, et dic* :

Inveni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus; mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur !

Anima Christi, etc. *Vide N.* XIX.

AD COLLECTAM.

Gratias ago tibi, Domine Jesu, quod me hujus tui sanctissimi Sacrificii participem fecisti, quo amarissimæ passionis ac mortis tuæ memoriam innovavi. Fac, oro, ut ejusdem Mysterii virtute et operatione, in fide, spe et charitate perseverem, vitamque æternam consequar. Amen.

OBLATIO.

Placeat tibi, sancta Trinitas, obsequium servitutis meæ : et præsta, ut Sacrificium, quod oculis tuæ majestatis *cum sacerdote* indi-

gnus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

### AD BENEDICTIONEM.

Benedicat nos omnipotens Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

### INITIUM SANCTI EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.

In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum: et Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt: et sine ipso factum est nihil quod factum est. In ipso vita erat, et vita erat lux hominum, et lux in tenebris lucet, et tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine: ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, et mundus per ipsum factus est: et mundus eum non cognovit. In propria venit: et sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus: qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri: sed ex Deo nati sunt. *Et Verbum caro factum est:* et habitavit in nobis, et vidimus gloriam ejus: gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ et veritatis. *R.* Deo gratias.

Ps. 116. *Ut omnes gentes Deum laudent.*

Laudate Dominum omnes gentes: * laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: *et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

Dies et actus nostros in sua pace disponat Dominus omnipotens. Amen.

# ALIUS MODUS PIE AUDIENDI MISSAM,

## PER BREVES MEDITATIONES DE PASSIONE ET MORTE CHRISTI, PIOSQUE AFFECTUS.

### ANTE SACRUM.

*Dum Sacerdos expectatur, memineris Cœnæ ultimæ, in qua Christus Sacrificium Missæ instituit, seque nobis omnibus in cibum dedit. Nonne par est, ut hujus charitatis excessum agnoscas ?*

### AFFECTUS.

Agnosco , Domine Jesu , cum dilexisses tuos , in finem *vere* dilexisti eos. *Joan. 13. 1.*

*Ecce enim* parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. *Ps. 22. 6.*

Tibi *etiam* sacrificabo *nunc* hostiam laudis, et nomen Domini invocabo. *Psalmus 115. 7.*

### AD DESCENSUM SACERDOTIS AB ALTARI , UT MISSAM INCHOET.

*Considera Christum a Cœna (quæ in monte Sion est habita) descendentem in hortum Gethsemani.* Secuti sunt autem illum et discipuli ejus. *Lucæ 22. 39. Et tu in tentatione a Deo tuo recedes ?*

### AFFECTUS.

Vivit Dominus , quoniam in quocumque loco fueris , Domine mi , ibi erit servus tuus. 2. *Reg. 15. 21.*

Mihi adhærere Deo bonum est, ponere in Domino Deo spem meam. *Ps. 72. 27.*

Domine , tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. *Lucæ 22. 33.*

### AD CONFESSIONEM.

*Contemplare Christum in agonia orantem, quando* factus est sudor ejus , sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. *Lucæ 22. 44. Sanguinem hunc peccata tua expresserunt , et de his non dolebis ?*

### AFFECTUS.

Quis dabit capiti meo aquam , et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo die ac nocte ? *Jerem. 9. 1.*

Pater , peccavi in cœlum et coram te ; jam non sum dignus vocari filius tuus. *Lucæ 15. 18.*

Deus, propitius esto mihi peccatori. *Lucæ 18. 13.*

AD OSCULUM ALTARIS, ET INTROITUM.

*Considera, quomodo Judas osculo Christum tradat. An non et tu similis es traditor, dum exiguam voluptatem, posthabito Jesu, amplecteris?*

AFFECTUS.

Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris injuriarum servi tui. *Reg. 19. 19.*

Iniquitatem meam ego cognosco. *Ps. 50. 4.*

Domine, miserere mei. *Ps. 40. 5.*

AD KYRIE ELEISON.

*Meditare ternam Petri negationem, qui non resipuit, nisi postquam Dominus illum respexit.* Lucæ 22. 61. *Quoties et tu Dominum tuum Jesum coram hominibus erubescis, et negas? quando resipisces?*

AFFECTUS.

Peccavi, Domine. 2. *Reg. 12. 13.*

Ne projicias me a facie tua. *Ps. 50. 12.*

Respice in me, et miserere mei. *Ps. 24. 16.*

AD GLORIA, SI DICATUR.

*Meditare Judæorum exultationem ad Christi opprobria et cruciatus. An non et tu inter illos es,* qui exultant in rebus pessimis? *Prov. 2. 14.*

AFFECTUS.

Quid loquar, aut juste potero obtendere? Deus invenit iniquitatem servi sui. *Gen. 44. 16.*

Converte nos, Deus salutaris noster, et averte iram tuam a nobis. *Ps. 84. 4.*

Lætabor et exultabo in te, Domine. *Ps. 9. 2.*

AD COLLECTAM, EPISTOLAM, ET GRADUALE.

*Meditare collectas populi accusationes, illusiones, alapas, sputa, etc. quæ Christus in domo Annæ et Caiphæ subiit.* Joan. 18.22. *Christus tamquam agnus coram tondente se obmutuit; tu vero tam facile excandescis, et in alios inveheris?*

AFFECTUS.

Ubi est fortitudo et patientia tua? *Job 4. 6.*

Tu es patientia mea. Domine. *Ps. 70. 5.*

Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiæ labiis meis. Non declines cor meum in verba malitiæ. *Ps. 140. 3.*

AD EVANGELIUM, QUOD SACERDOS AD ALTERAM ALTARIS PARTEM TRANSIENS, LEGIT.

*Meditare, quomodo Chri-*

*stus a Caipha ad Pilatum raptus, et de doctrina sua Evangelica interrogatus, et reprehensus fuerit.* Lucæ 23. *Quanti tu tam pretiosam Jesu doctrinam facis? Quam sollicite illam excipis, aliisque tradis?*

AFFECTUS.

Gressus meos dirige secundum eloquium tuum, et non dominetur mei omnis injustitia. *Ps. 118. 133.*

Lucerna pedibus meis verbum tuum. *Ibid. 105.*

Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur. *Ps. 50. 14.*

AD CREDO, SI DICATUR.

*Meditare, quomodo Christus a Pilato mittatur ad Herodem, et ab hoc (cum speratum signum non impetrasset) in veste alba tamquam homo fatuus, cui credendum non sit, ad Pilatum remittatur.* Lucæ 23. *Nonne et tu inter illos es, qui ut credant, volunt a Christo* signum videre? *Matth. 12.59.*

AFFECTUS.

Beati, qui non viderunt, et crediderunt. *Joan. 20. 29.*

Credo, Domine; adjuva incredulitatem meam. *Marc. 9. 23.*

In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, et tradidit semetipsum pro me, *Gal. 2. 20.*

AD OBLATIONEM.

*Meditare Christi resignationem, et oblationem sui ad omnia pro gloria Patris sui, et redemptione generis humani toleranda.* Ps. 39. *Quam tu paratus es ad tolerantiam rerum adversarum?*

AFFECTUS.

Et ego in flagella paratus sum. *Ps. 37. 18.*

Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. *Ps. 115. 4.*

Confirma hoc, Deus, quod operatus es in me. *Ps. 67. 31.*

AD LOTIONEM MANUUM.

*Meditare Pilatum excusationem iniquissimi facti sui lotione manuum suarum quæsivisse, reipsa autem scelus non evitasse.* Matth. 27. 24. *Quoties et tu peccata tua occultare, et excusationem illis prætendere niteris, sicque illa potius auges quam minuis?*

AFFECTUS.

Confitebor adversum me injustitiam meam Domino. *Ps. 31. 6.*

Deus tu scis insipientiam meam, et delicta mea a te non sunt abscondita. *Ps. 68. 6.*

Si voluero contendere tecum, non potero tibi respondere unum pro mille. *Job 9. 3.*

AD ORATE FRATRES.

*Meditare Christum a Pilato condemnandum populo in corona spinea, vesteque purpurea sisti.* Joan. 19. 4. *Quomodo subsistes, o homo, ubi coram judice Christo in novissimo die comparebis ?*

AFFECTUS.

Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus ? *Job. 14. 13.*

Dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ, dicam Deo : Noli me condemnare. *Job. 10 1.*

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum. *Psalm. 50. 6.*

AD PRÆFATIONEM.

*Meditare eosdem Judæos, qui quinque ante diebus* Hosanna *Christo acclamarunt, nunc vociferari :* Crucifige, crucifige eum. *Joan. 19. 6. Numquid similis in te est inconstantia ?*

AFFECTUS.

Perfice gressus meos in semitis tuis, ut non moveantur vestigia mea. *Ps. 16. 6.*

Confirma me in verbis tuis. *Ps. 118. 28.*

Tenebit me dextera tua. *Ps. 138. 9.*

SUB CANONE.

*Meditare, quomodo Jesus* bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum. *Joan. 19. 17. Audisne vocem Christi ?* Qui vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me. *Matth. 16. 24.*

AFFECTUS.

Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. *Cantic. 1. 3.*

Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi. *Gal. 6. 14.*

Exeamus igitur ad eum extra castra, improperium ejus portantes. *Hebr. 13. 13.*

AD ELEVATIONEM SACRÆ HOSTIÆ.

*Meditare, Christum manibus pebibusque cruci affixum, toti orbi spectabilem proponi.* Marc. 15.25. *Vide, o homo Redemptorem tuum; quo hactenus affectu illum complexus es, qui expansis hic brachiis te ad amplexum suum invitat ?*

AFFECTUS.

Dilectus meus mihi, et ego illi. *Cant. 2. 16.*

Nuntiate ei quia amore langueo. *Ibid. 5. 8.*

Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia? Certus sum quia neque mors, neque vita, neque creatura ulla poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom. 8. 35. 38.*

AD ELEVATIONEM CALICIS.

*Meditare, quam copiose Christus ex sacris quinque vulneribus sanguinem in ablutionem peccatorum tuorum effuderit. Quin, o peccator, accurris, ut munderis, hauriasque in gaudio de fontibus Salvatoris? Isaiæ 12. 3.*

AFFECTUS.

Amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. *Ps. 50. 3.*

Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? Nonne tu qui solus es? *Job. 14. 4.*

Cor mundum crea in me, Deus. *Ps. 50. 11.*

POST ELEVATIONEM,

*Meditare, quomodo, Christo crucifixo,* a sexta hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. *Matth. 27.45. Quales erunt tenebræ infernales!* Matth. 25. 30.

AFFECTUS.

Dimitte me, ut plangam paululum dolorem meum: antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine. *Job. 10. 20.*

Forsitan tenebræ conculcabunt me. *Ps. 138. 10.*

AD MEMENTO PRO DEFUNCTIS.

Illuminare, *o Jesu,* his qui in tenebris et in umbra mortis sedent. *Luc. 1. 79.*

AD PATER NOSTER.

*Meditare septena* Christi *verba, ab ipso in cruce prolata.* 1. Christus *pro inimicis oravit; quid tu facis?* 2. *Latro pœnitens cœlum obtinuit; disce tam serio (non tam sero) agere pœnitentiam.* 3. *Mater Joanni, hic illi commendatur; cui te melius commendes?* 4. Christus *se derelictum queritur, et tu solatia tibi deberi putes?* 5. *Sitivit* Christus *salutem tuam, et tu eam nauseas?* 6. Christus *consummatum esse tormentum suum indicavit; sic omnia tua bona et mala consummabuntur.* 7. *Denique spiritum tuum, exemplo* Christi, *commenda*

*in manus Patris tui cælestis*. Lucæ 23. 46.

AFFECTUS.

1. Et nos dimittimus debitoribus nostris. *Matth. 6. 12.*

2. *Fac et me audire:* Hodie mecum eris in paradiso. *Lucæ. 23. 43.*

3. *O Maria*, ecce *ego* filius tuus. *Joan. 19. 26.*

4. Ne derelinquas me, domine Deus meus, ne discesseris a me. *Ps. 37. 22.*

5. Sitivit in te anima mea. *Ps. 62. 2.*

6. *Felix, qui* cursum consummavit, fidem servavit. 2. *Tim. 4. 7.*

7. In manus tuas commendo spiritum meum. *Lucæ 23. 46.*

AD DIVISIONEM S. HOSTIÆ.

*Meditare animæ Christi a corpore separationem.* Matth. 27. 50. Statutum est *omnibus* hominibus semel mori. *Hebr. 9. 27.*

AFFECTUS.

Moriatur anima mea morte justorum! *Num 23. 10.*

Sive vivimus, sive morimur, Domini sumus. *Rom. 14. 8.*

Beati mortui, qui in Domino moriuntur. *Apoc. 14. 13.*

AD AGNUS DEI, SACERDOTE PECTUS TUNDENTE.

*Meditare, quomodo multi eorum, qui viderant Christum in cruce morientem*, percutientes pectora sua, *redierunt.* Lucæ 23. 48. *An non et tuum pectus in signum veri doloris de peccatis tuis percutias?*

AFFECTUS.

Percutio, Domine, cum publicano pectus meum, et dico: Propitius esto mihi peccatori. *Lucæ 18. 23.*

Et nunc, Domine, memor esto mei, et ne vindictam sumas de peccatis meis, neque reminiscaris delicta mea, vel parentum meorum. *Tob. 3. 3.*

Cito anticipent nos misericordiæ tuæ. *Ps. 78. 8.*

AD COMMUNIONEM SACERDOTIS.

*Meditare sepulturam Christi.* Joan. 19. 41. *Petit is a te pro sepulchro cor tuum.*

AFFECTUS.

Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps. 56. 10.*

Surge, Domine, in requiem tuam, tu et arca sanctificationis tuæ. *Psalm. 131. 8.*

Gaudebit tecum cor meum. *Prov. 23. 15.*

AD COLLECTAS ULTIMAS, SEU PRECES QUAS ELATA VOCE LEGIT AUT CANIT SACERDOS.

*Meditare lætam ac gloriosam Christi resurrectionem.* Marc. 16. 6. Mortui estis (*inquit Apostolus ad Coloss.* 3. 3.) et vita vestra est abscondita cum Christo in Deo.

AFFECTUS.

Salvatorem expectamus Dominum nostrum Jesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. *Phil. 3. 20. 21.*

Quando veniam, et apparebo ante faciem Dei? *Ps. 41. 2.*

Cupio dissolvi, et esse cum Christo. *Phil. 1. 23.*

AD BENEDICTIONEM.

*Meditare, quomodo Christus in cœlum ascendens benedixerit Discipulis suis.* Marc. 16. 19. In hoc vocati estis, ut benedictionem hæreditate possideatis. 1. *Pet. 3. 9.*

AFFECTUS.

Salvum fac populum tuum Domine, et benedic hæreditati tuæ. *Ps. 27. 12.*

Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus. *Ps. 66. 6.*

Beati, qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. *Ps. 83. 5.*

OBLATIO PERACTI SACRIFICII.

Suscipe, sancta Trinitas sacrificium hoc Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, quod divinæ Majestati tuæ in memoriam ejusdem passionis et mortis obtuli: cujus infinitis meritis, oro, delicta, et negligentiæ meæ omnes compensentur. Quoniam ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Amen. 1. *Joan. 4. 10.*

AFFECTUS

*Amantis animæ in Deum hominem pro nobis crucifixum S. Francisci Xaverii.*

O Deus, ego amo Te,
Nec amo Te, ut salves me,
Aut, quia non amantes Te
Æterno punis igne.
Tu, tu, mi Jesu, totum me
Amplexus es in cruce,
Tulisti clavos, lanceam,
Multamque ignominiam,
Innumeros dolores,
Sudores et angores,
Ac mortem. Et hæc propter me,
Ac pro me peccatore!
Cur igitur non amem Te,
O Jesu amantissime?
Non, ut in cœlo salves me,
Aut, ne æternum damnes me:

Nec præmii ullius spe;
Sed, sicut Tu amasti me,
Sic amo, et amabo Te:
Solum, quia Rex meus es,
Et solum, quia Deus es.
Amen.

# PRECES

## RECITARI SOLITÆ IN MISSIS PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Jesu, Salvator mundi, exaudi preces supplicum.

Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei; quia manus Domini tetigit me.

Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem,

Jesu, Salvator, etc.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum.

Miseremini, etc.

Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini?

Jesu Salvator, etc.

Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Miseremini, etc.

*Sequentia e Missa Defunctorum.*

Dies iræ, dies illa
Solvet sæculum in favilla,
Teste David cum Sibylla.

Quantus tremor est futurus,
Quando Judex est venturus
Cuncta stricte discussurus!

Tuba mirum spargens sonum
Per sepulchra regionum,
Coget omnes ante thronum.

Mors stupebit et natura,
Cum resurget creatura,
Judicanti responsura.

Liber scriptus proferetur,
In quo totum continetur,
Unde mundus judicetur.

Judex ergo cum sedebit,
Quidquid latet, apparebit:
Nil inultum remanebit.

Quid sum miser tunc dicturus?
Quem patronum rogaturus,
Cum vix justus sit securus?

Rex tremendæ Majestatis,
Qui salvandos salvas gratis,
Salva me, fons pietatis.

Recordare, Jesu pie
Quod sum causa tuæ viæ,
Ne me perdas illa die.

Quærens me sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor non sit cassus.
Juste judex ultionis,
Donum fac remissionis
Ante diem rationis.
Ingemisco tamquam reus,
Culpa rubet vultus meus,
Supplicanti parce, Deus.
Qui Mariam absolvisti,
Et latronem exaudisti,
Mihi quoque spem dedisti.
Preces meæ non sunt dignæ:
Sed tu bonus fac benigne,
Ne perenni cremer igne.
Inter oves locum præsta,
Et ab hædis me sequestra,
Statuens in parte dextra.
Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.
Oro supplex et acclinis,
Cor contritum quasi cinis,
Gere curam mei finis.
Lacrymosa dies illa,
Qua resurget ex favilla
Judicandus homo reus!
Huic ergo parce, Deus:
Pie Jesu Domine,
Dona eis requiem.
Amen.

Miserere mei, Deus, * secundum magnam misericordiam tuam.

Et secundum multitudinem miserationum tuarum: * dele iniquitatem meam.

Amplius lava me ab iniquitate mea, * et a peccato meo munda me.

Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, * et peccatum meum contra me est semper.

Tibi soli peccavi et malum coram te feci: * ut justificeris in sermonibus tuis, et vincas cum judicaris.

Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, * et in peccatis concepit me mater mea.

Ecce enim veritatem dilexisti: * incerta et occulta sapientiæ tuæ manifestasti mihi.

Asperges me hyssopo, et mundabor: * lavabis me, et super nivem dealbabor.

Auditui meo dabis gaudium et lætitiam, * et exultabunt ossa humiliata.

Averte faciem tuam a peccatis meis, * et omnes iniquitates meas dele.

Cor mundum crea in me, Deus, * et spiritum rectum innova in visceribus meis.

Ne projicias me a facie tua, * et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

Redde mihi lætitiam salutaris tui, * et spiritu principali confirma me.

Docebo iniquos vias tuas, * et impii ad te convertentur.

Libera me de sanguinibus, Deus, Deus salutis

meæ, * et exultabit lingua mea justitiam tuam.

Domine, labia mea aperies, * et os meum annuntiabit laudem tuam.

Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: * holocaustis non delectaberis.

Sacrificium Deo spiritus contribulatus: * cor contritum et humiliatum, Deus, non despicies.

Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua, Sion:* ut ædificentur muri Jerusalem.

Tunc acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, et holocausta: * tunc imponent super altare tuum vitulos.

De profundis, etc. *Vide supra, p. 18.*

Requiem æternam, etc.

Et lux perpetua, etc.

Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda:

Quando cœli movendi sunt et terra:

Dum veneris judicare sæculum per ignem.

Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira.

Quando, etc.

Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ, dies magna, et amara valde.

Dum veneris, etc.

Requiem æternam dona eis, Domine.

Et lux perpetua luceat eis.

Libera, etc.

Kyrie eleyson. Christe, eleison. Kyrie, eleyson.

Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulos tuos Pontificali (*seu* Sacerdotali) fecisti dignitate vigere: præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniæ largitor et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam; ut nostræ congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas, etc.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

*In die Commemorationis omnium defunctorum, omissis precibus, dicitur Oratio præcedens:* Fidelium Deus, *et in fine:* Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam, etc.

℣. Requiescant, etc.

### *In die obitus vel depositionis.*

ORATIO.

Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui N. (*vel* famulæ tuæ N.) ut defunctus (*vel* defuncta) sæculo tibi vivat: et quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum, etc.

### *Pro defuncto Episcopo.*

ORATIO.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes, famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere: præsta, quæsumus; ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum, etc.

*Pro Sacerdote dicitur eadem Oratio: sed loco* Pontificali *dicitur* Sacerdotali.

### *Pro patre vel matre defuncta.*

ORATIO.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare præcepisti: miserre clementer animæ patris mei N. (*vel* matris meæ N.) meque eum (*vel* eam) in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum, etc.

*Pro utroque simul dicitur* animabus patris et matris meæ, meque eos, etc.

*Pro defunctis fratribus, propinquis, benefactoribus. Oratio:* Deus, veniæ, etc. *ut supra p. 44.*

# VI

## PRECES ANTE CONFESSIONEM.

ORATIO.

*Examini conscientiæ præmittenda, ad agendas Deo gratias pro beneficiis acceptis, atque etiam ad peccatorum cognitionem et veram de iis contritionem obtinendam.*

O clementissime Deus, gratias tibi ago maximas, quod, spectata summa mea negligentia, in graviora etiam peccata non cecidi, et in hoc miserrimo meo statu, te miserante, non sum mortuus; etsi adhuc ingratum me semper præbui, jam equidem firmiter statuo, memori usque animo pro tantis beneficiis te laudare atque benedicere Deum meum ac Dominum, in sæcula sæculorum. Amen.

Illumina me, Domine, qui observasti omnes vias meas, et vestigia pedum meorum considerasti. O! veni, lux vera, et pelle tenebras cordis mei, ut videam quid in me displiceat Tibi, et ut omnia peccata mea corde contrito deflere, eaque rite confiteri, et serio emendare valeam.

Suscipe confessionem meam, et parce mihi, benignissime Domine Jesu Christe, quem ego peccator non sum dignus nominare, quia te multum offendi, mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ecce flector coram Te supplex, o Deus, o Bonitas infinita, et confundor, et erubesco levare faciem meam ad Te, quoniam iniquitates meæ multiplicatæ sunt, et sicut onus grave gravatæ sunt super me. Sed Tu, clementissime Jesu, propitius esto mihi peccatori. Ne in furore tuo arguas me, Domine, neque projicias me a facie tua, o bone Jesu, qui dixisti: Nolo mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat. Suscipe, quæso, me pœnitentem, et ad Te corde contrito revertentem. Tu Salvator meus es, et Deus meus, ego servus tuus, quamvis malus, quamvis indignus et peccator. Sed parce, o pie Jesu, qui in cruce mortuus es, ut peccatores salvos faceres. Ad quem confugiam, nisi ad Te, qui spes mea es et salus mea? si tu

me rejicis, quis me recipiet? quem adjutorem quæram? quis medebitur iniquitatibus meis? Miserere mei, o benignissime Domine, et servi tui cor contritum et humiliatum ne despicias. Da mihi, obsecro, veram et perfectam peccatorum meorum contritionem, ut illa ex intimo cordis dolore detester. Emitte, piissime Deus, meritis Immaculatæ Virginis Mariæ et Sanctorum tuorum, lucem tuam in animam meam, quæ omnes defectus meos mihi ostendat, quos jam confiteri me oportet.

Adjuva me gratia tua, ut illos integre, humiliter, et corde contrito sacerdoti vicario tuo explicare, de illis dolere, et plenam omnium remissionem a tua bonitate infinita obtinere possim. Amen.

O clementissima Virgo, Jesu Christi Redemptoris mei mater dilectissima, miserere mei, et intercede pro me ad Dominum Jesum Filium tuum, et Deum meum. Impetra mihi plenam eorum remissionem, et perfectam vitæ emendationem, ad animæ meæ salutem, et tuam tuique Filii Jesu gloriam sempiternam. Amen.

Eamdem a te gratiam submisse peto, o sancte mi Custos Angele, et a vobis, o sancti Patroni mei, sancte Petre, sancta Magdalena, et omnes Sancti et Sanctæ Dei; intercedite pro me peccatore, de peccatis pœnitentiam agente, jamque ea confiteri et emendare volente. Amen.

*Hac oratione examini præmissa, cogita, tibi præsentem esse Deum Judicem, cujus oculis nuda et aperta sunt omnia. Recogita peccata tua in amaritudine animæ tuæ, et diligenter inquire in omnes tuas cogitationes, verba, opera, etc.*

# TABULA PECCATORUM

## QUIBUS HOMO MAXIME OBNOXIUS ESSE SOLET.

### COGITATIONES.

Toties....inhæsi voluntarie cum consensu cogitationibus.

Superbis.
Otiosis,
Vagis in oratione,
Impuris,
Cupidis,
Invidiosis,
Iracundis cum odio,
Vindicativis,
Suspiciosis , cum temerario judicio,
Fraudulentis,
Blasphemis,
Hæreticis,
Desperabundis.

### VERBA.

Toties.... cum scandalo vel detrimento proximi locutus sum verba

Otiosa,
Jactatoria,
Superba,
Impudica,
Irrisoria,
Maledica,
Execratoria,
Blasphema,
Detractoria,
Contumeliosa,
Mendacia, cum juramento,
Ironica,
Fraudulenta,
Adulatoria,
Seductoria.

### OPERA.

Toties.... peccavi his operibus:

Fui otiosus.
Neglexi ista....
Pecuniam inutiliter impendi.
Orationes, ad quas obligor, omisi.
Concionem neglexi.
Dies Festos male impendi.
Jejunia violavi.
Superbus fui in vestibus, etc.
Avarus et durus in pauperes.
Impudicus mecum vel cum aliis.
Intemperans in cibo et potu.
Segnis in rebus divinis.
Injuriam feci.
Furatus sum tantum....
Fraudes exercui.
Læsi in corpore vel honore alium.
Inobediens fui.
Contumax.
Seduxi alios.
Scandalum dedi grave, tot et talibus, etc.

## EXAMEN PRO CONFESSIONE GENERALI.

*Circa peccata gravia, numerus, quantum fieri potest, et circumstantiæ notabiliter aggravantes, aut speciem malitiæ mutantes, necessario explicandæ sunt. Nec reticendum est, si alios ad flagitia seduxerimus, vel scandalum dederimus.*

### I. PRÆCEPTUM DECALOGI.

*Ego sum Dominus Deus tuus: non habebis deos alienos coram me, nec facies tibi sculptile, ut adores illud.*

Feci *toties* confessiones sacrilegas, omittendo voluntarie unum vel plura gravia peccata, vel non eliciendo dolorem et propositum serio me emendandi. In tali statu *toties*.... communionem frequentavi.

Dubitavi de aliquo fidei articulo advertenter et voluntarie, nec restiti, *toties.*

Legi libros hæreticos, superstitiosos, prohibitos, etc. Dedi eosdem *tot* aliis legendos....

Gravibus superstitionibus fidem adhibui, iis usus sum, et alios in easdem induxi....

Desperavi de emendatione vitæ, vel impetranda peccatorum meorum venia. Confessionem diu distuli, etiam in vitæ periculo constitutus. Murmuravi contra Deum, vel eumdem blasphemavi.

In imprecationibus Sacramenta et vulnera Christi nominavi.

Complacentiam habui in *tali* peccato commisso.... et de illo gloriatus sum.

Superbivi de donis gratiæ et naturæ, eaque meis meritis, non divinæ gratiæ attribui.

### II. PRÆCEPTUM.

*Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.*

Juravi falsum (vel dubitans de veritate) per Deum, vel animam, etc.

Cum juramento promisi me malum grave facturum, animo servandi.... *Hoc vero juramentum non tenemur nec debemus servare.*

Rem licitam juravi animo non servandi....

Affirmavi falsum cum imprecatione, v. g.: Deus me puniat; non fiam salvus: diabolus me auferat; non discedam ex hoc loco, etc. *Maxime cavendæ sunt formulæ hujusmodi:* Quam vere Deus vivit, etc.

Votum hoc feci, et non servavi....

Verba sacra ad facetias et inhonesta applicavi....

Nomen Domini sine reverentia nominavi....

III. PRÆCEPTUM.

*Memento ut diem Sabbati sanctifices.*

Missam die Dominico vel Festo non audivi, cum possem, vel notabilem illius partem neglexi, veniendo post Evangelium. In eadem multum fabulatus sum.... Aut mea culpa fui diu distractus.... alios quoque in illa turbavi.

*Ecclesiastici et Religiosi hic circa Horas canonicas sese examinent.*

Feci opera servilia diebus Dominicis vel Festis.... vel hos dies lusibus, conviviis, compotationibus, pravis colloquiis, occupationibus lucrosis, aut profanis, cum neglectu concionum, etc. transegi, vel per meos ejusmodi res fieri permisi....

*Divini hujus et Ecclesiæ præcepti finis est, non solum abstinere a servili opere, nec otio, aut insolentiis, aut aliis occupationibus diem transigere, sed illum religiose Deo impendere.*

IV. PRÆCEPTUM.

*Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longævus super terram.*

Parentes, aut superiores graviter offendi *tali modo....* v. g. illos læsi, vel execratus sum, vel mortem optavi. In rebus decentibus me iis opposui, detraxi, etc.

Non subveni parentibus in necessitate, cum possem. Testamentum illorum et ultimam voluntatem non sum executus....

*Videant parentes, an e contrario liberos ad iracundiam provocaverint, hos aut domesticos suos in rebus divinis impediverint, etc.*

V. PRÆCEPTUM.

*Non occides.*

Odio gravi aliquem sum persecutus *tam diu*, vulneravi, aut aliter læsi, vel id facere optavi; non me conciliavi ei, dum ad Sacramenta Confessionis et Communionis irem.

Optavi aliis mortem, vel damnum; aut gavisus sum, dum mors aut malum illis eveniret.

De bono illorum dolui.

Affeci alios injuria, calumniis, contumeliis, etc. Suscitavi inter illos per susurrationem, aut similes modos, discordias.

Miseris in extrema necessitate, cum possem, non subveni.

VI. ET IX PRÆCEPTUM.

*Non mæchaberis: Non*

*concupisces uxorem proximi tui.*

*Qui in statu conjugali degunt, examinent se, an re aut modo contra hujus status decentiam deliquerint. Non enim conjunguntur Christiani* sicut gentes, quæ ignorant Deum. *Tob. 8. 5.* Filii quippe Sanctorum sumus.

Cogitationibus lascivis voluntarie inhæsi, iisque me oblectavi, cum desiderio peccandi circa personas liberas, vel conjugatas, vel, etc. *toties.*

Osculis, aspectu, vel impuro contactu *hac vel illa ratione,* mecum vel cum aliis peccavi, *toties.*

Verbis, cantilenis, libris impuris sum usus, aliosque seduxi.

Munusculis, blanditiis, etc. ad peccandum conatus sum allicere.

In consuetudine talium peccatorum hæsi, *tamdiu.*

*Quæ præterea circa hanc materiam committi possunt, cuilibet conscientia dictabit. Omnia vero clare, breviter, et verecunde aperienda sunt tamquam gravissima, ut plurimum, animæ vulnera.*

VII. ET X. PRÆCEPTUM.

*Non furtum facies: non concupisces domum, non agrum, etc.*

Proximo per furtum, fraudem, vel alium illicitum modum, grave damnum intuli, *tanti pretii;* nondum restitui, cum possem.

Volui damnum alii inferre, effectu tamen ob defectum occasionis non secuto. *Vel* concupivi res alienas. Lucrum aliorum impedivi.

Chartarum vel alearum lusu, potationibus, otio, aliisque similibus modis facultates proprias, parentum, prolium, etc. inutiliter consumpsi.

Injustas lites et processus suscitavi vel fovi.

Simoniace comparavi mihi vel aliis beneficia ecclesiastica, *tot.... tali via....* Proventus juxta ratam, neglecta horarum recitatione, non restitui Ecclesiæ, nec in pauperes distribui....

Res inventas non restitui, cum possem: nec in usus pios illas converti....

Usuras illicitas *tales* exercui....

Debita persolvere distuli, neglexi, nolui.

*Bene consideranda est sententia S. Augustini. Epis. 54. ad Maced. post med.* Si res aliena, propter quam peccatum est, cum reddi possit, non redditur, non agitur pœnitentia, sed fingitur. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

VIII. PRÆCEPTUM.

*Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.*

Mentibus sum cum damno proximi, gravi vel levi, in judicio vel extra illud, *vel* leviter, *vel* officiose; ex consuetudine sum mentitus.

Detraxi graviter alienæ famæ, falsum crimen illi affigendo : vel occultum, licet verum, cum infamatione proximi detegendo, secreta revelando, etc.

Temere alios judicavi in re gravi, etc.

Detrahentibus aures et animum benevolum præbui, promovi illorum sermones, laudavi, et, cum possem impedire, id non feci, etc.; adulatus sum, etc.

*Tam ad restitutionem ablati honoris, quam fortunarum, quisque obligatur.*

Susurronem egi. *De quo crimine supra quoque facta est mentio : prætereundum illud non est, cum sit gravissimum, et hoc tempore usitatissimum, de quo Eccli. 28. 16.* Susurro et bilinguis maledictus.

*Tametsi pleraque peccata hic insinuata sunt, juvabit tamen, ne quid notabile prætereas, percurrere quinque Ecclesiæ præcepta, peccata capitalia, peccata in Spiritum sanctum, peccata in cœlum clamantia, peccata aliena. Quæ proinde subjicimus.*

QUINQUE PRÆCEPTA ECCLESIÆ.

1. Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato. 2. Sacrum Missæ officium diebus Festis reverenter audito. 3. Indicta certis diebus jejunia, et a quibusdam cibis abstinentiam observato. 4. Peccata tua sacerdoti proprio, aut alteri cum ejus facultate, singulis annis confitetor. 5. Sacrosanctam Eucharistiam ad minimum semel in anno, idque circa Festum Paschæ, sumito.

*Anno 21. ætatis completo, tenetur quilibet ad jejunium Ecclesiasticum in Quadragesima, quibusdam Vigiliis, Quatuor anni Temporibus, etc. nisi aliunde excusetur.*

SEPTEM PECCATA CAPITALIA.

1. Superbia. 2. Avaritia. 3. Luxuria. 4. Invidia. 5. Gula. 6. Ira. 7. Acedia.

*Quædam* Superbiæ *peccata enumerata sunt circa* I. *Præceptum, pag. 49.* Avaritiæ *circa* VII. *Præcept. pag. 51.* Luxuriæ *circa* VI. *et* IX. *Præcept.* Invidiæ *et* Iræ *circa* V. *Præcept. Si*

*quid ibi præteritum, hic supple, simulque indaga in* Gulæ *vitia, ebrietatem, intemperantiam in cibo, uti et in* Acediam, *etc.*

### SEX PECCATA IN SPIRITUM SANCTUM.

1. Præsumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati. 2. Desperatio. 3. Agnitæ veritatis impugnatio. 4. Fraternæ charitatis invidentia. 5. Obstinatio. 6. Impœnitentia.

### QUATUOR PECCATA IN CŒLUM CLAMANTIA.

1. Homicidium voluntarium. 2. Peccatum sodomiticum. 3. Oppressio pauperum, viduarum, atque pupillorum. 4. Merces operariorum defraudata.

### NOVEM PECCATA ALIENA HIS DUOBUS VERSIBUS EXPRIMUNTUR:

1. Jussio; 2. consilium; 3. consensus; 4. palpo; 5. recursus;
6. Participans; 7. mutus; 8. non obstans; 9. non manifestans.

*Examine conscientiæ rite peracto, eliciantur actus Fidei, Spei et Charitatis; præterea una alterave ex sequentibus orationibus eligatur, quam excipiat actus contritionis.*

### I. ORATIO.

*Juxta exemplum S. Petri, quando quis in peccata, quæ emendare statuerat, rursus incidit.*

Ad te, Domine Jesu, denuo supplex revertor, qui peccando a te toties discessi: quo enim ibo, nisi ad te: si tu me repellis, quis me suscipiet? si tu me condemnas, a quo veniam sperabo? firmissime quidem antehac statui servare justificationes tuas, omniaque peccata, potissimum illa.... vitare; sed eheu! instabilis factus sum, et concupiscentiæ illecebris seductus, te iterum dereliqui. Peccavi, quid faciam? quo me convertam miser, nisi ad te, in quo est salus, vita et resurrectio nostra? Respice in me, Domine Jesu, quemadmodum in Petrum respexisti, et miserere mei. Utinam dolorem cordis mei tot lacrymis, quot ille, contestari possem! In tua misericordia, mi Jesu, quæ major est quam mea sit iniquitas, spem omnem pono. Plus tu potes dimittere, quam ego committere. Ne projicias me a facie tua. Dic animæ meæ: *Salus tua ego sum.* Ps. 34. 3.

II. ORATIO.

*Juxta exemplum S. Mariæ Magdalenæ.* Luc. 7.

Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut plorem die ac nocte peccata mea, quibus te, amantissime Jesu, toties ad iram provocavi? Ad pedes tuos cum Magdalena provolvor, eosque ex animo amplector et exosculor, tuam supplex misericordiam implorans. Parce, Domine, parce peccatis meis: quæ utinam tam largo lacrymarum imbre, quam peccatrix illa, possem eluere! Harum defectum, mi Jesu, roseo tuo, quem pro me copiosissime fudisti, sanguine compensa. A pedibus tuis non discedam: hos firmiter tenebo, tamquam salutis meæ anchoram, nec dimittam, donec benedixeris mihi, et audiam illa summæ consolationis verba: *Remittuntur tibi peccata tua.* Matth. 9. 2.

III. ORATIO.

*Juxta exemplum Filii prodigi.* Luc. 15.

Pater, peccavi in cœlum, et coram te: jam non sum dignus vocari filius tuus. Desideriis et concupiscentiis meis obtemperavi, te fidelissimo Patre contempto. Fodi mihi cisternas consolationum terrenarum, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas, te fonte aquæ vivæ derelicto. Gaudium in creaturis quæsivi, quod in te solo inveniri potest. Vere *non est pax impiis.* Quare ad te redeo, o benignissime Pater, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus. Iterum exclamo: Pater, peccavi in cœlum, et coram te: redde mihi, obsecro, licet filii nomine indigno, gratiæ tuæ vestem, quam peccatis meis perdidi: restitue amoris tui annulum, quem amore creaturarum pessumdedi; ut hoc ornatu in cœna tua Eucharistica gratiosus comparere merear, tibique æternum conjungi. *Mihi enim adhærere Deo bonum est.* Ps. 72. 28.

IV. ORATIO.

*Juxta exemplum Zachæi ad restitutionem famæ, vel bonorum ablatorum.*

Confiteor adversum me injustitiam meam tibi, Domine; inique egi, non modo contra divinæ Majestatis tuæ honorem, verum et proximi mei charitatem, quem ut diligerem sicut meipsum, præcepisti. Sæpe, fateor, graviterque contra hoc tuum præceptum peccavi: cupidus, heu! nimium fui rerum

temporalium, aliorum damno: nimis laudis propriæ appetens, aliorum contemptu. Quid tandem proderit mihi, si universum mundum lucratus fuero, animæ vero meæ detrimentum faciam? quid ex mundi gloria mihi erit, si ad infernum descendam? quid a cœlo, quid a terra sperare possum, te Deo meo offenso? Agnosco, Deus meus, inique me hactenus egisse, et in multis proximo injuriam intulisse: ignosce culpam agnoscenti. In satisfactionem, et tuæ voluntatis adimpletionem, propono et statuo, te adjuvante, omnium damna a me sive in honore, sive in bonis proximo illata, quantum possum, resarcire, et aliquam insuper eleemosynam elargiri. Aufer a me, quod hactenus fovi, cor lapideum, durum et invidum; et redde cor carneum, cor humanum, cor mite, tuæque benignitati conforme, ut et ego inter filios Abrahæ a te electos recenseri merear. Tu enim *venisti salvum facere quod perierat.* Luc. 18. 19.

### V. ORATIO.

*Juxta exemplum Latronis in cruce, si quis pænitentiam distulerit.*

Sero ad te venio, o Jesu crucifixe! tempus est, ut me tibi conciliem: quot enim juvenes æque ac senes mors interea abstulit, dum ego peccatis indulsi? an non et ego una cum illis e medio tolli æternumque damnari potuissem? quid te, mi Jesu, movit, ut mihi præ aliis parceres, nisi bonitas tua infinita? Ne ergo me, quæso, nunc a te repellas? nemo umquam serio pœnitens ad te sero nimis venit. Latroni in cruce ultimo vitæ articulo condonasti quidquid omnibus vitæ suæ annis peccavit, eodemque die in Paradisum recepisti. Per insigne hoc tuæ misericordiæ et clementiæ opus, te supplex cum eodem latrone (utinam pari amoris et doloris affectu) oro, o Jesu Nazarene, miserere mei, et in tuam licet indignum me gratiam recipe. Fateor amarissimæ tuæ Passionis et Crucis causam esse delicta mea, quæ proinde ex animo nunc detestor cum firmissimo proposito ea deinceps cum tua gratia numquam repetendi. Miserere mei, o Jesu, miserere mei, qui *misereris omnium propter pænitentiam.* Sap. 11. 24.

### VI. ORATIO.

*Juxta parabolam ovis perditæ.* Luc. 15.

Erravi sicut ovis, quæ

periit. Pastor bone, pie Jesu; quære servum tuum, et reduc me in viam mandatorum tuorum. Tu enim dixisti: Visitabo oves meas: quod perierat, requiram; et quod abjectum erat, reducam; quod confractum, alligabo; et quod infirmum consolidabo. Aspice vulnera peccatorum meorum quorum non est numerus, et sana ea. Tuis me humeris licet indignum excipe; et adduc ad gregem electorum tuorum. Ibi *misericordias Domini in æternum cantabo.* Ps. 88. 2.

### VII. ORATIO.

*Juxta parabolam incidentis in latrones.* Luc. 10.

Me miserum! qui ab Jerusalem in Jericho descendi: qui, loco veræ pacis deserto, fallaces mundi et carnis delectationes sectatus sum, et in manus infernalium latronum incidi, a quibus innocentiæ veste spoliatus, et ad mortem animæ miserando spectaculo vulneratus sum! Propitios in me oculos converte, o pie Samaritane, et miserere mei, in sanguine peccatorum meorum volutantis. Non est qui possit aut velit misero mihi in hoc statu salutarem præbere manum, præter te, Domine Jesu; in te solo omnis vitæ spes est posita; tu unicus es animæ meæ medicus; huic, obsecro, amoris tui vinum et misericordiæ oleum infunde, et induc in vulnus sacratissimi Lateris tui. *Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam.* Ps. 131. 14.

### VIII. ORATIO.

*Regis Manassis.*

Domine omnipotens, importabilis est magnificentia gloriæ tuæ, et insustentabilis ira comminationis tuæ super peccatores: immensa vero, et investigabilis misericordia promissionis tuæ: quoniam tu es Dominus altissimus, benignus, longanimis et multum misericors, et pœnitens super malitias hominum. Tu, Domine, secundum multitudinem bonitatis tuæ, promisisti pœnitentiam et remissionem iis, qui peccaverunt tibi; et multitudine miserationum tuarum decrevisti pœnitentiam peccatoribus in salutem. Tu igitur, Domine Deus justorum, non posuisti pœnitentiam justis, Abraham, et Isaac, et Jacob, iis qui tibi non peccaverunt; sed posuisti pœnitentiam propter me peccatorem: quoniam peccavi super numerum arenæ maris: multipli-

catæ sunt iniquitates meæ, et non sum dignus intueri et aspicere altitudinem cœli, præ multitudine iniquitatum mearum. Et nunc flecto genu cordis mei, precans a te bonitatem. Peccavi, Domine, peccavi, et iniquitates meas agnosco. Quare peto, rogans te, remitte mihi, Domine, remitte mihi, et ne simul perdas me cum iniquitatibus meis, neque in æternum iratus reserves mala mihi, neque damnes me in infima terræ loca, quia tu es Deus, Deus, inquam, pœnitentium; et in me ostendes omnem bonitatem tuam, quia indignum salvabis me secundum magnam misericordiam tuam, et laudabo te semper omnibus diebus vitæ meæ: quoniam te laudat omnis virtus cœlorum, et tibi est gloria in sæcula sæculorum. Amen.

### IX. ORATIO AB B. M. V.

*Celebris hæc oratio R. P. Bernardi missionarii, ex operibus sancti Bernardi desumpta est.*

*(Ind.)* Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a sæculo, quemquam ad tua currentem præsidia, tua implorantem auxilia, tua petentem suffragia, esse derelictum. Ego, tali animatus confidentia, ad te, Virgo virginum, Mater, curro, ad te venio, coram te gemens peccator assisto. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi. Amen.

### ACTUS CONTRITIONIS.

Utinam te, Domine, Deus meus, ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis super omnia (quod opto) diligam! Utinam ipsum Seraphinorum amorem exæquem, in eoque æternum persistam! Tu scis, Domine, quia amo te, magisque amare cupio: quod millies malim mori, quam in talia...... peccata relabi. O quam doleo, quod te summum et amantissimum bonum meum umquam offenderim! Utinam (quod firmissime tua fretus ope propono) te numquam vel minimo delicto offendam! Tu enim omni amore, honore et cultu dignus es, cujus sanctissimam voluntatem in omnibus exequi cupio. Amen.

*In sede confessionali, quamprimum sacerdos ad te audiendum se inclinat, dic:* Benedic, Pater.

*Accepta benedictione, recita* Confiteor, etc. *vide p. 27.* *usque ad* mea culpa *exclusive.*

*Tunc indicato tempore ultimæ confessionis, et an injunctam pœnitentiam expleveris, peccata tua recense. Conclude in hæc verba,* mea culpa, mea culpa, etc. *usque ad finem.*

*Pœnitentiam ac admonitionem, quam confessarius dederit, dimisso animo excipe: doloremque piis affectibus (tamen sine strepitu) excita.*

*Dolor de peccatis ante Absolutionem necessario eliciendus est. Nam sine contritione pœnitens non est capax Absolutionis.*

# VII.

# PRECES POST CONFESSIONEM.

### ORATIO.

Sit tibi, Domine, obsecro, meritis beatæ semper Virginis Genitricis tuæ Mariæ, et omnium Sanctorum, grata et accepta ista confessio mea: et quidquid mihi defuit nunc et alias de sufficientia contritionis, de puritate et integritate confessionis, suppleat pietas et misericordia tua: et secundum illam digneris me habere plenius et perfectius absolutum in cœlo. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti, etc.

### GRATIARUM ACTIO POST CONFESSIONEM JUXTA EXEMPLUM LEPROSI. *Luc. 17.*

Ad te, o benignissime Jesu, revertor, et gratias ago, quod a fœdissima peccatorum meorum lepra mundare me dignatus fueris. Sit nomen tuum, o Jesu, benedictum in sæcula! Vere tu Jesus, hoc est, Salvator es, qui neminem a te, quantumlibet flagitiosum, repellis: qui omnes serio pœnitentes in gratiam recipis, et in numerum filiorum tuorum adscribis. Misericordiæ tuæ viscera, o Jesu, agnosco et amplector, meque totum servitio tuo deinceps addico. Adjuva, obsecro, imbecillitatem meam; ut numquam, hujus tui mihi præstiti beneficii oblitus, amore ullius delectationis, aut præposteri affectus impulsu, in priora peccata relabar, meque a te separem. Cor et animam meam

dilectionis tuæ brachiis ita tecum constringe, ut dicere cum Apostolo audeam: QUIS NOS SEPARABIT A CHARITATE CHRISTI? *Rom. 8. 35.*

ALIA PRÆCLARA GRATIARUM ACTIO POST CONFESSIONEM, PER PSALMUM 102.

1. Benedic, anima mea, Domino: et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus.

2. Benedic, anima mea, Domino: et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

3. Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis: qui sanat omnes infirmitates tuas.

4. Qui redimit de interitu vitam tuam: qui coronat te in misericordia et miserationibus.

5. Qui replet in bonis desiderium tuum: renovabitur ut aquilæ juventus tua.

6. Faciens misericordias Dominus: et judicium omnibus injuriam patientibus.

7. Notas fecit vias suas Moysi, filiis Israel voluntates suas.

8. Miserator et misericors Dominus: longanimis, et multum misericors.

9. Non in perpetuum irascetur: neque in æternum comminabitur.

10. Non secundum peccata nostra fecit nobis: neque secundum iniquitates nostras retribuit nobis.

11. Quoniam secundum altitudinem cœli a terra: corroboravit misericordiam suam super timentes se.

12. Quantum distat ortus ab occidente: longe fecit a nobis iniquitates nostras.

13. Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se: quoniam ipse cognovit figmentum nostrum.

14. Recordatus est quoniam pulvis sumus: homo sicut fœnum dies ejus, tamquam flos agri, sic efflorebit.

15. Quoniam spiritus pertransibit in illo, et non subsistet: et non cognoscet amplius locum suum.

16. Misericordia autem Domini ab æterno: et usque in æternum super timentes eum.

17. Et justitia illius in filios filiorum, his qui servant testamentum ejus.

18. Et memores sunt mandatorum ipsius, ad faciendum ea.

19. Dominus in cœlo paravit sedem suam: et regnum ipsius omnibus dominabitur.

20. Benedicite Domino omnes Angeli ejus: potentes virtute, facientes ver-

bum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

21. Benedicite Domino omnes virtutes ejus : ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

22. Benedicite Domino omnia opera ejus : in omni loco dominationis ejus, benedic anima mea Domino.

Gloria Patri, etc.

EX P. CHRIST. MAYER, S. J.

O Jesu, Deus cordis mei, infinite misericors et longanimis, infinite suavis et amabilis, quomodo cum Patre et S. Spiritu multiplicas super me, inter cæteros electos tuos, inestimabiles divitias misericordiæ, longanimitatis, bonitatis et charitatis tuæ, hucusque toties me tam ingratum cum Petro respiciendo; toties me indignum cum Magdalena longe a te aberrantem in viam salutis revocando ; toties tam immundum in sanguine tuo dealbando ; toties tam prodigum filium in osculum pacis recipiendo; toties tam infidelem sponsam in intimam familiaritatem invitando!

Vere miserator et misericors es, Domine, patiens et multum misericors. Vere suavis es universis, et miserationes tuæ super omnia opera tua. Confiteantur tibi omnia opera tua ; maxime opera misericordiæ et pietatis, et sancti tui, miserationes tuas experti, benedicant tibi, misericordias tuas æternum cantantes.

Agnosco, veneror, amplectorque viscera misericordiæ tuæ tantæ erga me, electosque omnes comprehensores et viatores : atque illorum, omniumque possibilium creaturarum possibili affectu gratias ago, agamque æternum pro ineffabili illo æternæ dilectionis excessu, quo me inter illos a tot peccatis, in quæ incidissem, clementer præservasti; in tot quotidie toties labentem tam longanimiter tolerasti; tam misericorditer ad pœnitentiam lapsum extimulasti; tam benigne pœnitentem in gratiam recepisti : insuper mihi tam liberaliter efficacem voluntatem resipiscendi, copiosam gratiam sanctius deinceps vivendi, et firmam spem perseverandi, gloriamque consequendi, communicare hucusque dignatus es.

Pro his aliisque innumeris bonitatis tuæ beneficiis, utinam tota vita laudassem te, et gratias egissem ! Utinam te infinito honore et amore dignissimum semper amassem, et glorificassem!

Utinam te numquam offendissem, nec offendam posthac in æternum!

Sed eheu! quam parum agnovi, amavi, glorificavi te, o Bonitas infinita! Quid retribui tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi, præter innumeras offensiones, ingratitudinem, negligentiam? Doleo de his, et de omnibus et singulis totius vitæ peccatis, ex animo, non propter supplicii metum, aut gloriæ detrimentum; sed pure propter te, Deum meum infinite amabilem, quia tibi, quem diligo diligamque æternum super omnia, displicent.

Ardenter desidero, firmiterque propono emendare omnia peccata mea, maxime hæc.... cum gratia tua, per hæc remedia..., et novo fervore me totum tuo impendere servitio...

Per eamdem benignitatem et charitatem tuam infinitam, qua cum Patre et Spiritu sancto, o bone Jesu, me ingratum peccatorem, et pœnitentes omnes toties oculis misericordiæ tuæ tam benigne respexisti, longanimiter tolerasti, in sanguine tuo dealbasti, et nunc respicere, tolerare, et dealbare non desinis, memento et miserere totius Ecclesiæ tuæ sanctæ, ejusque capitum et membrorum...

O Regina Sanctorum omnium, Mater Dei et Virgo, S. Angele custos, Sancti Patroni mei NN. omnesque Electi, benedicite, laudate, et superexaltate Dominum mecum, et pro me, pro hoc aliisque beneficiis, mihi et vobis, omnibusque collatis et conferendis in æternum: gratiamque impetrate, illum nunc perfecte glorificandi in via, olim beate vobiscum in patria; æternum illi cum Cherubim et Seraphim accinentes: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

O Jesu infinite amabilis, unde mihi, tam vili terræ vermiculo, tam immundo peccatori, tam ingrato servo, tam prodigo filio, tam infideli sponsæ, tanta miseratio tantæ benignitatis; tanta dignatio tantæ majestatis; tanta dilectio tantæ charitatis, ut me toties a te longe aberrantem, oculis misericordiæ tuæ respicere, erroneum reducere, cæcum illuminare, lapsum erigere et ad pacis osculum invitare digneris! Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth.

Agnoscaris, ameris, et glorificeris infinite ab omnibus, in omnibus, super om-

nia, gratis, propter te, in æternum et ultra.

Quomodo multiplicas super me hucusque misericordiam, charitatem et bonitatem tuam! Agnosco, veneror, amplector, omniumque creaturarum possibilium possibili affectu gratias ago, agamque in æternum.

Quam parum et imperfecte te, infinito honore, amore, obsequio dignissimum, redamavi, glorificavi, insuper quoties sic... offendi! Agnosco, detestor ingratitudinem meam tantam erga te, atque ex animo doleo propter te. Ignosce, supple per te. Ex momento hoc, te tuumque sanctissimum beneplacitum brachiis dilectionis, et omni possibili pietatis affectu (licet me velles annihilare, aut reprobare, quod infinita bonitas tua non permittet), arctissime constringo, constringamque in æternum.

Da ut sciam, velim, possim id perfecte præstare, sicut scis et vis; et omnes mecum, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum.

Jesu, Deus cordis mei, da gratiam omnia peccata, maxime hoc.... emendandi, in hac... virtute proficiendi, hoc... opus reformandi, in sancta vocatione perseverandi. Fac, ut in te vivam, in te moriar, in te perennem : sim, obsecro, totus tuus, et tu meus, o Jesu, in æternum, per merita tua, beatæ Virginis, et omnium Sanctorum.

HIC PŒNITENTIAM INJUNCTAM PERSOLVE.

Similem gratiam, indulgentiam, misericordiam omnibus, pro quibus mori dignatus es, et pro quibus maxime orare teneor et soleo, præsta, o bone Jesu, per infinitam charitatem tuam, per lacrymas, sudorem, et sanguinem tuum, per merita beatæ Virginis Matris tuæ, et omnium Sanctorum.

Defunctis requiem concedendo, ut a peccatis expiati, et in refrigerium educti, pro me ingrato peccatore, te perfectissime ament, laudent et glorificent.

Justos in gratia constitutos conservando, promovendo, adjuvando, ut in sanctitate, et justitia tibi servientes, omnibus diebus vitæ suæ, eant de virtute in virtutem, donec beate videaris ab eis in cœlesti Sion.

Peccatores omnes oculis misericordiæ tuæ benigne respiciendo, ad agnitionem, timorem et amorem tui misericorditer convertendo, ut

et ipsi, dealbati in Sanguine tuo, misericordias tuas nunc in terris, olim in cœlis, cum Beatis omnibus, decantent in æternum. Amen.

# VIII.

# PRECES ANTE COMMUNIONEM.

### I. ORATIO.

Ad mensam dulcissimi convivii tui, pie Domine, Jesu Christe, ego peccator, de propriis meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia et bonitate, accedere vereor et contremisco. Nam cor et corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem et linguam non caute custoditam. Ergo, o pia Deitas, o tremenda Majestas, ego miser, inter angustias deprehensus, ad te fontem misericordiæ recurro; ad te festino sanandus; sub tuam protectionem confugio; et quem Judicem sustinere nequeo, Salvatorem habere suspiro. Tibi, Domine, plagas meas ostendo; tibi verecundiam meam detego. Scio peccata mea, multa et magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus. Respice in me oculis misericordiæ tuæ, Domine Jesu Christe, Rex æterne, Deus et Homo, crucifixe propter hominem. Exaudi me sperantem in te, et miserere mei, pleni miseriis et peccatis; tu qui fontem miserationis numquam manare cessabis. Salve, salutaris victima, pro me et omni humano genere, in patibulo crucis oblata. Salve, nobilis et pretiose Sanguis, de vulneribus crucifixi Domini mei Jesu Christi profluens, et peccata totius mundi abluens. Recordare, Domine, cræaturæ tuæ, quam tuo sanguine redemisti. Pœnitet me peccasse, cupio emendare quod feci. Aufer ergo a me, clementissime Pater, omnes iniquitates et peccata mea; ut purificatus mente et corpore, digne degustare merear Sancta Sanctorum, et concede, ut sancta prælibatio Corporis et Sanguinis tui, quam ego indignus sumere intendo, sit peccato-

rum meorum remissio, sit delictorum perfecta purgatio, sit turpium eogitationum effugatio, bonorumque sensuum regeneratio, operumque tibi placentium salubris efficacia, animæ quoque et corporis, contra inimicorum meorum insidias, firmissima tuitio. Amen.

## II. ORATIO.

### *S. Thomæ Aquinatis.*

Omnipotens sempiterne Deus, ecce accedo ad Sacramentum unigeniti Filii tui Domini nostri Jesu Christi. Accedo, tamquam infirmus ad medicum vitæ, immundus ad fontem misericordiæ, cæcus ad lumen claritatis æternæ, pauper et egenus ad Dominum cœli et terræ. Rogo ergo immensæ largitatis tuæ abundantiam, quatenus meam curare digneris infirmitatem, lavare fœditatem, illuminare cæcitatem, ditare paupertatem, vestire nuditatem; ut Panem Angelorum, Regem regum et Dominum dominantium tanta suscipiam reverentia et humilitate, tanta contritione et devotione, tanta puritate et fide, tali proposito et intentione, sicut expedit saluti animæ meæ. Da mihi, quæso, Dominici Corporis et Sanguinis non solum suscipere Sacramentum, sed etiam rem et virtutem Sacramenti. O mitissime Deus, da mihi Corpus unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, quod traxit de Virgine Maria, sic suscipere, ut corpori suo mystico merear incorporari, et inter ejus membra connumerari. O amantissime Pater, concede mihi dilectum Filium tuum, quem nunc velatum in via suscipere propono, revelata tandem facie, perpetuo contemplari. Qui tecum vivit et regnat, etc.

## ORATIONIS DOMINICÆ PARAPHRASIS, QUA OPTIME FIT AD SACRAM COMMUNIONEM PRÆPARATIO.

### *Pater noster.*

Potentissime, sapientissime, clementissime, qui ut dulcedinem in filios tuos demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples: et quæ creasti, omnia tam paterne et mirabiliter alis, foves ac conservas : ecce et ego unus, licet vilissimus, filiorum tuorum, confidenter nunc levo oculos meos ad te, qui es in cœlis, ut tu paternæ benevolentiæ oculis respicias super me miserum et inopem, procul agentem a facie Patris, in-

ter filios Evæ, in valle lacrymarum, exulem et peregrinum super terram, et suspirantem ad te dulcissimum Patrem meum.

*1. Sanctificetur nomen tuum.*

Hoc enim est præcipuum votum et desiderium cordis mei, ut omnia quæ facio, dico, cogito, cedant ad majorem gloriam nominis tui: et nunc præcipue, cum ad sacra mysteria Corporis et Sanguinis Filii tui venio, hoc unum intendo, hoc unice desidero, ut laudetur suprema majestas, potestas, bonitas, et sapientia tua: cui debetur ab omni creatura omnis honor et gloria, æterna laus et gratiarum actio: quia sic dilexisti nos, ut Filium tuum unigenitum nobis dares et in cibum, et in salutis pretium. Pro quo, cum digne a nobis laudari nequeas, utinam ipse Filius tuus clarificet te! nam et tu exaltasti eum super omnia, et dedisti illi nomen, quod est super omne nomen.

*2. Adveniat regnum tuum.*

Hujus regni tui felicitatem ac delicias in hoc Sacramento prælibamus. Dedisti enim nobis, in pignus futuræ gloriæ, Corpus et Sanguinem Filii tui, et sic nos quoque per gratiam adoptionis fecisti tibi hæredes, cohæredes autem Christi.

Interim vero, dum adhuc in exilio peregrinamur a Domino, fac nos sic uti hoc sacro pignore, ut in dies magis magisque in nobis proficiat regnum tuum gratiæ, et tandem perveniat in nos regnum tuum gloriæ.

*3. Fiat voluntas tua.*

Quæ est autem voluntas tua, nisi sanctificatio nostra; maxime cum accessuri sumus ad hæc Sancta Sanctorum? Vis etiam, ut manducemus Carnem Filii hominis, et bibamus Sanguinem ejus, alias non habituri vitam in nobis. Quis autem hoc facere præsumeret, conscius infirmitatis suæ, nisi id tam amanter et dignanter tu, una cum Filio, velles et præciperes? (Nam idem est utrique velle, idem posse). Quia ergo ita vis, fiat quod vis, et quomodo vis. Nempe Sanctos nos esse vis, quia Sanctus est, imo Sanctus Sanctorum, ad quem accedimus, Filius tuus. Sed quis sanctum faciet, nisi tu? Da quod jubes: fac ut sancta non tractemus nisi sancte, et religiose. Unde, *sicut in cœlo,* Sancti pleno ore, puro corde, et ardenti desiderio

manducant hunc Panem vivum, revelata facie, ita *et* nos *in terra*, magno desiderio, et puro affectu comedamus eum, sub speciebus velatum, donec et nos cum Electis fruamur illo in propria specie, et satiemur ab ubertate domus tuæ.

4. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.*

Oculi enim omnium in te sperant, Domine, et tu das illis escam in tempore opportuno. Tu aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione: et mihi deesse poteris? Scis autem, Domine, quia non minus anima quam corpus cibo reparari indiget, ut vivat. Nam sicut hoc naturalis calor, sic illam æstus concupiscentiæ continuo depascitur. Sed o felices filios, qui in domo tanti Patris (Ecclesia) sic abundant panibus! Hic panis gratiæ et verbi Dei copiose frangitur. Hic panis Sacramentorum, et præsertim Panis ille vivus, qui de cœlo descendit, qui natus in Bethlehem, id est in domo panis; Panis Angelorum, manna cœli, omnibus apponitur. O pretiosa et nobilis esca! o grandis æterni Patris charitas et misericordia! Mihi enim non serenti, neque metenti, neque horrea habenti, **Frumentum** Electorum et Panis vitæ e cœlo datur. Tu, Domine, seminasti illum in terris; tu mortis falce messuisti; tu eum in horreo Ecclesiæ tuæ nutriendis filiis tuis totum exposuisti.

Da mihi ergo, benignissime Pater, ut hoc Pane sæpius digne reficiar: imo etiam quotidie (si non sacramentaliter, saltem spiritualiter) recipiam, quod quotidie mihi prosit; nam quia pecco et deficio quotidie, merito etiam quotidie remedium accipio, quod vires reficiat. O utinam hoc cœlesti Pane et Viatico ita sustenter in hoc deserto, ut in fortitudine cibi illius ambulem usque ad montem Dei!

5. *Et dimitte nobis debita nostra.*

Heu! quam multa et gravia sunt debita nostra! In multis enim offendimus omnes. Quare miseri nos et inopes solvendi non fuimus, nec sumus.

Sed ecce, Domine, apud te est misericordia, et copiosa apud Filium tuum redemptio; quem, nostri misertus, dedisti nobis. Ille justus, impollutus et innocens per omnia; quod nos debuimus, ille solvit; quod

nos peccavimus, ipse luit: et justitiæ tuæ abunde satisfecit, donans nos immensum thesaurum meritorum suorum, et infinitum pretium Sanguinis sui.

Hoc autem totum pretium velut depositum habemus, in pretioso sanctissimi Sacramenti scrinio reconditum. Hunc ergo thesaurum nunc offero tibi, o Pater æterne, ut inde capias, quantum exigis a me, pro debitis meis. Ego unde solvam, non habeo; at Filii tui superabundant merita, ut inde nostra solvantur debita.

Propter hunc itaque dimitte nobis, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris. Dimittimus, inquam, ne forte extra vinculum charitatis, indigne tractemus Sacramentum pacis et unitatis, et frustra a Deo quæramus medelam, si homines hominibus reservemus iram. Quæ enim nobis communicatio in Corpore et Sanguine Domini, si membris corporis ejus mystici, id est, proximis nostris, communione pacis et amoris non conjungimur?

Oportet nos utique, cum accedere volumus ad altare, prius reconciliari fratribus nostris, si quid habent adversum nos, et sic venire ad offerendum munus nostrum. Hoc Filius tuus nos et facere docuit, et ipse fecit. Nam pendens in cruce et solvens omnium debita, dimisit inimicis suis, et pro tortoribus te supplex oravit, dicens: Pater, ignosce illis. Dimitte mihi itaque debita mea, pro quibus Filius tuus offert merita sua; his enim seclusis, si iniquitates observaveris, Domine, quis sustinebit?

### 6. *Et ne nos inducas in tentationem.*

O Domine, qui parasti in conspectu nostro mensam adversus omnes, qui tribulant nos, et hic panem apponis, qui cor hominis confirmat adversus omnes tentationes mundi, carnis et dæmonis; da mihi, per cibum cœlestem et vivificum, vires et robur ut tentatus non succumbam, sed tibi constanter adhæream.

Non studeam esse amicus hujus mundi, aut conformari huic sæculo, sed virtute cælestis cibi transformer in te, ut uni tibi placere cupiam, et displicere timeam. Sordeat mihi terra, quia hic cœlum intueor, et mundi totius Dominum complector.

Nihil me carnis deliciæ moveant, cui carne Agni immaculati et manna cœli ve-

sci datur , in quo delicias longe majores et omnem saporis suavitatem invenio.

Dæmon vero quid poterit in me, quando mecum est Deus? Si autem Deus pro nobis, quis contra nos?

7. *Sed libera nos a malo.*

Multis enim in hac vita casibus et miseriis obnoxii sumus: ea vero censentur mala, quatenus nos fragiles dejiciunt, et abstrahunt a te : abduci autem a te , id est, summo bono , hoc utique est summum malorum. Quis vero liberabit nos ab hoc malo, nisi tu, fons omnis boni, et quem nobis dedisti advocatum apud te, omnisque salutis et felicitatis auctorem , Jesus Christus, qui nos a peccato et a morte liberavit in Sanguine suo?

Hoc mediatore , fac ut omnia nobis cooperentur in bonum, quia non est nobis in alio aliquo salus. Is ergo ut vere præsens est in hoc Sacramento , ita nobiscum sit ubique; ille nos pascat, regat, conservet, protegat, ducat pro clementissimo suo beneplacito, velut oves pascuæ suæ: quidquid nobis evenerit, malum non erit, si non separet nos a summo bono. Nam mihi adhærere Deo bonum est. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram?

---

# MODUS SE PRÆPARANDI

## AD SACRAM COMMUNIONEM PIA PASSIONIS ET MORTIS CHRISTI CONSIDERATIONE.

*Quotiescumque* (ait Apostolus 1. Cor. 11.) *manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.*

ORATIO PRÆPARATORIA.

Domine Jesu, qui Carnem et Sanguinem tuum in cibum potumque mihi præparare dignatus es, in ejusque sumptione passionis et mortis tuæ memoriam recoli voluisti, da gratiam, ut huic sanctissimæ tuæ voluntati satisfacere, uberesque hujus Sacramenti fructus percipere valeam. Amen.

I. *Christus ultimam cœnam instituit.*

Cum tuos, o Jesu! dilexisses, vere in finem dilexisti eos : temetipsum enim, ex hoc mundo abiens, sub speciebus panis et vini in terris reliquisti, ut semper nobiscum esses. Quid tibi vicissim, o Jesu! rependam? Accipe corpus et animam meam, meque totum posside, qui te totum mihi in cibum tradere voluisti.

II. *Lavat discipulorum pedes.*

Ad discipulorum tuorum, ipsius etiam Judæ, pedes te, o Jesu! prosternere, eosque manibus tuis abluere dignatus es. Et ego pulvis et cinis, ego terræ vermiculus, ego homo impius persistam in superbia? Fac, Domine, ut vilior fiam plus quam factus sum, et sim humilis in oculis meis. 2. *Reg. 6.*

III. *Angitur in horto, et sanguinem sudat.*

Tuus in horto mœror et angor, sanguineum tibi, o Jesu! sudorem expressit, et in hæc verba exclamare coegit: Tristis est anima mea usque ad mortem. Væ mihi, ob cujus peccata tu, Domine Jesu, adeo contristatus es! Sanguinem sudasti; et ego tam exiguum de illis dolorem sentio? Quis dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, ut fleam die ac nocte? *Jerem. 9.*

IV. *Ab Angelo confortatur.*

Ut calicem amarissimæ passionis, tibi, o Jesu! a Patre tuo cœlesti oblatum, acceptares, persuasit Angelus. Num ego eumdem a te mihi propinatum recusem? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. *Ps. 115.*

V. *A Juda osculo traditur.*

Perfidum, o Jesu! osculum a Juda admittere, paternum vero proditori reddere dignatus es. Ne permittas, mi Jesu, ut ego tam impio te osculo, in hoc sanctissimo Sacramento, excipiam. Aufer proinde a me omnem inordinatum creaturarum affectum, ut te toto corde diligam, et sincero affectu amplectar: Tu enimvero es DEUS CORDIS MEI. *Ps. 72.*

VI. *Christus capitur.*

Spiritus oris nostri, Christus Dominus captus est in peccatis nostris. Et ego deinceps suavissimo tuorum, o Jesu! mandatorum jugo excusso, vivendo captem libertatem? Trahe me, oro, post te; trahe me, inquam, in funiculis Adæ, in vincu-

lis charitatis, et curram in odorem unguentorum tuorum. *Cant. 1.*

VII. *Ad Annam et Caipham ducitur.*

Ad Annam et Caipham, summos pontifices, o Jesu! tamquam gravissimorum flagitiorum reus, traheris; ad falsas accusationes, alapas, sputa, aliaque opprobria non aperis os tuum. Ubi est patientia mea? Te, mi Jesu, supplex oro, ut mihi in hoc Sacramento tribuas patientiam, mansuetudinem. 1 *Tim. 6.*

VIII. *Præsidi Pontio Pilato sistitur.*

Pontio Pilato judici te, o Jesu! condemnandum sisti pateris, qui a Patre tuo constitutus es Judex vivorum et mortuorum : nimirum, ut me a sententia æternæ damnationis absolveres. Væ mihi, si indigna Corporis et Sanguinis tui sumptione, aut ullo deinceps gravi peccato, me tui judicii, o Jesu! reum faciam! 1. *Cor. 11. 9.*

IX. *Ab Herode spernitur.*

Herodes cum universa aula te, mi Jesu, ob modestiam et humilitatem tuam spernit, albaque indutum veste, cum ludibrio, ad Pilatum remittit. Ne umquam, o Jesu! permittas, ut et ego humilem tuam, sub candidis panis speciebus, præsentiam ullo umquam modo spernam, aut parvi faciam. Tu enim vere es Deus hic ABSCONDITUS. *Isaiæ 45. 15.*

X. *Barabbæ latroni postponitur.*

Unanimem, mi Jesu, iniquissimæ plebis, Barabbam tibi præferentis, vocem dimisso animo audivisti. Utinam ego numquam hujus mundi bona, honores, voluptates tibi, o Jesu! præferam! Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? *Ps. 72.*

XI. *Flagellatur.*

A planta pedis usque ad verticem capitis non fuit in te, mi Jesu, sanitas, quando virgineum corpus tuum, ab impiis denudatum, diris modis est cæsum. Supplex ad thronum gratiæ tuæ, in hoc SS. Sacramento mihi erectum, procido. Ne in me, horum omnium auctore, tantam immanitatem ulciscaris, cum Jobo in amaritudine animæ meæ exclamo : Noli me condemnare. *Job. 10.*

XII. *Spinis coronatur.*

Egredimini, et videte, filiæ Sion, regem Salomonem in diademate suo. O speciose forma præ filiis hominum! o

Rex gloriæ, Christe Jesu, tene video spinis coronatum? Et ego in vultu, aut ulla corporis parte, vanam affectem gloriam? Deus meus, confundor, et erubesco levare faciem meam ad te. 1. *Esdr. 9. 6.*

XIII. *Ecce homo.*

Quis est iste, qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra, iste formosus in stola sua? Itane, mi Jesu, attrita, laceraque purpura regium est paludamentum tuum? arundo sceptrum? spinæ corona? Parce, ah, parce mihi peccatori, cum veneris in nube, cum potestate magna. *Luc. 21.*

XIV. *Condemnatur.*

Ab iniquis, o Jesu! te innocentem condemnari permisisti, ut a me nocente sententiam æternæ damnationis averteres. Fac, ut denique audiam, cum electis tuis, in summa die: VENITE, BENEDICTI.. *Matth. 25.*

XV. *Crucem bajulat.*

Posuit in te, mi Jesu, Pater tuus cœlestis iniquitatem omnium nostrum. Pondus hoc in cruce lubens suscepisti, montemque Calvariæ conscendisti. Utinam et ego sic post te venire contendam, ut tollam crucem meam, et sequar te! *Matth. 16.*

XVI. *Crucifigitur.*

Sol obscuratus est, te, Jesu, in cruce pendente, terra mota est, petræ scissæ sunt: et ego pudore non suffundor? non moveor? non conteror? Largi sanctissimis manibus pedibusque fontes scaturiunt; et ego non accurro? Etiamnum surdis et torpentibus auribus excipiam voces Prophetæ: In illa die (quæ nunc per gratiam mihi illuxit) haurietis aquas in gaudio, de fontibus salvatoris? Vere, mi Jesu, apud te est fons vitæ. *Ps. 35.*

XVII. *Ultima morientis verba.*

Prima tibi, o Jesu! morienti cura fuit, ut peccatores, ii etiam, qui te cruci affixerunt, Patri tuo reconciliarentur: PATER, inquiebas, DIMITTE ILLIS: NON ENIM SCIUNT QUID FACIUNT. Et ego ulli, qui me umquam offendit, ignoscere detrectem, dum ad te, mi Jesu, in amoris Sacramento sumendum accedo? Absit, o Jesu! Omnibus amore tui ex animo condono, quidquid in me umquam peccarunt, præsertim illis N. Fac me, obsecro, in hora mortis meæ cum latrone illa audire

verba: HODIE MECUM ERIS IN PARADISO: et patere, ut te fratrem meum in hoc Sacramento amplectar, qui dulcissimam Genitricem tuam mihi in Matrem dedisti, teque a Patre tuo in extremo mortis agone derelinqui permisisti, ne is me æternum in peccatis meis derelinqueret Ardentissime insuper salutem meam SITIVISTI, ut vicissim anima mea sitiret ad te, fortem, vivum: donec CONSUMMATO hujus vitæ cursu, IN MANUS TUAS COMMENDEM SPIRITUM MEUM. Veni, Domine Jesu. *Apoc. 22.*

XVIII. *Christus moritur.*

Utinam mihi licuisset, o Jesu! ore et corde meo ultimum vitæ tuæ spiritum excipere, ut dicere possem: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Quam benignus es, o Jesu! Quod enim tam ardenter desidero, id in gloriosissimo hoc Sacramento mihi concedis; non modo spiritum tuum, verum et corpus, ipsamque divinam tuam substantiam ore et corde sumendam mihi tradis. Quomodo possum te non diligere? SI QUIS NON AMAT DOMINUM NOSTRUM JESUM CHRISTUM, SIT ANATHEMA. 1. *Cor. 16.*

XIX. *Latus lancea aperitur.*

Tunc mihi, o Jesu! ad urbem et domum refugii aditum patefecisti, quando lancea latus tuum aperiri voluisti. Hæc requies mea: hic habitabo, quoniam elegi eam. *Ps. 131.*

XX. *Sepelitur.*

Virgineum corpus tuum, o Jesu! munda sindone involutum, sepulcro novo est conditum. Amplius, amplius lava me, o Jesu! et a peccato meo munda me: cor mundum crea in me, quo sanctissimum tuum nunc redivivum et gloriosum Corpus tamquam munda sindone excipiam, eique ita amore conjungar, ut vere possim dicere: Neque mors, neque vita, neque ulla creatura me separabit a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom. 8.*

*Tria amoris ad Jesum suspiria, ante Communionem.*

1. Accende, o Jesu! igne amoris tui cor meum, quod tibi in holocaustum offero, omnesque terreni amoris flammas extingue; ut nihil in mundo mihi placeat præter te. In amore tui vivere cupio, et mori exopto.

2. Vox tua, mi Jesu, est: Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos. Expansis in cruce brachiis, me expectas.

En venio, o Jesu! admitte me, obsecro, æternumque in amoris tui complexu tibi conjunctus permaneam.

3. Præcipitur mihi, ne appaream in conspectu tuo vacuus. Sed quid dabo tibi, mi Jesu? Accipe tuæ bonitatis dona, animæ meæ facultates, quas tibi in obsequium offero, memoriam, intellectum, voluntatem. Tui solius meminerim, nihil sciam extra te, nihil præter te amem, nec in ulla re mea, sed tua sola voluntas fiat. Amen.

---

## SEPTEM DIVERSI MODI PIE COMMUNICANDI,

### QUIBUS CHRISTUS ET COMMUNICANS IN VARIA IMAGINE CONSTITUUNTUR, JUXTA VERSUS SEQUENTES:

SEPTEM IMAGINES CHRISTI.

1. Rex, 2. Judex, 3. Medicus, 4. Sponsus, 5. Dux, 6. Victima, 7. Numen.

SEPTEM COMMUNICANTIS.

1. Mendicus, 2. Reus, 3. Æger, 4. Amans, 5. Pugil, 6. Hostia, 7. Pulvis.

SEPTEM PETITIONES.

1. Da, 2. Parce, 3. Et Sana, 4. Satia, 5. Rege, 6. Suscipe, 7. Serva.

SEPTEM CORRESPONDENTIA MYSTERIA PASSIONIS.

1. Cœna, 2. Hortus, 3. Flagrum, 4. Spinæ, 5. Crux, 6. In cruce, 7. Funus.

---

## I MODUS

### PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM *sedentem in* CŒNA MAGNA *considera, sub imagine* REGIS *dicentis: Matth. 28. 18.* Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. *Et Proverb. 8. 18.* Mecum sunt divitiæ, et gloria, etc. *Ad quem tu velut egenus et mendicus accede, solamque ejus* gratiam pete.

ORATIO.

Ad te, o Rex gloriæ Jesu Christe! in Cœna tua regia, ego pauper et sordidus accedo, qui coram te, nisi tua bonitas me invitasset, comparere non auderem. Respice miseriam ac necessitatem

meam, cui sublevandæ sola sufficit gratia tua : quam unice per hujus SS. Sacramenti sumptionem peto: hæc sola REPLET IN BONIS DESIDERIUM MEUM. *Ps. 102.*

## II. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM *in* HORTO *Gethsemani (quem vallis Josaphat comprehendit) considera ut* JUDICEM, cui Pater omne judicium dedit. *Joan. 5. 22. Tu ut* REUS *accede, et* veniam tuorum delictorum precare.

ORATIO.

Quid faciam, o Jesu! cum in loco eodem, quo ad mortem propter scelera mea angustiatus es, surrexeris ad judicandum, de quavis cogitatione, verbo et opere rigidissimam exacturus rationem? Fateor, me tuam majestatem in multis offendisse. Sed parce, o clementissime Jesu! parce per SS. Vulnera tua, amore mei suscepta. Ad thronum clementiæ tuæ, in sanctissimo hoc Eucharistiæ Sacramento, accedo, submissaque confidentia te supplex oro: CUM VENERIS JUDICARE, NOLI ME CONDEMNARE. *Job 10.*

## III. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM *in* FLAGELLATIONE *considera ut* MEDICUM, cujus livore sanati sumus. *Isaiæ 53. Tu ab illo, velut* ÆGER *aut vulneratus a latronibus,* medelam pete.

ORATIO.

O misericors Samaritane, Christe Jesu, cujus virginea caro dirissimis pro me flagellis cæsa, roseusque sanguis copiosissime pro me effusus, unica meorum vulnerum est medicina. Utinam ejus virtutem in præsenti experiar, et cum hora mortis meæ advenerit, eodem immortalitatis pharmaco refici merear! Est enim hoc pharmacum, quod REDIMIT AB INTERITU VITAM MEAM. *Ps. 102.*

## IV. MODUS

PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM SPINIS CORONATUM *considera ut* SPONSUM, qui sponsavit te sibi in sempiternum. *Os. 2. 19. Tu illum vicissim* AMA, *ut Sponsa, tuaque cœlestium voluptatum* desideria ab eo postula expleri.

ORATIO.

Quis ego sum, o Jesu! propter me spineo diademate redimite, qui de me dignatus es dicere: In charitate perpetua dilexi te: sponsabo te mihi in misericordia, et in miserationibus?

Quo majore potuisses me honore et amore prosequi? Lætare et exulta, anima mea, quia speciosus forma præ filiis hominum in thalamum te suum extulit, tecumque æterno amoris vinculo vult conjungi. Et nunc quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam, fodiasque tibi cisternas fallacium voluptatum? Quin ad illum amore flagrans accurris, qui SPONSUS tuus esse dignatur, et qui TORRENTE VOLUPTATIS SUÆ POTABIT TE? *Ps. 35.*

## V. MODUS

### PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM CRUCEM BAJULANTEM *considera ut* DUCEM, *omnibus inclamantem:* Confidite, ego vici mundum. *Joan. 16. ult. Tu ut timidus* PUGIL *ad hunc accede; et roga, ut te, dum a mundo, carne et diabolo oppugnaris,* dignetur regere et confortare.

### ORATIO.

O Dux fortissime! o victor gloriosissime, Christe Jesu! qui potentissimo crucis ligno mundum, carnem, et diabolum superasti. Quomodo ego pavidus et imbecillis contra tam potentes inimicos subsistam, nisi tu me adjuves? Blanditur caro, seducit mundus, impellit diabolus: sine tua ope, mi Jesu, de salute mea actum est. Proinde ad te, in sanctissimo hoc Sacramento, confugio: tu rege, defende, et conforta me: SEQUAR TE QUOCUMQUE IERIS. *Luc 9. 57.*

## VI. MODUS

### PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM CRUCIFIXUM *considera ut* VICTIMAM propitiatoriam pro peccatis nostris. 1 *Joan. 2. 2. Tu te ut* HOSTIAM *eidem adjunge, eamque ut recipere dignetur, supplex ora.*

### ORATIO.

O Christe Jesu! qui pro nobis in cruce perfectissimum Patri tuo factus es holocaustum, et propitiatio pro peccatis nostris: en ego me tecum in sanctissimo hoc Altaris Sacramento conjunctum, Patri tuo, quem et meum fecisti, in hostiam offero. Fac ut tecum suscipiar IN ODOREM SUAVITATIS. *Ezech. 20. 41.*

## VII. MODUS

### PIE COMMUNICANDI.

CHRISTUM *in* FUNERE *et sepulchro considera ut* NUMEN, in quo abscondita est vita nostra. *Col. 3. 3. Tu roga, ut postquam in pulvere dormieris, te resuscitet,* et salvum faciat.

ORATIO.

Scio, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo te, Deum meum, quem nunc sub speciebus panis et vini absconditum sumere intendo. Funus tuum et sepulchrum, o Jesu! mihi viam hanc ad immortalitatem aperuit, QUANDO VENIAM ET APPAREBO ANTE FACIEM DEI? *Ps. 41.*

*Jam ad Sacramentum accessurus, in comitatum tuum invita B. Virginem, Angelum tutelarem, S. Josephum, aliosque sanctos Patronos tuos, in hunc vel similem modum:*

ORATIO

*In accessu ad S. Communionem.*

Adeste, o beatissima Virgo! una cum conjuge tuo S. Josepho, tuque, o Angele Custos, et vos præ ceteris mihi dilecti Patroni NN., latus meum stipate, viamque ad mensam Domini mihi parate.

*Plura ab iis petenda suggeret devotio.*

# PRECES ANTE MISSAM,

E MISSALI ROMANO TRANSCRIPTÆ.

*Præparatio ad Missam pro opportunitate Sacerdotis facienda.*

Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris. *Hæc Ant. in festis dupl. duplicatur. Tempore Paschali add. in fine:* Alleluia.

PSALMUS 83.

Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum! concupiscit et deficit anima mea in atria Domini.

Cor meum et caro mea: exultaverunt in Deum vivum.

Etenim passer invenit sibi domum: et turtur nidum sibi, ubi ponat pullos suos.

Altaria tua, Domine virtutum: Rex meus et Deus meus.

Beati qui habitant in domo tua, Domine : in sæcula sæculorum laudabunt te.

Beatus vir, cujus est auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit in valle lacrymarum, in loco quem posuit.

Et enim benedictionem dabit legislator; ibunt de virtute in virtutem : videbitur Deus deorum in Sion.

Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam : auribus percipe, Deus Jacob.

Protector noster, aspice, Deus : et respice in faciem Christi tui.

Quia melior est dies una in atriis tuis: super millia.

Elegi abjectus esse in domo Dei mei : magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.

Quia misericordiam et veritatem diligit Deus : gratiam et gloriam dabit Dominus.

Non privabit bonis eos qui ambulant in innocentia : Domine virtutum, beatus homo qui sperat in te.

Gloria Patri.

PSALMUS 84.

Benedixisti, Domine, terram tuam : avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam : avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster : et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis : aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos : et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam : et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus : quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super sanctos suos : et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi : justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est : et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem : et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit : et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri.

PSALMUS 85.

Inclina, Domine, aurem tuam et exaudi me : quo-

niam inops et pauper sum ego.

Custodi animam meam, quoniam sanctus sum : salvum fac servum tuum, Deus meus, sperantem te in.

Miserere mei, Domine, quoniam ad te clamavi tota die : lætifica animam servi tui, quoniam ad te, Domine, animam meam levavi.

Quoniam tu, Domine, suavis et mitis : et multæ misericordiæ omnibus invocantibus te.

Auribus percipe orationem meam : et intende voci deprecationis meæ.

In die tribulationis meæ clamavi ad te : quia exaudisti me.

Non est similis tui in diis, Domine : et non est secundum opera tua.

Omnes gentes, quascumque fecisti, venient et adorabunt coram te, Domine: et glorificabunt nomen tuum.

Quoniam magnus es tu, et faciens mirabilia : tu es Deus solus.

Deduc me, Domine, in via tua, et ingrediar in veritate tua : lætetur cor meum, ut timeat nomen tuum.

Confitebor tibi, Domine Deus meus, in toto corde meo : et glorificabo nomen tuum in æternum.

Quia misericordia tua magna est super me : et eruisti animam meam ex inferno inferiori.

Deus, iniqui insurrexerunt super me : et synagoga potentium quæsierunt animam meam, et non proposuerunt te in conspectu suo.

Et tu, Domine Deus, miserator et misericors : patiens, et multæ misericordiæ, et verax.

Respice in me, et miserere mei : da imperium tuum puero tuo, et salvum fac filium ancillæ tuæ.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur : quoniam tu, Domine, adjuvisti me, et consolatus es me.

Gloria Patri.

### PSALMUS 115.

Credidi, propter quod locutus sum: ego autem humiliatus sum nimis.

Ego dixi in excessu meo: Omnis homo mendax.

Quid retribuam Domino: pro omnibus, quæ retribuit mihi ?

Calicem salutaris accipiam : et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus: pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.

O Domine, quia ego servus tuus : ego servus tuus et filius ancillæ tuæ.

Dirupisti vincula mea : tibi sacrificabo hostiam laudis, et nomen Domini invocabo.

Vota mea Domino reddam in conspectu omnis populi ejus : in atriis domus Domini, in medio tui, Jerusalem.

Gloria Patri.

PSALMUS 129.

De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes : in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates observaveris, Domine : Domine, quis sustinebit?

Quia apud te propitiatio est : et propter legem tuam sustinui te, Domine.

Sustinuit anima mea in verbo ejus : speravit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem : speret Israel in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : et copiosa apud eum redemptio.

Et ipse redimet Israel : ex omnibus iniquitatibus ejus.

Gloria Patri.

*Ant.* Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, etc.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Ego dixi : Domine, miserere mei.

℟. Sana animam meam, quia peccavi tibi.

℣. Convertere, Domine, aliquantulum.

℟. Et deprecare super servos tuos.

℣. Fiat misericordia tua, Domine, super nos.

℟. Quemadmodum speravimus in te.

℣. Sacerdotes tui induantur justitiam.

℟. Et sancti tui exultent.

℣. Ab occultis meis munda me, Domine.

℟. Et ab alienis parce servo tuo.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Aures tuæ pietatis, mitissime Deus, inclina precibus nostris, et gratia sancti Spiritus illumina cor nostrum : ut tuis mysteriis digne ministrare, teque æterna charitate diligere mereamur.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum : purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere et digne laudare mereamur.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine: ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paraclitus, qui a te procedit, illuminet, et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis.

Deus qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando purifica, ut veniens Dominus noster Jesus Christus Filius tuus, paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO S. AMBROSII ANTE MISSAM.

Ad mensam dulcissimi, etc. *Vide supra pag. 63.*

ORATIO S. THOMÆ AQUINATIS ANTE MISSAM.

Omnipotens, etc. *Vide supra pag. 64.*

---

## ORATIONES

### PRO SINGULIS DIEBUS SEPTIMANÆ.

ORATIO S. AMBROSII.

DIE DOMINICA.

Summe sacerdos et vere Pontifex, Jesu Christe, qui te obtulisti Deo Patri hostiam puram et immaculatam in ara crucis pro nobis miseris et peccatoribus, et qui dedisti nobis carnem tuam ad manducandum, et sanguinem tuum ad bibendum, et posuisti mysterium istud in virtute Spiritus sancti tui, dicens: Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis; rogo per eumdem sanguinem tuum,

magnum salutis nostræ pretium; rogo per hanc miram et ineffabilem charitatem, qua nos miseros et indignos sic amare dignatus es, ut lavares nos a peccatis nostris in sanguine tuo; doce me, servum tuum indignum, quem inter cætera dona tua etiam ad officium sacerdotale vocare dignatus es, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ; doce me, quæso, per Spiritum sanctum tuum, tantum tractare mysterium ea reverentia et honore, ea devotione et timore, quibus oportet et decet. Fac me per gratiam tuam semper illud de tanto mysterio credere et intelligere, sentire et firmiter tenere, dicere et cogitare, quod tibi placet, et expedit animæ meæ. Intret spiritus tuus bonus in cor meum, qui sonet ibi sine sono, et sine strepitu verborum loquatur omnem veritatem. Profunda quippe sunt nimis, et sacro tecta velamine. Propter magnam clementiam tuam concede mihi Missarum solemnia mundo corde et pura mente celebrare. Libera cor meum ab immundis et nefandis, vanis et noxiis cogitationibus. Muni me beatorum Angelorum pia et fida custodia, ac tutela fortissima, ut hostes omnium bonorum confusi discedant. Per virtutem tanti mysterii et per manum sancti Angeli tui repelle a me, et a cunctis servis tuis, durissimum spiritum superbiæ et cenodoxiæ, invidiæ et blasphemiæ, fornicationis et immunditiæ, dubietatis et diffidentiæ. Confundantur qui nos persequuntur, pereant illi qui nos perdere festinant.

### FERIA II.

Rex virginum, et amator castitatis et integritatis, cœlesti rore benedictionis tuæ extingue in corpore meo fomitem ardentis libidinis, ut maneat in me tenor castitatis corporis et animæ. Mortifica in membris meis carnis stimulos omnesque libidinosas commotiones, et da mihi veram et perpetuam castitatem cum cæteris donis tuis, quæ tibi placent in veritate, ut sacrificium laudis casto corpore et mundo corde valeam tibi offerre. Quanta enim cordis contritione et lacrymarum fonte, quanta reverentia et tremore, quanta corporis castitate et animæ puritate istud divinum et cœleste sacrificium est celebrandum, ubi caro tua in veritate sumitur, ubi sanguis tuus in veritate bibitur, ubi

ima summis, terrena divinis junguntur, ubi adest sanctorum Angelorum præsentia, ubi tu es sacrificium et sacerdos mirabiliter et ineffabiliter constitutus?

### FERIA III.

Quis digne hoc celebrare poterit, nisi tu, Deus omnipotens, offerentem feceris dignum? Scio, Domine, et vere scio, et idipsum pietati tuæ confiteor, quia non sum dignus accedere ad tantum Mysterium, propter nimia peccata mea et infinitas negligentias meas. Sed scio, et veraciter ex toto corde meo credo, et ore confiteor, quia tu potes me facere dignum, qui solus potes facere mundum de immundo conceptum semine, et de peccatoribus justos et sanctos. Per hanc omnipotentiam tuam te rogo, Deus meus, ut concedas mihi peccatori hoc sacrificium celebrare, cum timore et tremore, cum cordis puritate et lacrymarum fonte, cum lætitia spirituali et cœlesti gaudio. Sentiat mens mea dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ, et excubias sanctorum Angelorum tuorum in circuitu meo.

### FERIA IV.

Ego enim, Domine, memor venerandæ Passionis tuæ, accedo ad altare tuum, licet peccator, ut offeram tibi sacrificium, quod tu instituisti, et offerri præcepisti in commemorationem tui, pro salute nostra. Suscipe illud, quæso, summe Deus, pro Ecclesia sancta tua et pro populo, quem acquisivisti sanguine tuo. Et quoniam me peccatorem inter te et eumdem populum tuum medium esse voluisti, licet in me aliquod boni operis testimonium non agnoscas, officium saltem dispensationis creditæ non recuses; nec per me indignum eorum salutis pereat pretium, pro quibus victima salutaris dignatus es esse redemptio. Profero etiam, Domine (si digneris propitius intueri), tribulationes plebium, pericula populorum, captivorum gemitus, miserias orphanorum, necessitates peregrinorum, inopiam debilium, desperationes languentium, defectus senum, suspiria juvenum, vota virginum, lamenta viduarum.

### FERIA V.

Tu enim misereris omnium, Domine, et nihil odisti eorum quæ fecisti. Memorare quæ sit nostra substantia, quia tu Pater noster

es, quia tu Deus noster es; ne irascaris satis, neque multitudinem viscerum tuorum super nos contineas. Non enim in justificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Aufer a nobis iniquitates nostras, et ignem sancti Spiritus in nobis clementer accende. Aufer cor lapideum de carne nostra; et da nobis cor carneum, quod te amet, te diligat, te delectetur, te sequatur, te perfruatur. Oramus, Domine, clementiam tuam, ut sereno vultu familiam tuam, sacri tui nominis officia præstolantem, aspicere digneris; et, ut nullius sit irritum votum, nullius vacua postulatio, tu nobis preces suggere, quas ipse propitius audire et exaudire delecteris.

### FERIA VI.

Rogamus etiam te, Domine sancte Pater, et pro spiritibus fidelium defunctorum, ut sit illis salus, sanitas, gaudium et refrigerium hoc magnum pietatis sacramentum. Domine Deus meus, sit illis hodie magnum et plenum convivium de te pane vivo, qui de cœlo descendisti, et das vitam mundo, de tua carne sancta et benedicta, Agni videlicet immaculati, qui tollis peccata mundi, quæ de sancto et glorioso beatæ Virginis Mariæ utero est assumpta, et de Spiritu sancto concepta, ac de illo pietatis fonte, qui per lanceam militis ex tuo sacratissimo latere emanavit: ut exinde refecti et satiati, refrigerati et consolati, exultent in laude et gloria tua. Peto clementiam tuam, Domine, ut descendat super panem tibi sacrificandum plenitudo tuæ benedictionis et sanctificatio tuæ divinitatis. Descendat etiam, Domine, illa sancti Spiritus tui invisibilis, incomprehensibilisque majestas, sicut quondam in patrum hostias descendebat, qui et oblationes nostras Corpus et Sanguinem tuum efficiat, et me indignum sacerdotem doceat tantum tractare mysterium cum cordis puritate et lacrymarum devotione, cum reverentia et tremore, ita ut placide ac benigne suscipias sacrificium de manibus meis, ad salutem omnium tam vivorum quam defunctorum.

### SABBATO.

Rogo etiam te, Domine, per ipsum sacrosanctum mysterium Corporis et Sanguinis tui, pro quotidie in

Ecclesia tua pascimur et potamur, abluimur et sanctificamur, atque unius summæ divinitatis participes efficimur; da mihi virtutes tuas sanctas, quibus repletus, bona conscientia ad altare tuum accedam, ita ut hæc cœlestia Sacramenta efficiantur mihi salus et vita. Tu enim dixisti ore tuo sancto et benedicto: Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiam suavitatem amoris tui. Sana illud ab omni languore, ut nullam præter te sentiam dulcedinem. Panis candidissime, habens omne delectamentum et omnem saporem, qui nos semper reficis et nunquam in te deficis, comedat te cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Manducat te Angelus ore pleno, manducet te peregrinus homo pro modulo suo, ne deficere possit in via, tali recreatus viatico. Panis sancte, panis vive, panis munde, qui descendisti de cœlo, et das vitam mundo, veni in cor meum, et munda me ab omni inquinamento carnis et spiritus. Intra in animam meam, sana et munda me interius et exterius. Esto tutamen et continua salus animæ et corporis mei. Repelle a me insidiantes mihi hostes; recedant procul a præsentia potentiæ tuæ, ut, foris et intus per te munitus, recto tramite ad tuum regnum perveniam, ubi non in mysteriis, sicut in hoc tempore agitur, sed facie ad faciem te videbimus, cum tradideris regnum Deo et Patri, et erit Deus omnia in omnibus. Tunc enim me de te satiabis satietate mirifica, ita ut nec esuriam, nec sitiam in æternum. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO

*Cui Gregorius Papa XIII annexuit quinquaginta annos indulgentiarum pro omni Sacerdote qui eam ante missam dixerit.*

*(Ind.)* Ego volo celebrare Missam, et conficere Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, juxta ritum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, ad laudem omnipotentis Dei, totiusque curiæ triumphantis; ad utilitatem meam totiusque curiæ militantis, pro omnibus qui se commen-

darunt orationibus meis, in genere et in specie; ac pro felici statu sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Amen.

Gaudium cum pace, emendationem vitæ, spatium veræ pœnitentiæ, gratiam et consolationem sancti Spiritus, perseverantiam in bonis operibus, tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. Amen.

# IX.

# PRECES POST COMMUNIONEM.

### I. ORATIO

### *S. Thomæ Aquinatis.*

Gratias tibi ago, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui me peccatorem, indignum famulum tuum, nullis meis meritis, sed sola dignatione misericordiæ tuæ, satiare dignatus es pretioso Corpore et Sanguine Filii tui, Domini nostri Jesu Christi. Te deprecor, ut hæc sancta Communio non sit mihi reatus ad pœnam, sed intercessio salutaris ad veniam. Sit mihi armatura fidei, et scutum bonæ voluntatis. Sit vitiorum meorum evacuatio, concupiscentiæ et libidinis exterminatio, charitatis et patientiæ, humilitatis et obedientiæ augmentatio, contra insidias inimicorum omnium, tam visibilium quam invisibilium, firma defensio: motuum meorum, tam carnalium, quam spiritualium, perfecta quietatio: in te uno ac vero Deo firma adhæsio, atque mei finis felix consummatio. Et precor te, ut ad illud ineffabile convivium me peccatorem perducere digneris, ubi tu cum Filio tuo, et Spiritu sancto, Sanctis tuis es lux vera, satietas plena, gaudium sempiternum, jucunditas consummata, et felicitas perfecta. Per eumdem Christum, etc.

### II. ORATIO

### *Sancti Bonaventuræ.*

Transfige, dulcissime Domine Jesu, medullas et viscera animæ meæ suavissimo ac saluberrimo amoris tui vulnera, vera, serenaque, et Apostolica sanctis-

sima charitate, ut langueat et liquefiat anima mea solo semper amore et desiderio tui. Te concupiscat, et deficiat in atria tua : cupiat dissolvi et esse tecum. Da, ut anima mea te esuriat, Panem Angelorum, refectionem animarum sanctarum, panem nostrum quotidianum, supersubstantialem, habentem omnem dulcedinem et saporem, et omne delectamentum suavitatis. Te, in quem desiderant Angeli prospicere, semper esuriat et comedat cor meum, et dulcedine saporis tui repleantur viscera animæ meæ. Te semper sitiat, fontem vitæ, fontem sapientiæ et scientiæ, fontem æterni luminis, torrentem voluptatis, ubertatem domus Dei : te semper ambiat, te quærat, te inveniat, ad te tendat, ad te perveniat, te meditetur, te loquatur, et omnia operetur in laudem et gloriam nominis tui, cum humilitate et discretione, cum dilectione et delectatione, cum facilitate et affectu, cum perseverantia usque in finem, et tu sis solus semper spes mea, tota fiducia mea, divitiæ meæ, delectatio mea, jucunditas mea, gaudium meum, quies et tranquillitas mea, pax mea, suavitas mea, odor meus, dulcedo mea, cibus meus, refectio mea, refugium meum, auxilium meum, sapientia mea, portio mea, possessio mea, et thesaurus meus, in quo fixa et firma, et immobiliter semper sit radicata mens mea, et cor meum. Amen.

### III. ORATIO.

Ineffabilem misericordiam tuam, Domine Jesu Christe, humiliter exoro, ut hoc Sacramentum Corporis et Sanguinis tui, quod indignus suscepi, sit mihi purgatio scelerum, sit fortitudo fragilium, sit contra mundi pericula firmamentum, sit impetratio veniæ, sit stabilimentum gratiæ, sit medicina vitæ, sit memoria tuæ passionis, sit contra debilitatem fomentum, sit viaticum meæ peregrinationis. Euntem me conducat, errantem me reducat, revertentem me suscipiat, titubantem me teneat, cadentem me erigat, et perseverantem me in gloriam introducat. O altissime Deus, beatissima præsentia Corporis et Sanguinis tui sic immutet palatum cordis mei, ut præter te nullam umquam sentiat dulcedinem, nullam amet pulchritudinem, nullum quærat illicitum amorem, nullam desideret con-

solationem, nullam admittat umquam delectationem, nullum curet honorem, nullam timeat crudelitatem. Qui vivis et regnas cum Deo, etc.

*Poterit quoque devotio et gratiarum actio post S. Communionem institui sola meditatione, colloquio mentali, piis suspiriis et affectibus, etc. pag. 19.*

*Utiliter quoque, ad renovandam devotionem, quædam ex sequentibus precibus usurpantur, sive sola mente expendantur, sive expressis verbis recitentur. Non expedit autem multa una vice percurrere; paucis immorari, piisque animi affectibus indulgere præstat.*

### PIÆ ASPIRATIONES AD CHRISTUM.

Inveni quem diligit anima mea: tenui eum, nec dimittam. Te, mi Jesu, amplector, et amoris mei gaudium obtineo. Te cordis mei thesaurum comprehendo, in quo omnia possideo. Sentiat, obsecro, mens mea virtutem præsentiæ tuæ; gustet quam suavis sis, Domine; ut amore tui capta, nil extra te quærat, nil diligat, nisi propter te. Tu es rex meus, ne obliviscaris inopiæ et tribulationis meæ. Tu es judex meus, parce peccatis meis, et miserere mei. Tu es medicus meus, sana omnes infirmitates meas. Tu es sponsus animæ, sponsa te mihi in sempiternum. Tu es dux et defensor meus, pona me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Tu victima pro me factus es, et ego tibi sacrificabo hostiam laudis. Tu redemptor meus es, redime animam meam de manu inferi, et serva me. Tu es Deus meus et omnia. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram? Deus cordis mei, et pars mea, Deus, in æternum.

### GRATIARUM ACTIO ET OBLATIO SUI.

#### I. DEO PATRI.

Quid tibi, o Pater misericordiarum, rependam? qui sic mundum dilexisti, ut Filium tuum unigenitum dares; non modo ut mortem pro salute nostra subiret; verum etiam ut in cibum animarum nostrarum daretur, et nobiscum esset usque ad consummationem sæculi. En ipsum dilectissimum Filium tuum, quem, licet indignus, tuo beneficio nunc suscepi, meque una cum ipso, tibi in gratiarum actionem offero. Respice, quæso, non in me miserum peccatorem, sed in faciem

Christi tui. Considera in Filio quod te moveat; miserere servi; et dum illius tibi patent vulnera, mea tegantur scelera. Hic est ille tuus Filius, in quo tibi complacuisti : per quem, oro, et ego ita tibi placeam, ut in numerum electorum tuorum admitti, teque in gloria tua cum eodem Filio et Spiritu sancto æternum intueri et laudare merear. Amen.

II. DEO FILIO.

Quid tibi, o Fili Dei vivi, rependam ? qui non modo carnem meam assumere, et pro me mori, verum etiam in eadem animata carne tua ad me venire dignatus es, ut carne tua carni meæ, et anima tua animæ meæ unita, unus quodammodo tecum fierem, tuæque humanitatis factus consors, fierem et consors divinitatis. O immensæ charitatis dignatio! Quid est homo, quod adeo magnificas eum ? aut quid apponis erga eum cor tuum ? quem si exaltaveris, nihil tibi conferre; si damnaveris, nihil auferre potest. O mi Jesu! quibus tibi modis referam gratias? Quid retribuam pro amore illo infinito, quo me complexus es ? Accipe me totum, qui cum totus perieram, te totum pro me dedisti. Sed cum ego tibi digna oblatio esse non possim, offero tibi ipsum amantissimum Patrem tuum, una cum Spiritu sancto; offero et dilectissimam Matrem tuam, Virginem Mariam, qua nihil, post Patrem tuum et Spiritum sanctum, tibi in cœlo aut in terra potest esse charius. In unione hujus sanctissimæ oblationis, me indignum, o Jesu, suscipe, et fac me gloria tua, cujus mihi pignus in suscepto jam Sacramento dedisti, tecum æternum frui. Amen.

III. DEO SPIRITUI S.

Quid tibi, o sancte Spiritus, rependam, qui omnis amoris, a Patre et Filio in me effusi, fons et origo es? Per te Pater commotus dedit Filium suum unigenitum; per te Filius inductus seipsum pro redemptione nostra obtulit. Tu illi Mariam Virginem in Matrem præparasti: tu illi purissimum corpus ex ejusdem virginea carne præparasti, quod nunc ego, tuo quoque beneficio, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento suscepi. Tu hujus meritorum participem me facis; a te gratiarum omnium dona profluxerunt. Quas tibi gratias referam, o S. Spiritus? Accipe cor meum, quod amoris tui ac benignitatis scopum con-

stituere dignatus es: tu illud, obsecro, ab omnibus peccatorum sordibus emunda; tu septenis illud gratiarum tuarum donis exorna, tibique in gratum habitaculum præpara. Veni, S. Spiritus, veni pater pauperum, veni dator munerum. Sine tuo numine nihil est in homine, nihil est innoxium. Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium. Amen.

### PETITIONES.

1. *Ne dubites hic avide et instanter multa petere tibi ipsi et proximis. Thesaurum infinitum opum cœlestium hic habes. Pete quantum vis. Aviditas petentis liberalitatem donantis provocat. Dilata os tuum, et Deus implebit illud. In primis humiliter pete veniam peccatorum, negligentiæ quoque, et defectuum, quos in usu hujus Sacramenti admisisti.*

O clementissime Salvator, in multitudine misericordiæ et bonitatis tuæ, introivi ad mensam convivii tui, a qua, conscius miseriæ et iniquitatis meæ, merito abstinere debueram, ne forte accessu temerario reus fierem Corporis et Sanguinis tui.

Verum tu, dulcissime Domine, delicta mea, et ignorantias meas ne memineris, sed potius reminiscere miserationum tuarum, Domine, ut non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Si enim iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit? quis accedere ad mensam tuam audebit? quis feret rigorem justitiæ tuæ? aut quis subsistet in conspectu divinæ majestatis tuæ, coram quo etiam cœli non sunt mundi?

Ecce, o Domine, confiteor adversum me injustitiam meam; tu, quæso, remitte impietatem peccati mei. Tibi soli peccavi, et malum coram te feci. Sed tu qui venisti peccatores salvos facere, salva me, nec projicias me a facie tua, pro cujus salute temetipsum sponte tradidisti in pretium; pro cujus alimonia temetipsum in cibum dedisti. O quanta erit fiducia peccatoris, cui cognita est tanta pietas Salvatoris!

Quid ergo, o Christe Salvator, impedire me poterat, quominus venirem ad te, qui e summo cœlo, salutis meæ causa, venisti? Infirmus quidem et afflictus sum nimis; sed an ideo a facie tua fugiam?

Imo vel ideo solum ad te venio, quia infirmus sum;

non enim opus est bene habentibus medico, sed his qui male habent; tu autem solus es medicus animæ meæ, qui languores nostros tuo livore sanasti. Sana ergo animam meam, o Domine, quia peccavi tibi.

Iniquitates meæ sicut onus grave gravatæ sunt super me; et quis alleviabit, aut quis portabit onus meum? Tu es, o Domine, Agnus Dei, qui tollis peccata mundi; qui bajulasti crucem, ut nostram portares iniquitatem; qui dixisti: Venite ad me, omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos: et cur ad te non veniam, qui solus relevare potes peccatorum meorum sarcinam?

Ego vitiis pravisque passionibus coinquinatus sum, et ideo ad te confugi; quis enim alius mundum faciet de immundo conceptum semine, nisi tu, Domine, qui lavasti nos a peccatis nostris in Sanguine tuo? Quæso, lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me.

Ego sum filius ille prodigus, et inobediens, qui a te profugus omnem consumpsi substantiam, et nunc extremam patior inopiam: quo ibo, si ad te non redeo, mi amantissime Pater? Tu enim es Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui semper recipis in gratiam revertentes ad te filios, et affectu paterno foves et amplecteris.

Ego quidem non sum dignus vocari filius tuus, sed tu nihilominus vis haberi et esse Pater meus. Sis itaque mihi propitius et clemens, recipe exulem filium, operi nudum, refice esurientem. Quomodo miseretur pater filiorum, sic miserere mei, o miserator et misericors Domine! Numquid enim lætaris in morte et perditione peccatoris, qui, ut ego viverem, pro me dignatus es mori?

Ecce, qua fiducia ad te venio, o Christe Salvator, quamvis sim homo peccator. Sed tu parce mihi per infinitam misericordiam tuam, si non ea, qua par erat, cura, præparatione, ac devotione tremendum hoc peregi mysterium.

Memorare, Domine, quæ mea sit substantia; spiritus quidem promptus est, caro autem infirma; et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Domine: ante te omne desiderium, meum, et gemitus meus a te non est absconditus.

2. *Quia jam tecum habes Deum et Salvatorem tuum, Ducem, Medicum, Docto-*

*rem, Patrem, et omne Bonum; Potentissimum simul ac Optimum, id est, qui et possit et velit tibi donare omnia ad salutem utilia; ideo magna fiducia effunde in conspectu ejus cor tuum, et tribulationem tuam ante ipsum pronuntia, et opem gratiæ in necessitatibus postula.*

O benignissime Deus, cupio ex toto corde tibi servire deinceps, in justitia et sanctitate, omnibus diebus vitæ meæ. Utinam dirigantur viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas!

Hoc votis omnibus desidero, ut cor meum ab omnibus rebus creatis abstraham, tibique totus uniar, ut per hujus Sacramenti virtutem ego in te, et tu in me maneas. Tibi adhærere cupio, quia tu es Deus Salvator meus, Lux, Dux, Medicus, Magister, imo Pater meus, et omnia.

Utinam exhibeam corpus meum hostiam viventem, sanctam, tibi placentem! Vivam ego, jam non ego; vivat vero in me Christus, quem intra meipsum habeo! Juravi, o Deus, et statui custodire judicia justitiæ tuæ.

Verum, o Domine, velle quidem adjacet mihi, perficere autem non invenio; quia in membris meis invenio aliam legem repugnantem legi mentis meæ, ut non quod volo bonum, hoc faciam. Ad te itaque, o Domine, levavi oculos meos, quia imperfectum meum vident oculi tui.

Tu respice, precor, oculis misericordiæ tuæ infirmitatem meam : nam sine te nihil boni facere possumus : ex te autem est omnis sufficientia nostra. Tu itaque deduc me, Domine, in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui.

Eripe me de inimicis meis, Domine, qui parasti in conspectu meo mensam (cujus nunc ex gratia tua factus sum particeps) adversus eos, qui tribulant me. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur, quia tu, Domine, adjuvisti me et consolatus es me.

Da mihi intellectum, et scrutabor legem tuam, et custodiam illam in toto corde meo. Proba me, Deus, et scito cor meum, interroga me, et cognosce semitas meas, et vide si via iniquitatis in me est, et deduc me in via æterna; dirige in conspectu tuo viam meam, ut declinem a via, cujus novissima ducunt ad mortem.

O scrutator cordis mei, vides quam sim fragilis et

pronus ad hoc... ad illud... vitium: ego quidem lapsum cavere propono; sed tamen labor, nisi tu manum supponas; adjuva ergo, o Domine, infirmitatem meam gratia tua.

3. *Virtutes Christiano homine, et tuo potissimum statu seu vocatione dignas expende; ad easque speciale auxilium gratiæ, per virtutem hujus Sacramenti, pete.*

O Christe Jesu, mitis et humilis corde, qui, cum in forma Dei esses, te ipsum exinanisti, formam servi accipiens, ac etiamnum humilias te ad manus cujuslibet indigni sacerdotis; qui demittis te ad species panis et vini, adeoque a multis viliter et contemptim te tractari sinis; da mihi, ut non sit exaltatum cor meum, neque elati sint oculi mei; non ambulem in magnis, non altum sapiam, sed timeam.

O mi Domine, qui cum dives esses, pauperis servi formam accepisti, inclina cor meum, Deus, in testimonia tua, et non in avaritiam; ut delecter in via testimoniorum tuorum, sicut in omnibus divitiis, ut habens victum et amictum, his contentus sim...

O Agne immaculate, qui de Virgine nasci voluisti, da mihi puritatem mentis et corporis; per illud, quod hic nobis das, vinum germinans virgines, cor mundum crea in me, Deus...

O Christe Jesu, qui ut agnus innocens ductus es ad mortem, tot injurias et opprobria passus es, da mihi spiritum patientiæ et mansuetudinis. Discam a te mitis esse, et humilis corde...

O Christe Salvator, qui sitiens, aceto et felle potatus es, et omnes spiritus delicias nobis in hoc Sacramento parasti, aufer a me ventris concupiscentias. Da, ut tibi, Deo meo, serviam, non ventri, aut voluptati. Aufer a me ventris concupiscentias, ne cor meum umquam gravetur crapula et ebrietate...

O Domine, qui in horto cum sudore sanguinis prolixe et ferventissime orasti, fac ut laudem te ex toto corde, ne dormitet anima mea præ tædio in tuo cultu ac servitio. Redde mihi lætitiam salutaris tui.

O Domine, qui ex vera charitate pro inimicis tuis orasti, fac ut diligam proximum sicut meipsum, et benefaciam his qui oderunt me.

O dulcissime Salvator et scrutator cordium, tu nosti quid sit in homine, qui omnes vias meas consideras.

Tu scis optime, quibus in hoc statu... officio... in quo per gratiam tuam constitutus sum, virtutibus et donis magis indigeam.

Tribue itaque mihi gratiam tuam, qui tam copiosum gratiæ thesaurum, imo teipsum, gratiæ auctorem, nobis in hoc Sacramento dedisti, et me nunc ad illius participationem tam clementer admisisti. Quæ autem non obvenient illi bona, ad quem divertere dignatur fons ipse bonorum? Ingressus aliquando in Zachæi domum, dixisti: Hodie huic domui salus facta est. Ingressus jam es, o Christe, domum animæ meæ; dic ei, quæso: Salus tua ego sum: quia dicere tuum, est facere, et tu solus es Deus, Salvator meus. Adjuva me, Deus salutaris meus, et propter gloriam nominis tui libera me et salva me: quid est enim Jesus, nisi Salvator? Vere non est aliud nomen sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.

O Domine, quia tam dignanter venisti ad me, non dimittam te, nisi benedixeris mihi, tu qui aperis manum tuam, et imples omne animal benedictione.

O utinam accipiam benedictionem a Domino, et misericordiam a Deo salutari meo, ut eam de virtute in virtutem, donec clare te videam, Deum deorum, in Sion, quem nunc in Sacramento velatum, et per speculum in ænigmate video.

4. *Pete quoque proximis tuis, his præsertim quos habes singulariter commendatos, hujus Sacramenti fructum applicari.*

O Domine, cujus viscera misericordiæ patent omnibus, qui neminem vis perire, sed omnes homines salvos fieri, ideoque pro omnibus mortem subivisti, et hoc Sacramentum instituisti: salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te: memor esto congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.

Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ, et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

Subveni, quæso, famulis tuis, quos pretioso Sanguine tuo redemisti. Mitte eis, Domine, auxilium de Sancto, et de Sion tuere eos.

Miserere parentum, fratrum, amicorum, benefactorumque meorum, et.... Communica iis meritum pretiosi Sanguinis tui, in salutem nostram effusi, ut in vita præsenti gratiam ad serviendum et placendum tibi

percipiant, et sic demum ad æternæ vitæ gloriam perveniant, et te ipso fruantur æternum; ut ope gratiæ tuæ sic vitam præsentem instituant, ut tandem in cœlis æternæ vitæ præmia recipiant. *Adde hic etiam defunctos, etc.*

5. *Per merita beatissimæ Virginis Mariæ pete commendari Deo communionem tuam.*

O dulcissima Virgo Mater, quæ eumdem Dominum, quem ego modo suscepi, de Spiritu sancto conceptum, in sacratissimo utero tuo portare meruisti; intercede pro me apud eumdem Filium tuum, omnisque negligentiæ et indignitatis, in summi hujus Sacramenti sumptione commissæ, veniam mihi impetra.

*Vel sic ora cum mellifluo S. Bernardo.*

O Mater misericordiæ! per te, precor, accessum habeamus ad Filium, et per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis; et humilitas tua, Deo tam grata, nostræ veniam impetret vanitati et superbiæ. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fœcunditas tua gloriosa fœcunditatem nobis conferat meritorum. O Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta.

Fac, o benedicta, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui, te mediante, dignatus est fieri particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participes nos faciat bonitatis ac gloriæ suæ, Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster, qui est super omnia benedictus in sæcula.

5. *Sanctorum, et imprimis Patronorum, ope ac intercessione, fructum hujus Communionis a Deo pete.*

O Sancti Dei omnes, qui jam pertransistis hujus mortalitatis pelagus, et pervenire meruistis ad portum felicitatis æternæ, qui in carne viventes, sic Domino serviistis, ut jam cum ipso sine fine regnetis, obsecro vos per vestram charitatem, ut qui securi estis de vobis, solliciti sitis pro nobis. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui nunc replet in bonis omne desiderium vestrum, estote memores nostri, qui adhuc in mediis naufragii periculis versamur.

Subvenite mihi misero

peccatori, qui ad portum quietis, quem vos feliciter attigistis, aspiro, ut per vestras orationes, vestro tandem jungar consortio.

Sed interim, dum hæreo in via, opus mihi viatico est, ut non deficiam in via. Viaticum nostrum est Christus ipse Salvator, quo vos satiamini in patria, nos sustentamur in via, donec veniat tempus, quo vobiscum satiemur et nos ab ubertate domus Dei.

Adeste mihi, quæso, precibus meritisque vestris, ut panis ille cœlestis, et viaticum divinum, quod modo sumpsi, mihi contra omnes infirmitates, pericula et insidias, præstet robur et tutamen: ut in fortitudine cibi illius ambulem, per hujus mundi desertum, usque ad montem Dei, et ibidem dulcissima illius fructione vobiscum jugiter gaudeam, et Deum una vobiscum laudem per omnia sæcula. Amen.

ORATIO,

*Cui Pius Papa VII, die decima aprilis anni 1821, in perpetuum annexuit indulgentias plenarias, quas lucrari possunt omnes Christi fideles, qui contriti et confessi, et sacra communione refecti, eam ante imaginem qualemcumque Jesu Crucifixi devote recitaverint. Notandum vero est, secundum Decretum Pii Papæ IX, 31 julii 1858, præterea requiri, ut insuper* per aliquod temporis spatium juxta mentem Sanctitatis Suæ pie orent. *Huic ultimæ conditioni satisfaciunt recitando quinquies* Pater *et* Ave, *vel alias quascumque ejusdem fere temporis preces.*

*(Ind.)* En ego, o bone et dulcissime Jesu, ante conspectum tuum genibus me provolvo, ac maximo animi ardore te obsecro atque obtestor, ut meum in cor vividos fidei, spei et charitatis sensus, atque veram peccatorum meorum pœnitentiam, eaque emendandi firmissimam voluntatem velis imprimere, dum magno animi affectu et dolore, tua quinque vulnera mecum ipse considero, ac mente contemplor, illud præ oculis habens, quod jam in ore ponebat suo David propheta de te, o bone Jesu: *Foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* Ps. 21. 17, 18.

# PRECES POST CELEBRATIONEM MISSÆ,

## E MISSALI ROMANO TRANSCRIPTÆ.

RECESSUS SACERDOTIS AB ALTARI.

*Ant.* Trium puerorum cantemus hymnum, quem cantabant Sancti in camino ignis, benedicentes Dominum. *Hæc Ant. in festis dupl. duplicatur. Tempore Pasch. add. in fine:* Alleluia.

CANTICUM TRIUM PUERORUM

Benedicite omnia opera Domini Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite Angeli Domini Domino: benedicite cœli Domino.

Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: benedicite omnes virtutes Domini Domino.

Benedicite sol et luna Domino: benedicite stellæ cœli Domino.

Benedicite omnis imber et ros Domino: benedicite omnes spiritus Dei Domino.

Benedicite ignis et æstus Domino: benedicite frigus et æstus Domino.

Benedicite rores et pruina Domino: benedicite gelu et frigus Domino.

Benedicite glacies et nives Domino: benedicite noctes et dies Domino.

Benedicite lux et tenebræ Domino: benedicite fulgura et nubes Domino.

Benedicat terra Dominum: laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite montes et colles Domino: benedicite universa germinantia in terra Domino.

Benedicite fontes Domino: benedicite maria et flumina Domino.

Benedicite cete et omnia quæ moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

Benedicite omnes bestiæ et pecora Domino: benedicite filii hominum Domino.

Benedicat Israel Dominum; laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite sacerdotes Domini Domino: benedicite servi Domini Domino.

Benedicite spiritus et animæ justorum Domino: benedicite sancti et humiles corde Domino.

Benedicite Anania, Azaria, Misael Domino: laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, et Filium, cum Sancto Spiritu:

laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es, Domine, in firmamento cœli: et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

PSALMUS 150.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro: laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus, laudate eum in cymbalis jubilationis: omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

*Deinde repetitur Antiphona.* Trium puerorum cantemus hymnum, etc.

Kyrie, eleison. Christe, eleison, Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Confiteantur tibi, Domine, omnia opera tua.

℟. Et Sancti tui benedicant tibi.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

℣. Non nobis, Domine, non nobis.

℟. Sed nomini tuo da gloriam.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, qui tribus pueris mitigasti flammas ignium, concede propitius, ut nos famulos tuos non exurat flamma vitiorum.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni et adjuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Da nobis, quæsumus, Domine, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

ORATIO S. THOMÆ AQUINATIS.

Gratias tibi ago, etc. *Vide supra p. 85.*

ALIA ORATIO S. BONAVENTURÆ.

Transfige, etc. *Vide supra, p. 85.*

RHYTHMUS S. THOMÆ.

Adoro te, etc. *Vide supra. p. 31.*

# X

## PRECES AD LUCRANDAS,

TAM INTRA QUAM EXTRA TEMPUS JUBILÆI, PLENARIAS INDULGENTIAS, SIBI VEL ANIMABUS IN PURGATORIO APPLICANDAS.

ORATIO PRÆPARATORIA.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordia a peccatis omnibus, æternæque damnationis reatu me absolutum confido, quamvis temporalibus pœnis obnoxius permaneam, cum his diluendis opera mea non sufficiant, ad inexhaustum meritorum unigeniti Filii tui, Domini nostri Jesu Christi, Sanctorumque thesaurum confugio, ut hujus abundantia tenuitati et indigentiæ meæ subveniatur. Promptum me ad omnia, quæ in hunc finem præstanda sunt, offero. Suscipe ea, o Pater misericordiarum, in unione passionis et mortis ejusdem Filii tui, plenariæque hujus indulgentiæ me, licet indignum, fac participem. Amen. Pater. Ave.

I. ORATIO.

*Ad Deum Patrem, pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ.*

Memento, o Pater æterne, congregationis tuæ, quam possedisti ab initio. Agnosce Ecclesiam velut sponsam unigeniti Filii tui, pro qua ipse sanguinem suum profundere non dubitavit. Hanc, obsecro, sanctitatis decore, gratiarum opibus, et hæreditatis amplitudine ita exalta, ut digna compareat tali sponso, tantoque Redemptionis pretio. Respice benigne ejusdem S. Matris filios, eorumque numero universas gentes associa, ut omnes te Deum Patrem, et quem mi-

sisti, Jesum Christum, una cum S. Spiritu, fide viva agnoscant, spe firma invocent, et charitate perfecta complectantur. Amen.

Pater. Ave.

℣. Vide, Domine, et visita vineam istam.

℟. Et perfice eam, quam plantavit dextera tua.

OREMUS.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat, in unitate Spiritus sancti, Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

II. ORATIO.

*Ad Deum Filium, pro exstirpatione hæresum.*

O Jesu, lux vera, qui illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum; fac, oro, per inæstimabilem passionis et mortis tuæ virtutem, ut pulsis hæresum et errorum tenebris, veritatis tuæ lumen omnes amplectantur, et in optatum Ecclesiæ tuæ gremium confluant. O Pastor bone, qui animam tuam pro ovibus tuis posuisti, gregem tuum protege, et contra vim insidiasque eorum defende, qui veniunt in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. Fac, ut unum omnes pastorem admittant, et unum omnium sit ovile. Mane nobiscum, Domine, quoniam dixisti: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi. Ostende Ecclesiam tuam ædificatam esse super petram, et portas inferi non prævalere adversus eam. Amen. Pater. Ave.

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

OREMUS.

Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, preces placatus admitte: ut destructis adversitatibus et erroribus universis, secura tibi serviat libertate. Per Dominum nostrum.

III. ORATIO.

*Ad S. Spiritum, pro concordia Christianorum Principum.*

O S. Spiritus, Spiritus amoris et pacis, qui tot tamque diversas gentes in unitate fidei congregasti, largire christianis principibus eorumque consiliariis abundantiam tuæ gratiæ, novo-

que charitatis tuæ munere præveni eorum corda, ut ex hoc omnes agnoscant, eos in numero electorum censendos, et christiano nomine dignos esse. Fac, ne ulla umquam cupiditate abducti quidquam moliantur, quod divinæ tuæ gloriæ, concordiæque Ecclesiæ adversetur: sed unitis potius viribus, ad pacis æternæ visionem, et cœlestem Jerusalem populum sibi subjectum una secum perducere nitantur. Amen. Pater. Ave.

℣. Fiat pax in virtute tua.

℟. Et abundantia in turribus tuis.

OREMUS.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem; ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla. Per Dominum nostrum.

IV. ORATIO.

*Ad SS. Trinitatem, qua peractorum operum, ad Indulgentias lucrandas præscriptorum, fit oblatio.*

Præstitisse nunc videor, o SS. Trinitas, quæ ad plenariam debitarum pœnarum indulgentiam impetrandam præscripta fuerunt. Hæc et multo etiam plura divinæ majestati tuæ, utpote innumeris nominibus obstrictos, præstare nos oportuisset. Infinitæ bonitati tuæ, profusæque in nos, licet indignissimos, liberalitati tribuendum est, quod tam cumulate vilissima debitæ servitutis nostræ opera remunereris. Suscipe ergo, o SS. Trinitas, a me quomodocumque præstita opera, et fac, ut horum defectus passione et morte Domini nostri Jesu Christi, ejusdemque pro nobis pretiosissimo effuso sanguine suppleantur : atque ita me (*vel* animam....) plenariæ hujus indulgentiæ fac participem; pro quo beneficio tibi cœlum et terra mecum laudes et gratiarum actiones cantent, nunc et in perpetuum. Amen. Pater. Ave.

Te Deum laudamus, etc. *Vide N° XIII in fine.*

*In Catechismo Mechliniensi, ab Eminentissimo et Reverendissimo Principe nostro Cardinale Sterckx latius explanato, alia ratio lucrandi indulgentias commoda ac utilissima proponitur. Ea autem ratio in eo consistit, ut*

*quinquies, ad consuetos Ecclesiæ fines, recitetur Oratio Dominica et Salutatio Angelica, iisque precibus convenienter addantur Litaniæ Lauretanæ.*

# XI.

# COMMUNE DOMINICÆ AD VESPERAS.

Pater noster. Ave Maria.
℣. Deus in adjutorium.
*Ant.* Dixit Dominus.
*Tempore Paschali. Ant.* Alleluia.

PSALMUS 109.

Dixit Dominus Domino meo : * Sede a dextris meis :

Donec ponam inimicos tuos : * scabellum pedum tuorum.

Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion : * dominare in medio inimicorum tuorum.

Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum : * ex utero ante luciferum genui te.

Juravit Dominus, et non pœnitebit eum : * tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.

Dominus a dextris tuis : * confregit in die iræ suæ reges.

Judicabit in nationibus, implebit ruinas : * conquassabit capita in terra multorum.

De torrente in via bibet : * propterea exaltabit caput.

*Ant.* Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis.

*Ant.* Fidelia.

PSALMUS 110.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : * in consilio justorum et congregatione.

Magna opera Domini : * exquisita in omnes voluntates ejus.

Confessio et magnificentia opus ejus : * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Memoriam fecit mirabilium suorum, misericors et miserator Dominus : * escam dedit timentibus se.

Memor erit in sæculum testamenti sui : * virtutem operum suorum annuntiabit populo suo :

Ut det illis hæreditatem

gentium : * opera manuum ejus veritas et judicium.

Fidelia omnia mandata ejus: confirmata in sæculum sæculi:* facta in veritate et æquitate.

Redemptionem misit populo suo : * mandavit in æternum testamentum suum.

Sanctum et terribile nomen ejus: * initium sapientiæ timor Domini.

Intellectus bonus omnibus facientibus eum : * laudatio ejus manet in sæculum sæculi.

*Ant.* Fidelia omnia mandata ejus , confirmata in sæculum sæculi.

*Ant.* In mandatis.

PSALMUS 111.

Beatus vir qui timet Dominum : * in mandatis ejus volet nimis.

Potens in terra erit semen ejus : * generatio rectorum benedicetur.

Gloria et divitiæ in domo ejus: * et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

Exortum est in tenebris lumen rectis : * misericors et miserator et justus.

Jucundus homo qui miseretur et commodat, disponet sermones suos in judicio:* quia in æternum non commovebitur.

In memoria æterna erit justus : * ab auditione mala non timebit.

Paratum cor ejus sperare in Domino , confirmatum est cor ejus: * non commovebitur , donec despiciat inimicos suos.

Dispersit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in sæculum sæculi : * cornu ejus exaltabitur in gloria.

Peccator videbit et irascetur, dentibus suis fremet et tabescet : * desiderium peccatorum peribit.

*Ant.* In mandatis ejus cupit nimis.

*Ant.* Sit nomen Domini.

PSALMUS 112.

Laudate, pueri, Dominum: * laudate nomen Domini.

Sit nomen Domini benedictum, * ex hoc nunc, et usque in sæculum.

A solis ortu usque ad occasum : * laudabile nomen Domini.

Excelsus super omnes gentes Dominus : * et super cœlos gloria ejus.

Quis sicut Dominus Deus noster , qui in altis habitat : * et humilia respicit in cœlo et in terra ?

Suscitans a terra inopem: * et de stercore erigens pauperem :

Ut collocet eum cum principibus : * cum principibus populi sui.

Qui habitare facit sterilem in domo: * matrem filiorum lætantem.

*Ant.* Sit nomen Domini benedictum in sæcula.

*Ant.* Nos qui vivimus.

PSALMUS 113.

In exitu Israel de Ægypto: * domus Jacob de populo barbaro:

Facta est Judæa sanctificatio ejus: * Israel potestas ejus.

Mare vidit, et fugit: * Jordanis conversus est retrorsum.

Montes exultaverunt ut arietes: * et colles sicut agni ovium.

Quid est tibi mare, quod fugisti: * et tu, Jordanis, quia conversus es retrorsum?

Montes exultastis sicut arietes: * et colles sicut agni ovium.

A facie Domini mota est terra: * a facie Dei Jacob.

Qui convertit petram in stagna aquarum: * et rupem in fontes aquarum.

Non nobis, Domine, non nobis: * sed nomini tuo da gloriam.

Super misericordia tua et veritate tua: * nequando dicant gentes: Ubi est Deus eorum?

Deus autem noster in cœlo: * omnia quæcumque voluit, fecit.

Simulacra gentium argentum et aurum: * opera manuum hominum.

Os habent, et non loquentur: * oculos habent, et non videbunt.

Aures habent, et non audient: * nares habent, et non odorabunt.

Manus habent, et non palpabunt: pedes habent, et non ambulabunt: * non clamabunt in gutture suo.

Similes illis fiant qui faciunt ea: * et omnes qui confidunt in eis.

Domus Israel speravit in Domino: * adjutor eorum et protector eorum est.

Domus Aaron speravit in Domino: * adjutor eorum et protector eorum est.

Qui timent Dominum speraverunt in Domino: * adjutor eorum et protector eorum est.

Dominus memor fuit nostri: * et benedixit nobis.

Benedixit domui Israel: * benedixit domui Aaron.

Benedixit omnibus qui timent Dominum: * pusillis cum majoribus.

Adjiciat Dominus super vos: * super vos, et super filios vestros.

Benedicti vos a Domino: * qui fecit cœlum et terram.

Cœlum cœli Domino: *

terram autem dedit filiis hominum.

Non mortui laudabunt te, Domine : * neque omnes qui descendunt in infernum.

Sed nos qui vivimus, benedicimus Domino : * ex hoc nunc et usque in sæculum.

*Ant.* Nos qui vivimus, benedicimus Domino.

*Tempore Paschali, Ant.* Alleluia, alleluia, alleluia.

CAPITULUM. 2. *Cor. 1.*

Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ
Mundi parans originem.

Qui mane junctum vesperi
Diem vocari præcipis;
Illabitur tetrum chaos:
Audi preces cum fletibus.

Ne mens gravata crimine,
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.

Cœleste pulsat ostium,
Vitale tollat præmium:
Vitemus omne noxium;
Purgemus omne pessimum.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito,
Regnans per omne sæculum.
Amen.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

CANTICUM B. MARIÆ VIRGINIS.
*Lucæ 1.*

Magnificat * anima mea Dominum :

Et exultavit spiritus meus * in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ : * ecce enim, ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est : * et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus a progenie in progenies * timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo : * dispersit superbos mente cordis sui.

Deposuit potentes de sede, * et exaltavit humiles.

Esurientes implevit bonis, * et divites dimisit inanes.

Suscepit Israel puerum suum, * recordatus misericordiæ suæ.

Sicut locutus est ad patres nostros, * Abraham, et semini ejus in sæcula.

Gloria Patri, etc.

*Deinde dicitur Antiphona et Oratio propria.*

# XII.

## AD COMPLETORIUM.

LECTOR INCIPIT.

℣. Jube domne benedicere. *Benedictio.* Noctem quietam, et finem perfectum concedat nobis Dominus omnipotens. ℟. Amen.

LECTIO BR. 1. *Petr. 5.*

Fratres, Sobrii estote, et vigilate : quia adversarius vester diabolus, tamquam leo rugiens, circuit, quærens quem devoret : cui resistite fortes in fide. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

Pater noster. *Secreto.*

*Deinde Hebdomadarius facit Confessionem.*

Confiteor Deo omnipotenti, etc.

*Chorus respondet:*

Misereatur tui omnipotens Deus, etc. ℟. Amen.

*Deinde Chorus repetit Confessionem, et ubi dicitur* vobis fratres, *et* vos fratres, *dicatur* tibi pater, *et* te pater.

*Facta Confessione a Choro, Hebdomadarius dicit:*

Misereatur vestri omnipotens Deus, etc. ℟. Amen.

Indulgentiam, etc.

℟. Amen.

*Et facta absolutione, dicitur:*

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

Gloria Patri. Sicut erat.

*Ant.* Miserere.

*Tempore Paschali, Ant.* Alleluia.

PSALMUS 4.

Cum invocarem, exaudivit me Deus justitiæ meæ: * in tribulatione dilatasti mihi.

Miserere mei:* et exaudi orationem meam.

Filii hominum usquequo gravi corde? * ut quid diligitis vanitatem, et quæritis mendacium?

Et scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum suum : * Dominus exaudiet me, cum clamavero ad eum.

Irascimini, et nolite peccare : * quæ dicitis in cordibus vestris, in cubilibus vestris compungimini.

Sacrificate sacrificium justitiæ, et sperate in Domino : * multi dicunt : Quis ostendit nobis bona?

Signatum est super nos lumen vultus tui, Domine : * dedisti lætitiam in corde meo.

A fructu frumenti, vini et olei sui * multiplicati sunt.

In pace in idipsum * dormiam, et requiescam.

Quoniam tu, Domine, singulariter in spe * constituisti me.

PSALMUS 30.

In te, Domine, speravi, non confundar in æternum :* in justitia tua libera me.

Inclina ad me aurem tuam : * accelera ut eruas me.

Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii : * ut salvum me facias.

Quoniam fortitudo mea, et refugium meum es tu : * et propter nomen tuum deduces me, et enutries me.

Educes me de laqueo hoc, quem absconderunt mihi; * quoniam tu es protector meus.

In manus tuas commendo spiritum meum : * redemisti me, Domine Deus veritatis.

PSALMUS 90.

Qui habitat in adjutorio Altissimi, * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino : Susceptor meus es tu, et refugium meum : * Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi : * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus : * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris : * ab incursu et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis : * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis : * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea : * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedet ad te malum :

* et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te: * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis:* et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum : * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum : * cum ipso sum in tribulatione : eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum : * et ostendam illi salutare meum.

PSALMUS 133.

Ecce nunc benedicite Dominum, * omnes servi Domini.

Qui statis in domo Domini : * in atriis domus Dei nostri.

In noctibus extollite manus vestras in sancta :* et benedicite Dominum.

Benedicat te Dominus ex Sion: * qui fecit cœlum et terram.

*Ant.* Miserere mihi, Domine, et exaudi orationem meam.

*Tempore Paschali, Ant.* Alleluia, alleluia, alleluia.

HYMNUS.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus,
Ut pro tua clementia,
Sis præsul et custodia.
Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata:
Hostemque nostrum comprime,
Ne polluantur corpora.
Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum. Amen.

CAPITULUM. *Jerem. 14.*

Tu autem in nobis es, Domine, et nomen sanctum tuum invocatum est super nos : ne derelinquas nos, Domine Deus noster.

℟. Deo gratias.

℟. br. In manus tuas, Domine, * Commendo spiritum meum. In manus tuas.

℣. Redemisti nos, Domine Deus veritatis. Commendo.

Gloria Patri. In manus tuas.

℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

*Ant.* Salva nos.

CANTICUM SIMEONIS.

*Luc. 2.*

Nunc dimittis servum tuum, Domine, * secundum verbum tuum in pace.

Quia viderunt oculi mei * salutare tuum.

Quod parasti * ante faciem omnium populorum.

Lumen ad revelationem gentium * et gloriam plebis tuæ Israel.

Gloria Patri.

*Ant.* Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes: ut vigilemus cum Christo et requiescamus in pace.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

ORATIO.

Visita, quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle: Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant; et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

℟. Amen.

CANTATUR UNA EX ANTIPHONIS DE B. MARIA.

*A Vesperis Sabbati ante Dominicam primam Adventus, usque ad Purificationem inclusive:*

ANTIPHONA.

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli
Porta manes, et stella maris, succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo; tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem;
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

*In adventu.*

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu sancto.

ORATIO.

Gratiam tuam, quæsumus Domine, mentibus nostris infunde: ut qui Angelo nuntiante, Christi Filii tui Incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*A primis Vesperis Nativitatis, usque ad Festum Purificationis:*

℣. Post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

ORATIO.

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. ℟. Amen.

*Post Purificationem, id est, a fine Completorii illius diei inclusive, usque ad Feriam quintam in Cœna Domini exclusive.*

ANTIPHONA.

Ave, Regina cœlorum,
Ave, Domina Angelorum:
Salve, radix, salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta.
Gaude, Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa:
Vale, o valde decora!
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

*A Completorio Sabbati sancti, usque ad Nonam Sabbati post Pentecosten inclusive:*

ANTIPHONA.

Regina cœli, lætare, alleluia,
Quia quem meruisti portare, alleluia,
Resurrexit sicut dixit, alleluia:
Ora pro nobis Deum, alleluia.

℣. Gaude et lætare, Virgo Maria, alleluia.

℟. Quia surrexit Dominus vere, alleluia.

ORATIO.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es: præsta, quæsumus; ut per ejus Genitricem Virginem Mariam perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*A primis Vesperis Festi SS. Trinitatis usque ad Nonam Sabbati ante Adventum:*

ANTIPHONA.

Salve, Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, et spes nostra, salve. Ad te clamamus, exules filii Evæ. Ad te, suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eia ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte; et Jesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens! o pia! o dulcis Virgo Maria!

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam, ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante, præparasti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia intercessione, ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

# XIII.

# LAUDES VESPERTINÆ

## VENERABILIS SACRAMENTI.

HYMNUS PRIMUS.

*(Ind.)* Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi
Rex effudit gentium.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

In supremæ nocte cœnæ
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ

Se dat suis manibus.
Verbum caro, panem verum
Verbo carnem efficit,
Fitque sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.
Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,
Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.
Genitori, Genitoque
Laus et jubilatio,
Salus, honor, virtus quoque,
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.
Amen.

RHYTHMUS PRIOR.

Ave, verum Corpus, natum
Ex Maria Virgine,
Vere passum, immolatum
In cruce pro homine,
Cujus latus perforatum
Vero fluxit sanguine
Esto nobis prægustatum,
Mortis in examine.
O clemens, o pie,
O dulcis Jesu, Fili Mariæ.

RHYTHMUS POSTERIOR.

Adoro te devote, latens Deitas,
Quæ sub his figuris vere latitas:
Tibi se cor meum totum subjicit,
Quia te contemplans, totum deficit.
Ave, Jesu, Pastor fidelium,
Adauge fidem omnium in te credentium.
Visus, gustus, tactus in te fallitur,
Sed auditu solo tuto credıtur.
Credo quidquid dixit Dei Filius:
Nil hoc verbo Veritatis verius.
Ave, Jesu, Pastor, etc.
In cruce latebat sola Deitas,
At hic latet simul et Humanitas:
Ambo tamen credens atque confitens,
Peto quod petivit latro pœnitens.
Ave, Jesu, Pastor, etc.
Plagas, sicut Thomas, non intueor,
Deum tamen meum te confiteor.
Fac me tibi semper magis credere,
In te spem habere, te diligere.
Ave, Jesu, Pastor, etc.
O memoriale mortis Domini!
Panis vivus, vitam præstans homini!

Præsta meæ menti de te vivere,
Et te illi semper dulce sapere.
Ave, Jesu, Pastor, etc.

Pie pelicane, Jesu Domine,
Me immundum munda tuo Sanguine,
Cujus una stilla salvum facere
Totum mundum quit ab omni scelere.
Ave, Jesu, Pastor, etc.

Jesu, quem velatum nunc aspicio,
Oro fiat illud, quod tam sitio,
Ut, te revelata cernens facie,
Visu sim beatus tuæ gloriæ.
Ave, Jesu, Pastor, etc.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis.

℟. Omne delectamentum in se habentem.

OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili, passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

ANTIPHONA.

O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur! alleluia.

RESPONSORIUM PRIMUM.

Homo quidam fecit cœnam magnam, et misit servum suum hora cœnæ dicere invitatis, ut venirent: * Quia parata sunt omnia. ℣. Venite, comedite panem meum, et bibite vinum quod miscui vobis. * Quia. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Quia.

RESPONSORIUM SECUNDUM.

Immolabit hædum multitudo filiorum Israel ad vesperam Paschæ: * Et edent carnes, et azymos panes. ℣. Pascha nostrum immolatus est Christus: itaque epulemur in azymis sinceritatis et veritatis. * Et Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Et.

RESPONSORIUM TERTIUM.

Respexit Elias ad caput suum subcinericium panem: qui surgens comedit, et bibit: * Et ambulavit in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei. ℣. Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. * Et ambulavit.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Et ambulavit.

RESPONSORIUM QUARTUM.

Ego sum panis vitæ: patres vestri manducaverunt manna in deserto, et mortui sunt: * Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducet, non moriatur. ℣. Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. * Hic est. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Hic est.

RESPONSORIUM QUINTUM.

Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, * In me manet, et ego in eo. ℣. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. * In me. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * In me.

RESPONSORIUM SEXTUM.

Misit me vivens Pater, et ego vivo propter Patrem: * Et qui manducat me, vivet propter me. ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, et intellectus. * Et qui. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. * Et qui.

HYMNUS SECUNDUS.

Sacris solemniis juncta sint gaudia.
Et ex præcordiis sonent præconia;
Recedant vetera, nova sint omnia,
Corda, voces et opera.

Noctis recolitur cœna novissima,
Qua Christus creditur agnum et azyma
Dedisse fratribus, juxta legitima
Priscis indulta patribus.

Post agnum typicum, expletis epulis,
Corpus Dominicum datum discipulis,
Sic totum omnibus, quod totum singulis,
Ejus fatemur manibus.

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit et tristibus sanguinis poculum,
Dicens: Accipite quod trado vasculum,
Omnes ex eo bibite.

Sic sacrificium istud instituit,
Cujus officium committi voluit
Solis presbyteris, quibus sic congruit,
Ut sumant, et dent cæteris.

Panis Angelicus fit panis hominum:
Dat panis cœlicus figuris terminum:

O res mirabilis! manducat Dominum
Pauper, servus, et humilis.
Te, trina Deitas unaque, poscimus,
Sic nos tu visita, sicut te colimus:
Per tuas semitas duc nos quo tendimus,
Ad lucem quam inhabitas. Amen.

HYMNUS TERTIUS.

Verbum supernum prodiens,
Nec Patris linquens dexteram,
Ad opus suum exiens,
Venit ad vitæ vesperam.
In mortem a discipulo
Suis tradendus æmulis,
Prius in vitæ ferculo
Se tradidit discipulis.
Quibus sub bina specie
Carnem dedit et Sanguinem,
Ut duplicis substantiæ
Totum cibaret hominem.
Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in præmium.
O salutaris Hostia!
Quæ cœli pandis ostium:
Bella premunt hostilia,
Da robur, fer auxilium.
Uni trinoque Domino
Sit sempiterna gloria,
Qui vitam sine termino
Nobis donet in patria.
Amen.

HYMNUS QUARTUS.

Salutis humanæ Sator,
Jesu, voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium.
Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina,
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres!
Perrumpis infernum chaos,
Vinctis catenas detrahis;
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris sedes.
Te cogat indulgentia
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Tu dux ad astra, et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium.
Amen.

HYMNUS QUINTUS.

Æterne Rex altissime,
Redemptor et fidelium,
Cui mors perempta detulit
Summæ triumphum gloriæ,
Ascendis orbes siderum,
Quo te vocabat cælitus
Collata, non humanitus,
Rerum potestas omnium.
Ut trina rerum machina
Cœlestium, terrestrium,
Et inferorum condita
Flectat genu jam subdita!
Tremunt videntes Angeli
Versam vicem mortalium:
Peccat caro, mundat caro,
Regnat Deus Dei caro.

Sis ipse nostrum gaudium,
Manens Olympo præmium,
Mundi regis qui fabricam,
Mundana vincens gaudia.

Hinc te precantes quæsumus,
Ignosce culpis omnibus,
Et corda sursum subleva
Ad te superna gratia.

Ut cum repente cœperis
Clarere nube Judicis,
Pœnas repellas debitas,
Reddas coronas perditas.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre, et Almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

### HYMNUS SEXTUS.

Lauda, Sion, salvatorem,
Lauda ducem et pastorem,
In hymnis et canticis.

Quantum potes, tantum aude,
Quia major omni laude,
Nec laudare sufficis.

Laudis thema specialis,
Panis vivus et vitalis
Hodie proponitur.

Quem in sacræ mensa cœnæ
Turbæ fratrum duodenæ
Datum non ambigitur.

Sit laus plena, sit sonora,
Sit jucunda, sit decora
Mentis jubilatio.

Dies enim solemnis agitur,
In qua mensæ prima recolitur
Hujus institutio.

In hac mensa novi regis,
Novum pascha novæ legis,
Phase vetus terminat.

Vetustatem novitas,
Umbram fugat veritas,
Noctem lux eliminat.

Quod in cœna Christus gessit,
Faciendum hoc expressit
In sui memoriam.

Docti sacris institutis,
Panem, vinum in salutis
Consecramus hostiam.

Dogma datur Christianis,
Quod in carnem transit panis,
Et vinum in Sanguinem.

Quod non capis, quod non vides:
Animosa firmat fides
Præter rerum ordinem.

Sub diversis speciebus,
Signis tantum et non rebus,
Latent res eximiæ.

Caro cibus, Sanguis potus,
Manet tamen Christus totus
Sub utraque specie.

A sumente non concisus,
Non confractus, non divisus,
Integer accipitur.

Sumit unus, sumunt mille;
Quantum isti, tantum ille;
Nec sumptus consumitur.

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquali,
Vitæ vel interitus.
Mors est malis, vita bonis:
Vide paris sumptionis
Quam sit dispar exitus.
Fracto demum Sacramento,
Ne vacilles, sed memento
Tantum esse sub fragmento,
Quantum toto tegitur.
Nulla rei fit scissura,
Signi tantum fit fractura,
Qua nec status, nec statura
Signati minuitur.
Ecce panis Angelorum,
Factus cibus viatorum:
Vere panis filiorum,
Non mittendus canibus.
In figuris præsignatur,
Cum Isaac immolatur:
Agnus Paschæ deputatur:
Datur manna patribus.
Bone pastor, panis vere,
Jesu, nostri miserere:
Tu nos pasce, nos tuere:
Tu nos bona fac videre
In terra viventium.
Tu, qui cuncta scis et vales,
Qui nos pascis hic mortales:
Tuos ibi commensales,
Cohæredes et sodales
Fac sanctorum civium.
Amen.

*Cum preces pro Laudibus vespertinis Venerabilis Sacramenti, etiam, quum illud post prandium, vel alia quacumque diei hora, invisitur, optime ad fovendam augendamque devotionem possint adhiberi, plurimas hujusmodi orationes e Ludovico Blosio hic colligendas duximus, ne quidquam omnino adorantium pietati hic deesse videatur.*

INITIO ADORATUR SANCTA TRINITAS.

Te Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum paracletum, unum, omnipotentem, sempiternum, atque incommutabilem Deum, creatorem cœli et terræ, visibiliumque omnium et invisibilium, suppliciter adoro. Te veram et ineffabilem Trinitatem in personis, veram et inseparabilem unitatem in substantia confiteor. Te laudo fulgidam semperque tranquillam Trinitatem, unicam Deitatem, clementissimum Dominum meum, dulcissimam spem meam, charissimum lumen meum, optatissimam requiem meam, gaudium meum, vitam meam, et omne bonum meum. Tuæ benignissimæ pietati animam pariter et corpus meum commendo: tuæ sacratissimæ Majestati me totum subdo, tuæque divinæ voluntati in æternum resigno ac trado.

Tibi honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

O Pater cœlestis, Pater exorabilis, Domine, Deus, miserere mei vilissimi peccatoris, miserere omnium. Ego in plenam emendationem, expiationem atque satisfactionem pro cunctis iniquitatibus ac negligentiis meis, et pro peccatis totius mundi, et in perfectam suppletionem bonorum operum ac meritorum quæ mihi desunt, offero tibi dilectum Filium tuum Jesum Christum, in unione summæ illius charitatis, qua tu eum ad nos misisti, nobisque eum dedisti Salvatorem. Offero tibi sanctissimam incarnationem, vitam, passionem et mortem illius. Offero virtutes ejus præcellentissimas, et quidquid ipse pro nobis fecit ac pertulit. Offero ejus labores, ærumnas, cruciatus, et Sanguinem pretiosum. Offero merita beatissimæ Virginis Mariæ, et omnium Sanctorum tuorum. Adjuva me, quæso, benignissime Pater, per eumdem Filium tuum, in virtute Spiritus sancti. Adesto miseris peccatoribus, eosque ad viam salutis misericorditer revoca. Da omnibus vivis veniam et gratiam: da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam. Am.

Sancte Spiritus, consolator dulcissime, qui a Patre et Filio ineffabiliter procedis, veni, obsecro, et illabere menti meæ. Repurga et emunda me ab omni peccato, animamque meam sanctifica. Lava in me quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est saucium, flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium. Redde me vere humilem et resignatum, ut ego tibi placeam, et tu super me requiescas. O lux beatissima, lux summe amabilis, illumina me! O melliflua paradisi voluptas, fons purissimarum deliciarum, Deus meus, tribue te mihi, atque in intimis meis ignem tui amoris vehementer accende! Domine mi, doce, guberna, et protege me in omnibus. Confirma spiritum meum adversus inordinatam pusillanimitatem. Largire mihi rectam fidem, inconcussam spem, et sinceram perfectamque charitatem. Præsta ut tuam gratissimam voluntatem semper faciam. Amen.

### ENDOLOGIA AD JESUM I.

Ave dulcis Jesu! laus tibi et honor, et gloria, Christe, Fili Dei vivi, Deus altissime, qui me creasti, et secundum animam, ad tuam

divinam imaginem atque similitudinem condidisti, capacemque æternæ beatitudinis fecisti. Da, ut ego tibi Domino meo, Deo meo, et Patri meo, fideli mente serviam, peccata mea odio sancto persequar, et passionibus affectionibusque vitiosis in me peremptis, ad innocentiam vitæ reformer.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui cœlum, terram, mare et ea quæ cœlo, terra marique continentur, meis usibus deputasti, et omnia mihi inservire solatioque esse voluisti. Largire, quæso, ut creaturis tuis nusquam abutar: omnia quæ fecisti, tuam bonitatem mihi prædicent; omnia in admirationem, cognitionem et amorem tui me rapiant.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui me in fide Catholica pietate tua natum, ab exordio vitæ misericorditer educasti: cibum et potum, aliaque necessaria suppeditans, et corpus alens atque confovens. Utinam tu solus palato cordis mei sapias, solus interiora mea possideas! Utinam te panem cœli vehementer esuriam, te fontem vitæ ardenter sitiam! ut post præsentis exilii terminum tuis perfectis deliciis satiari merear.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui me hactenus ab innumeris periculis animæ et corporis servasti atque eripuisti, et etiam abutentem donis tuis non dereliquisti. Illustra, quæso, cor meum splendore gratiæ tuæ: ut ego tuam erga me pietatem, meamque erga te ingratitudinem exacte cognoscens, me defleam, mihi displiceam, tibi vero, unico Creatori et Redemptori meo, per omnia placeam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui me in sordidissimo vitiorum sterquilinio jacentem, et iniquissime viventem, tanto tempore longanimiter tolerasti, reservastique ad pœnitentiam. Præsta, ut omnes peccatorum præteritorum sordes contritione tibi placenti, sanctisque operibus expiem: et vitæ puritatem deinceps sectans, te super omnia æstuantissimo amore diligam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui me abeuntem in præcipitium, et jam in ipsis inferni faucibus constitutum, perire non permisisti, sed etiam surdum ac fugientem, ad salutis viam

revocasti. Concede, ut humili devotione posthac te sequar, tuos sanctos instinctus mente grata amplectar, omnibus rebus visibilibus corde valedicam, tibique soli inseparabiliter adhæream.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui me vilissimum peccatorem ita semper gubernasti, ita protexisti, ita misericordiæ oculo respexisti, et adhuc quotidie peccantem ita benigne sustines, beneficiisque foves, quasi, ceterorum oblitus, curam mei solius gereres. Effice, ut ego quoque ardentissime te amem, omnia transitoria propter te deseram, tibi soli intendam, tuam voluntatem paratissimo animo ubique sequar et perficiam. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM II.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui propter me dignatus es e regalibus sedibus, et mellifluo corde Patris in hanc miseriarum vallem descendere, atque in Virginis Mariæ castissimo utero de Spiritu sancto concipi, incarnari, homoque fieri. Elige, quæso, tibi cor meum in quo habites: hoc exorna, hoc bonis spiritualibus reple, hoc totum posside. Utinam ego te in illud humilitate profunda invitem, ardentique charitate recipiam, et receptum teneam! Utinam tam validis amoris vinculis tibi adstringar, ut numquam recedere, numquam mente averti a te valeam!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui Virginem Mariam conceptricem tui suavissimam ad Elisabeth cognatam suam properare voluisti, et ut eam salutaret, eique ministraret, inspirasti: in cujus etiam Mariæ pudicissimis visceribus novem mensibus Deus et homo delitescere non dedignatus es. Infunde mihi perfectæ humilitatis gratiam, eamque penitissime cordi meo imprime, ut ad obsequendum et parendum semper paratus inveniar. Effice, ut ipsum cor meum omnia caduca fastidiat, et te inhabitatorem ac possessorem indesinenter sentiat.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, quem Virgo Mater sine dolore, sine virginitatis detrimento, pauperem et passibilem, in vili stabulo peperit, natumque humiliter adoravit. Utinam tu per novum spiritus fervorem jugiter in me renascaris, et ego totus concremer incendio tui amoris! Utinam tu

unicum cordis mei sis solatium, unicum desiderium, unicum gaudium! Utinam te solum quæram, te solum cogitem, te solum diligam!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in frigoris asperitate editus, panniculis involvi, et vagiens in præsepio reclinari, maternisque uberibus infantulus lactari non recusasti. Adoro te charissimum Redemptorem meum, Regem Angelorum. Ave, puer amabilis, Deus excelse, Jesu suavissime. Ave, Princeps pacis, lux gentium, Salvator desiderabilis. Da, Domine, ut vere humilis, vere pauper spiritu coram te semper assistam. Da, ut molesta quæque pro tuo nomine libenter perferam, et nihil in hoc mundo præter te amem, nihil præter te possidere cupiam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, quem recens natum cœlestes exercitus lætis collaudarunt præconiis, et pastores pie quæsitum et inventum adoraverunt cum admiratione et gaudio. Dona mihi, ut in tuis laudibus et obsequiis hilaris absque tædio perseverem: tibi mente pura, stabili, serena, et tranquilla serviam, in te solo delecter et gaudeam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui die octavo ceterorum more circumcidi, propriumque sanguinem adhuc infans fundere, et in singulare nostri solatium Jesus appellari voluisti. Utinam me ab omni cogitatione, verbo et opere pravo circumcisum, in filiorum tuorum numerum adscribas! Tu, Domine, vocaris Jesus, hoc est, Salvator: tuum igitur est donare salutem. Depellat, quæso, a me omnem inordinatam pusillanimitatem recordatio istius optatissimi nominis tui, mihique inviolabilem erga te fiduciam præstet. Ejus virtute tanquam impenetrabili scuto protege me adversus omnes insidias, omniaque molimina hostium invisibilium.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, quem Magi fide sancta perquirentes, stella duce invenerunt, inventoque procidentes humiliter munera obtulerunt, aurum, thus et myrrham. Dona, Domine, ut ego cum his beatis viris te in spiritu et veritate semper quæram atque adorem: dona, ut aurum rutilantis charitatis, thus fragrantis devotionis, et myrrham perfectæ mortificationis tibi jugiter offeram. Præsta, ut

omnes vires animæ meæ in laudem et amorem tui secundum voluntatem tuam expendam. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM III.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui propter nos subdi, et, ad præbendum humilitatis exemplum, a Matre in templum deferri, atque hostia pauperum redimi voluisti: ubi justus Simeon et Anna prophetissa tua præsentia exhilarati, magnifica de te dederunt testimonia. Utinam interiora cordis mei numquam vel tenuissima vanitatis aura afficiat! Utinam omnis arrogantia in me penitus dejiciatur, omnis favoris humani appetitus extinguatur, omnis propriæ complacentiæ pruritus deferveat! Præsta, Domine, ut omnem honorem fugiam, omnem gloriam detester, et cuivis homini propter te submittam me prompteque obediam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui puerulus cum Matre tenera persecutionem passus, non recusasti deportari in exilium, et fugere in Ægyptum. Largire mihi, ut inter omnes adversitatum tempestates, inter persecutionum et calamitatum procellas ad te solum confugiam, te quæram, te invocem, omnia de manu tua hilariter suscipiam, omnia mitissimo corde perferam, et gratias agens, immobiliter tibi adhæream.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, quem in templo remanentem pia Mater tristis triduo requisivit, et tandem læta invenit in medio doctorum sedentem, illosque audientem et interrogantem. Utinam sic te mihi dones, sic communices, ut ego numquam a te separari, numquam beatæ familiaritatis tuæ solatio destitui valeam! Excute e corde meo omnem acediam, depelle omnem teporem tibi displicentem: da perfectam devotionem, ardentemque pietatis sitim, quæ interiora mea ita afficiat et occupet, ut tui cultu satiari non possim.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui triginta annis incognitus latens, filius Joseph fabri a Judæis putari, et Matris tuæ Mariæ, ipsiusque Joseph imperio subditus esse voluisti. Gratia tua evellat, quæso, et prorsus extirpet e penetralibus interioris hominis mei omnem ambitionem et jactantiam, ut in oculis meis sim ab-

jectus, et nesciri vilisque haberi amem, atque omnibus pro tui honore me subjiciam et obtemperem.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui ad Jordanem fluvium venire, et eum ingressus, a Joanne servo tuo baptizari non dedignatus es. Utinam me tuis meritis totum in hac vita purifices, et ab omnibus peccatis ac vitiis expeditum, tui amore desiderioque cœlestis patriæ prorsus inebries! Utinam, ante animæ meæ egressum, me tibi per omnia placentem efficias, ut hinc emigrans, illico apud te sim, te videam, te fruar, ad laudem nominis tui sempiternam!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui inter feras pro nobis in deserto habitans, et quadraginta diebus ac quadraginta noctibus jejunus perdurans, atque in orationibus pervigilans, passus es te tentari a satana: quo devicto, Angelorum ministeriis honoratus fuisti. Da, ut carnem affectusque vitiosos tua gratia in me castigem, edomem et subigam. Da, ut orationi, ceterisque exercitiis spiritualibus strenue insistam, et gulæ vitio perfecte superato, diaboli insidias ac laqueos, te adjuvante, effugiam. Nulla, quæso, tentatio me inquinet, a te separet: sed magis ipsæ tentationes me purgent, tibique conjungant et copulent.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui pœnitentiam annuntiare, discipulos vocare, et ex eis duodecim singulares fidei præcones Apostolos eligere voluisti, ut dispersos Dei filios colligeres. Trahe me post te, et ad te amandum cor meum potenter excita. Largire, ut gratiam, qua me vocasti, non negligam: sed sæculo, rebusque caducis contemptis, te sequi, et tuam humilitatem atque charitatem pro meo modulo imitari paratus sim. Da ut te solum quæram, et ad te ferventi desiderio jugiter anhelem. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM IV.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui pro me afflictus fuisti incommodis, æstu, frigore, siti, fame, sudoribus et ærumnis. Præsta, ut quamlibet adversitatem de manu tua alacriter excipiam, patientique animo pro tui honore tolerem. In quavis angustia, in quavis de-

relictione interna, in quovis rerum eventu, immobiliter in te consistam. Non me, sed te, non meam, sed tuam voluntatem ubique spectem et exquiram.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria. Christe, qui plurimos labores sustinuisti, dum tu mundi Salvator conversionem animarum sitiens, pernoctabas in orationibus, fatigabaris itineribus, discurrebas de regione in regionem, de civitate in civitatem, de pago in pagum, de castello in castellum. Amor tui, quæso, reddat me ad bona quæque promptum et agilem, ut in servitio tuo numquam pigriter. Effice, ut omnium salutem ardentissimo desiderio semper expetam, et quantum in me est promoveam: effice, ut tui honorem ubique zeler, et pro illo me totum impendam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui cum hominibus diversans, eos benignissime consolari, eorumque languores ac morbos multis miraculis editis, misericorditer curare dignatus es. Dona mihi cor pium, erga omnes affectu et condolentia plenum, quo omnium afflictiones commiserer, omnium calamitates ut proprias sentiam, omnium imperfectiones æquanimiter tolerem, omnium necessitatibus hilariter, quantum licet, subveniam. Animam meam, vitiosis passionibus pravisque cupiditatibus infectam, perfecte emunda ac sana, ut his malis absoluta, libere se sursum elevet, et per purissimum amorem tibi adhæreat.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui magno studio, ineffabilique affectu, pacem et cœlorum regnum evangelizasti, omnium salutem exoptans, omnesque tibi aggregare cupiens, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas. Dona mihi ut aliorum saluti avidissime inhiem, nusquam mihi male parcam, nihil pro te recusem, zelum sancta discretione ubique temperem.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui publicanorum ac peccatorum consortium non refugisti, sed Matthæo, Zachæo, Mariæ Magdalenæ, mulieri in adulterio deprehensæ, ceterisque pœnitentiam agentibus benignissimam familiaritatem, et præsentissimam scelerum remissionem exhibuisti. Præ-

sta, ut ego omnes pietate charitateque lætissime amplectar, omnibus me lædentibus prompte ignoscam, omnes qui me oderunt perfecte diligam, nulli signum minus sinceræ affectionis insipienter ostendam. Da mihi integram peccatorum meorum veniam; da certam gratiæ tuæ spem, et sanctam perpetuamque erga te fiduciam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui pro me multas injurias, multas blasphemias, multa opprobria, multos dolos, innumerasque persecutiones passus es ab illis ipsis quos beneficiis affeceras. Dona mihi cor vere innocens ac simplex, ut inimicos meos pure amem, eorum medullitus commiserescam, eos pie apud me excusem, et pro malis bona rependens, perfectissima charitate ac patientia tibi placeam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui Jerosolymam adveniens, mitis ac mansuetus super asinam sedisti, et inter laudes, quæ tibi a turbis obviam properantibus canebantur, fudisti lacrymas, deflens urbis excidium, animarumque ingratarum exitium. Largire mihi intimam mei ipsius cognitionem, ut quam indignus sim videam, meque profundissime humiliem et despiciam. Utinam neque laudibus neque favoribus hominum umquam oblecter, sed interioribus pœnitentiæ amorisque lacrymis utiliter vacem! Utinam aliorum incommoda tamquam mea ipsius persentiam, et aliena peccata, ut propria, pio corde defleam! Amen.

### ENDOLOGIA AD JESUM V.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, quem Judas infidelis discipulus, Judæis te persequentibus, et in mortem tuam conspirantibus, vili pecunia vendidit. Extirpa, quæso, e corde meo omnem rerum creatarum malam cupidinem: da, ut tibi nihil umquam præferam: da, ut charitatem inviolabilem omnibus hominibus, ac præcipue his qui mihi molesti sunt, exhibeam. Ignosce, pie Redemptor, quod tibi sæpe caduca vanaque præposuerim, et propter viles oblectationes a te me averterim.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui Jerosolymis Pascha cum discipulis juxta Legis præceptum manduca-

sti, et humilitatis sanctæque dilectionis exemplum præbens, eorum pedes, fixis terræ genibus, abluisti, ablutos extersisti linteo. Utinam istud tuum exemplum cor meum penetret, et omnem altitudinem atque arrogantiam in me prorsus dejiciat! Da mihi, Domine, profundissimam humilitatem, qua omnibus me incunctanter substernam. Da perfectam obedientiam, qua tua præcepta vicariorum tuorum constituta diligenter observem. Da ferventissimam charitatem, qua omnes pure diligam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui Sacramentum Eucharistiæ indicibili charitate instituisti, teque in eo nobis dedisti stupenda liberalitate, ut apud nos etiam corporaliter maneres usque ad consummationem sæculi. Excita, quæso, in me desideria, et vehementer accende omnia intima mea ad esuriem hujus venerabilis Sacramenti. Da, ut casto affectu, singulari humilitate, et integra cordis puritate te suscipiam, dum ad mensam illam vitalem accedo. Te modo ita sitiat, ita tui amore langueat anima mea, ut aliquando in regno tuo æternis tuis deliciis perfrui merear, ad gloriam nominis tui.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui recessurus e mundo, electos discipulos tuos exhortatus atque consolatus es verbis ineffabili dulcedine plenis, et eos Patri commendasti oratione ardentissima, evidenter declarans, quam tenere illos, nosque, qui per illos credituri eramus, diligeres. Fac, ut verba tua cordi meo vere sapiant, ac super mel et favum semper dulcescant. Utinam illius ignitæ tuæ exhortationis spiritus pectori meo illabatur, quo totus in amorem tui transformer! Dirige me in omnibus, Domine Deus meus, ut in me, et per me, omni tempore fiat tua sancta voluntas.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui egressus cum discipulis trans torrentem Cedron, venisti in hortum, in quo te capiendum sciebas. Utinam ego propriam voluntatem penitus exuam, tuam vero semper sequar ac diligam! Utinam pro tui honore, fratrumque salute, quævis adversa constanti animo subeam, et etiam animam ponere non detrectem, si ita tua divina dispositio ordinaverit!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui passione imminente pavere, tædere, ac mœstus esse cœpisti, membrorum tuorum in te transferens imbecillitatem, ut eos ad mortis expectationem trepidantes, ista tua infirmitate, quam volens assumpseras, solareris et confirmares. Defensa me, precor, et a vitiosa tristitia et ab inepta lætitia. Præsta, ut omnis mœror, quem hactenus sustinui, tibi in gloriam, mihi in peccatorum remissionem cedat. Omnem diffidentiam, omnem inordinatam pusillanimitatem misericorditer a me submove, et spiritum meum totum in te stabili ac compinge.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in terram procidens Patrem orasti, eique humiliter te totum obtulisti, dicens: Pater, fiat voluntas tua. Largire mihi, ut in omni necessitate ac tribulatione per orationem ad te confugiam, et tuæ voluntati me totum libere resignem ac tradam, nusquam adversa indecenter subterfugiam, sed omnia tranquillo animo de tua manu suscipiam, omnia mitissimo corde propter amorem tui tolerem. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM VI.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui erga delectos discipulos affectu misericordiæ tactus, eorum tristitiam tuo mœrori præposuisti, et oratione, cui intentus eras intermissa, ad eos tertio accedens, dejectos erexisti dormitabundosque ad orationis studium excitasti. Da, ut in meis exercitiis et operibus, torporis vitium fugiam; da, ut mente vigili alacriter tibi serviam, privatæ devotioni proximorum salutem præferam, omnibus in necessitate aliqua constitutis viscera commiserationis exhibeam, meipsum nusquam quæram, sed pro tui amore ubique deseram.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in angore positus, prolixius orasti, et cum esses Creator cœli et terræ, Rex regum, Angelorumque Dominus, angelico solatio relevari non dedignatus es. Præsta, ut in omni adversitate et anxietate, in omni pressura et dejectione, te solum consolatorem exquiram, te adjutorem protectoremque inveniam. Utinam in omni rerum eventu tibi prorsus fidam, me totum tuæ ordi-

nationi submittam, totum tuæ voluntati offeram, totumque in te projiciam!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui sanguineo sudore maduisti toto corpore præ angustiarum multiplicitate et vehementia. Utinam omnia interioris hominis mei membra exsudent sanctas contritionis lacrymas! Utinam digne coram te defleam, quod hactenus tuæ erga me charitati et misericordiæ tam ingratus permaneo! Utinam omnem internam externamque calamitatem tranquillo corde, pro tui amore, perferam, et me tundi flagellarique a te piissimo Patre numquam querar, sed bona et mala de manu tua hilariter suscipiens, jugiter in te gaudeam!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui proditori Judæ, cæterisque hostibus sanguinem tuum sitientibus, et mortem desiderantibus, ultro te obtulisti capiendum. Largire mihi, ut adversitates pro tui honore non refugiam, sed eis alacriter occurram, eas tamquam pretiosa xenia, mihi a te transmissa, lætus excipiam, et humiliter fortiterque, quamdiu tibi placuerit, sustineam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui ipsum proditorem Judam dolose ad te accedentem non repulisti, sed benigne osculatus es, et ipsa vultus serenitate, sermonisque suavitate declarans te illum diligere, blande invitasti ad pœnitentiam. Da, ut mansuetudinem et charitatis dulcedinem omnibus inimicis meis demonstrem: eis quidquid in me peccant, ex corde ignoscam, eos tolerem, et sicut ordinationis tuæ ministros meæque salutis promotores, diligam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui hostes tuos sacrilegas manus furibunde in te injicere permisisti, et ab eis crudeliter ligatus, convitia, blasphemias, injuriasque, quibus te proterve incessabant, non ultus es, sed mansuetissime tolerasti. Utinam tu me, vitiorum funiculis expeditum, dulcissimi amoris tui vinculis undique constringas! Utinam veræ patientiæ gratiam mihi dones, qua omnes inimicos æquanimiter feram, et quævis adversa absque aliqua voluntatis rebellione sustineam!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria,

Christe, qui malcho, uni ex furentibus persecutoribus tuis, auriculam a Petro discipulo præcisam restituisti ac sanasti, ut beneficia pro injuriis reponens, mansuetudinis pietatisque tuæ divitias nobis patefaceres. Effice, quæso, ut vindictæ cupiditas numquam cor meum subeat, et largire, ut erga proximos, etiam lædentes, affectum intimæ commiserationis perfectissimæque charitatis semper geram. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM VII.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui discipulis et amicis tuis profugientibus, teque derelinquentibus, solus inter manus iniquorum hominum, tamquam agnus mansuetissimus inter dentes luporum furentium, remansisti. Confirma nimiam infirmitatem meam, et stabili nimiam instabilitatem meam validissimo gratiæ tuæ fulcimento, et me tibi charitatis nexu ita conjunge, ut neque velim neque possim umquam a te recedere aut separari.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui te vinctum, tamquam maleficum et latronem, armata manu ad Annam perduci, atque coram eo sisti passus es. O ineffabilem mansuetudinem Redemptoris mei! Ecce dum caperis, dum traheris, dum impelleris, nihil quereris, nihil obmurmuras, nihil obluctaris, sed tacitus ducentes sequeris, jubentibus obedis, affligentes toleras. Effice, Domine, ut ista virtutum tuarum exempla in me reluceant, ad gloriam nominis tui sempiternam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, Rex cœli et terræ, qui humiliter, tamquam vilis et abjectus homuncio, ante tumidum pontificem stans, diram alapam ab impio ejus ministro impactam modestissime tulisti. Comprime, quæso, in me omnes iræ atque furoris impetus, obtunde omnes indignationis stimulos, et omnem ulciscendi cupidinem extingue, ut injuriis lacessitus, non perturber, non contendam, non tumultuer, sed omnia æquo animo sustinens, etiam pro malis bona rependam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui te colligatum ad Caipham ignominiose duci permisisti, ut nos, a mortis æternæ obligatione

absolutos, veræ libertati restitueres. Effice me paratissimum ad omne opprobrium omnemque contemptum pro tuo nomine sustinendum. Dona, ut inter ipsas irrisiones et contumelias tibi corde integro gratias agam, atque ex illis in tui amore proficiam et crescam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui ter a Petro Apostolorum tuorum principe abnegatus, eumdem benigne clementerque respexisti, et ad facti pœnitudinem ac sancta lamenta provocasti. Utinam tu me quoque amabili illo misericordiæ tuæ oculo intuearis, ut justis pœnitentiæ lacrymis peccata præterita defleam, et deflenda posthac non committam! utinam neque verbo neque facto umquam in tuam bonitatem injurius inveniar!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui ante pontificem et seniores populi Judaici vultu placido humilique aspectu stans, non recusasti falso accusari, et injurias diversas perpeti. Largire mihi, ut numquam falsa pronuntiem, nemini calumnier, sed calumnias irrogatas magna cordis tranquillitate feram: et omnia adversa tibi committens, gratiam consolationemque tuam in silentio semper expectem.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui dum a Caipha pontifice per nomen Dei adjuratus veritatem profitereris, asserens te esse Dei Filium, ab ipso eodem atque a cæteris adstantibus, tamquam blasphemus haberi non dedignatus es. Utinam ego tui offensionem et contemptum prorsus execrer, tui vero honorem et gloriam ardentissime sitiam! Utinam in omni loco præsentiam Divinitatis Majestatisque tuæ reverear, te cogitem, te colam, te laudem ac super omnia diligam! Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM VIII.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui ab impiis Judæis reus mortis proclamatus et sine causa damnatus fuisti, ut injusta tui condemnatione nos a criminum reatu, quo juste tenebamur, absolveres. Da, ut sinistras temerariasque suspiciones rejiciam, aliorum iniquas oblocutiones, perversaque de me judicia, citra aliquam cordis amaritudinem feram,

et ubique tranquillam charitatem, tua gratia adjuvante, retineam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui pro me factus opprobrium hominum, et abjectio plebis, sacratissimam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, a fœditate sputorum non avertisti. Concede, ut imiter mansuetudinem et patientiam tuam. Non sinas animam meam vitiis inquinari, sed eam serva tibi immaculatam, ut ipsa, post hujus vitæ tenebras, æternam tuam claritatem tota munda contemplari mereatur.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui alapis colaphisque crudelissime cædi, et diversis coutumeliis atque improperiis indignissime pro me affici dignatus es. Da, quæso, ut despici, vilis haberi, et quibuslibet injuriis secundum tuam permissionem exercitari numquam recusem. Concede, ut ad quævis molesta pro tui honore perferenda sim paratissimus, omnia de manu paternæ pietatis tuæ suscipiam, in omnibus gratias agam, in omnibus me ipsum tibi prorsus committam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui te subsannari, et vultum tuum amabilem, quem aspicere summa felicitas est, in majus tui ludibrium velari permisisti. Præsta, ut, remoto velamine ignorantiæ, implear agnitione voluntatis tuæ. Imprime cordi meo jugem tui memoriam. Largire, ut in omni loco te præsentem sentiam, te diligam, et quod tibi acceptum est, semper faciam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui per totam noctem diversis modis pro me illusus et afflictus a Judæis fuisti. Scis, Domine, quam mihi difficile sit vel minima perpeti; scis, quam nulla sit virtus mea, quam voluntas pigra, desiderium frigidum. Adjuva igitur infirmitatem meam misericorditer, et effice, ut ad nullius adversitatis occursum indigne collabar aut deficiam. Da, ut propter mala illata tranquillitatem animi non perdam, contumeliis injustis non permovear, sed gratias agens, omnia tibi in laudem æternam offeram.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui te ludibriis cumulatum et vinctum, ad Pilati judicis profanum tribunal duci, ejusque conspectibus cum opprobrio sisti

passus es, ipse Judex vivorum et mortuorum. Largire mihi, ut potestatibus a te ordinatis ac majoribus subditus sim, æqualibus paream, omnes honorem et diligam. Da, ut aliena de me judicia non expavescam, sed ea parato animo excipiam, patienterque sustineam. Sequar te, quæso, non solum dum læta et prospera blandiuntur, sed etiam dum tristia et aspera premunt.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, Rex cœli et terræ, qui attestatus es regnum tuum non esse de hoc mundo, ut corda nostra ab amore præsentis sæculi tua ista professione averteres. Effice, precor, ut rebus terrenis atque caducis affectu perfecte valedicam. Nihil eorum quæ pereunt, cor meum desideret, nihil inutiliter amet, sed te solum verum æternumque bonum diligat, ad te jugiter suspiret, tibi inseparabiliter adhæreat.

ENDOLOGIA AD JESUM IX.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui coram Pilato stans ad iniquas Judæorum accusationes et calumnias humiliter tacuisti, tamquam agnus mansuetus non aperiens os tuum, neque contradicens his qui crimina falso intendebant. Præsta mihi, Domine, ut numquam perturber aliorum obtrectationibus, sed tacendo omnes injurias superem. Largire perfectam humilitatis gratiam, qua neque laudari appetam, neque contemni renuam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, Agne sine macula, in quem impii pharisæi et scribæ pertinaci odio sæviebant. Licet enim in te Pilatus nullam mortis causam se invenire testaretur, placari tamen illi noluerunt, quo minus necem tuam expeterent. Da mihi tuam imitari innocentiam ac patientiam, ut et bene vivam, et bene vivendo male audiens, rejecta omni indignatione, tranquillus in te permaneam, tibique in adversis gratias agam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui summa cum ignominia, et magno populi strepitu, tamquam facinorosus latro de tribunali ad tribunal, de Pilato ad Herodem, per medium urbis pertractus fuisti. Concede mihi nullis inimicorum injuriis frangi, nullis contumeliis exacerbari, nullo mei

contemptu vitiose erubescere, sed omnia modeste excipere, omnia pro tui honore silendo tolerare, ut in patientia mea, te adjuvante, possideam animam meam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui multis vanis sermonibus ab Herode interrogatus, diversisque modis a pontificibus sacerdotum et scribis falso accusatus, humiliter atque opportune tacuisti. Da mihi linguæ continentiam tibi placentem: non permittas me vitiosa proloqui, non permittas me ineptis fabulis occupari: sed præsta, ut quæ recta, utilia honestaque sunt, pro tua voluntate proferam, vitium maledicentiæ perhorrescam, de omnibus bene loqui recteque sentire amem.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui ineptam Herodis cupiditatem silentio tuo damnans, noluisti signo aliquo edito curiosos illius oculos absque salutis fructu oblectare, et docuisti nos ostentationem coram magnatibus vitare. Infunde cordi meo spiritum profundæ humilitatis, mortifica et extingue in me omnem vanæ gloriæ pruritum. Da, ut nihil umquam ad captandam laudem humanam faciam, sed ubique gloriam sanctissimi nominis tui pure spectem, ubique vere pauper spiritu coram te appaream.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui ab Herode totoque ejus exercitu sperni et veste alba, ut amens ac delirus, indui, subsannarique non dedignatus es. Da, Domine, ut potius eligam tecum abjectus esse, quam cum mundo gloriosus; dignius et melius existimem opprobrium sustinere pro tui amore, quam florere vano sæculi honore. Da, ut, propria iniquitate, propriaque indignitate prorsus agnita, mihi ipsi vilescam, me despiciam, arguam et defleam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui veste ridicula amictus, ab Herode ad Pilatum cum opprobrio reductus fuisti, inimicis tuis per omnia obtemperans, et ad illorum arbitrium progrediens ac regrediens. Largire, quæso, ut mei contemptum non horream, obedire etiam his qui me lædunt, non recusem. Da, ut ad omnia quæ mundi sunt veluti stupidus factus, te solum sentiam, te solum sapiam, te solum diligam. Tu

solus sis honor meus, pulchritudo mea, amor meus, gaudium meum et gloria mea. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM X.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui cum insigni latrone Barabba compositus, iniquior, morteque dignior illo judicatus fuisti. Dimittitur homicida, et tu auctor vitæ ad mortem ab invidis Judæis postularis. Tu igitur lapis ille vivus ab hominibus quidem reprobatus, a Deo vero electus. Utinam tibi nihil præferam, et pro nulla re te commutem! Utinam omnia sicut stercora arbitrer, ut te lucrifaciam! Concede, Domine, ut invidentiæ labes numquam animum meum inficiat, et effice, ut in te vivo lapide superstruar, in te confirmer, in te salutem inveniam.

Ave, dulcis Jesu, laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in prætorio, nudatus, et ad columnam ligatus, sacratissimam virgineamque carnem tuam durissimis flagris conscindi passus es, ut livoribus tuis nostra sanares vulnera. Amabilis Jesu, ego te plagis confectum eligo in Sponsum animæ meæ, desiderans igne suavissimi amoris tui accendi et concremari. Nuda, quæso, cor meum ab omni cogitatione indigna; exue me veterem hominem cum actibus suis, et indue novum hominem, qui secundum Deum creatus est in justitia et sanctitate veritatis. Præsta, ut nunc flagella paternæ correptionis tuæ tam patienter feram, ut post hujus vitæ terminum merear illico tecum gaudere, teque in æternum laudare et glorificare.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, quem verberum vibicibus totum lividum atque cruentum, milites ineffabilibus injuriis contumeliisque affecerunt. Te enim Regem gloriæ chlamyde coccinea ad majus improperium vestierunt, tuo divino vertici coronam e spinis contextam impresserunt, tibi arundinem vice septri in manus dederunt, et genu flexo nugatorie te salutarunt, dicentes: Ave, Rex Judæorum. Infige, quæso, cordi meo jugem passionis tuæ memoriam. Vulnera me charitatis tuæ aculeis, punge miserationum tuarum stimulis. Da ut te solum diligam, tibi soli intendam et adhæream. Nulla tribulatio, nulla persecutio, nullus cruciatus me a te separet;

numquam pudeat me tecum contemni ac subsannari.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui pro me arundine verberari, alapis cædi, sputis illini, et omni ludibrii genere affici non recusasti. Rogo te per vulnera tua, per sanguinem tuum, per opprobria, omnemque dolorem tuum, ut me totum atque omnia quæ circa me sunt, possideas, regas, et in laudem tui sempiternam convertas. Da, ut ego me perfecte abnegem; effice, ut læta et tristia, prospera et adversa, æquali mente de manu tua hilariter suscipiam, et mundo mihique mortuus tibi soli vivam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui consputus, conscissus, plagis deformatus, vinctus totusque miserabilis, insanæ plebi conspiciendus foras productus es, gestans coronam spineam et vestimentum purpureum. Dona mihi, ut omnem ambitionem, omnem mundanæ pompæ et vanitatis ostentationem, omnem sæculi honorem animo penitus conculcem, conspuam atque abominer, et per profundam humilitatem, verumque mei ipsius contemptum, ad supernæ beatitudinis gloriam indesinenter curram.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui a præside Pilato pronuntiatus innocens, audire non recusasti furibundas Judæorum succlamationes, quibus petebant ut crucifigereris. Concede, ut innocenter vivam, et propter aliorum in me malevolentiam non perturber. Largire mihi hanc gratiam, ut neque ego aliis obtrectem, neque eos, qui aliis obtrectant libenter audiam, sed de omnibus, quantum fieri potest, bene sentiam; omnium defectus cum pia commiseratione tolerem, omnes sincero amore prosequar.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi et honor, et gloria, Christe, qui te ignominiosissimæ morti crucis coram populo injuste adjudicari passus es, ut nos ab æternæ mortis sententia liberares. Præsta, ut numquam alios temere judicem, numquam alicui male velim, numquam aliquem lædam. Da, ut per gloriam et ignominiam, per infamiam et bonam famam, te sequar, tibi serviam, tui honorem quæram, magisque eligam tecum manendo adversis exerceri, quam a te recedendo commodis hujus vitæ perfrui. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM XI.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui voluntati persequentium te traditus, magnum cruciatum pertulisti ex chlamydis purpureæ, quæ tuis plagis adhærebat, depositione, et vestimentorum tuorum resumptione. Concede mihi, ut postquam vestimentum corporis deposuero, stola perfectæ charitatis indutus, tuisque meritis ornatus appaream, et tamquam filius adoptivus in cœlestem illam hæreditatem tua misericordia introducar.

Ave, dulcis Jesu, laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui inter multa opprobria multasque injurias, crucem tuam sacris ac laceris humeris tuis cum ingenti dolore bajulasti, et fessus atque anhelus nimium laborasti sub onere. Da mihi crucem propriæ abnegationis ardenti devotione amplecti, et virtutum tuarum exempla ferventissima charitate imitari, teque usque ad mortem humiliter sequi.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in miserabili illo itinere, quo pergebas ad supplicium, mulieres super te plorantes benigne monuisti, ut super seipsas et filios suos flerent. Da mihi fletum tibi placentem, quo peccata mea et ingratitudinem propriam digne lugeam da piæ commiserationis sanctique amoris lacrymas, quæ cor meum duram resolvant, et tibi gratum efficiant. Præsta, ut ardentissimo tui desiderio succensus, omnia extra te fastidiam, te solum amem, in te solo requiescam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui eductus cum duobus latronibus, non recusasti impelli, premi, accelerari, aliisque variis modis affligi. Trahe me post te, et sequar te alacriter. Largire, ut meipsum propter te prorsus abnegem, relinquam, et egrediar. Præsta, ut te solum sentiam, in te solo afflicto Redemptore meo gaudeam. Da mihi te diligere, amoris vicem reddere, ardenter te requirere, et tibi soli vivere.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui pondere crucis fractus humeros, tandem lassus pervenisti ad locum supplicii, ubi etiam tibi exhausto vinum felle permistum oblatum fuit. Utinam gulæ irritamenta et carnis concupiscentias in me extinguas, faciasque ut impuræ et illicitæ delectationi num-

quam consentiam, sed ad gloriam nominis tui cibum potumque sobrie sumam, te solum esuriam, te solum sitiam, in te solo delecter et exultem!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in loco Calvariæ, spectante populo, nudari, et plagis vestium detractione renovatis, acerbissimum dolorem pro me sustinere non dedignatus es. Concede mihi diligere spiritus paupertatem, et inopia rerum numquam perturbari. Præsta, ut quaslibet necessitates ærumnasque hujus vitæ æquanimiter pro tuo nomine tolerem. Nuda cor meum ab omni imagine et affectione absurda, et sanctum propositum, pia desideria, castumque tui amorem in me quotidie renova.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui nudus in ligno crucis dire extendi, et solutis sacratissimorum membrorum tuorum compagibus, clavis eidem cruci crudeliter affigi non recusasti. Ita passus es, delicatas manus tuas, et incontaminatos pedes tuos gravissime vulnerari propter me. Largire mihi, Domine, ut fideli grataque mente recolam istam ineffabilem charitatem tuam, qui brachia sponte expandisti, sponte manus fodiendas et pedes terebrandos obtulisti. Eia, Domine, dilata et extende cor meum perfecta tui dilectione; perfode, tibique affige illud dulcissimo amoris tui clavo; omnes sensus meos omnesque cogitationes et affectiones meas in te uno conclude. Amen.

### ENDOLOGIA AD JESUM XII.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in ignominioso crucis stipite tribus horis, transfixis manibus ac pedibus, pependisti; et pretioso sanguine largiter fuso, ineffabilem sanctorum artuum tuorum cruciatum spontaneus tolerasti. Sustolle, precor, in crucis tuæ lignum miseram animam meam humi jacentem, et eam vitiosarum cupiditatum fæce depurgatam, tui desiderio, amoreque cœlestis patriæ vehementer accende. O sanguinem salutiferum! O sanguinem vivificum! Utinam, Domine mi, utinam me isto pretioso sanguine ablutum prorsus sanes atque purifices! Utinam illum in perfectam iniquitatum mearum satisfactionem Patri offeras! Da, precor, ut ardenti af-

fectu interior homo meus excipiat atque lambat ejusdem beati cruoris tui vitales guttas, et vere gustet, quam suavis sit spiritus tuus.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui medius inter duos facinorosos latrones in cruce pendens, cum iniquis deputatus fuisti, ut incomprehensibili tua humilitate ac patientia nostram corrigeres, simulque expiares impatientem superbiam. Erige, quæso, spiritum meum sursum, ut ego e sublimi cuncta transitoria despiciens, solum Deum meum pro me crucifixum admirer, te solum amem, ad te anhelem, te cogitem, de te loquar, te somniem, te sapiam, in te me oblectem, et extra te consolationem recipere penitus renuam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui tam bonus fuisti etiam pessimis, ut pro illis ipsis qui te crucifigebant, Patrem obsecrares, dicens: *Pater, dimitte illis; non enim sciunt quid faciunt.* Da mihi, quæso, veræ mansuetudinis et patientiæ gratiam, qua ego juxta præceptum pariter et exemplum tuum inimicos diligam, his qui me oderunt benefaciam, pro illis qui me lædunt ac persequuntur humiles preces coram te fundam, eorum commiserescam, eisque ex animo ignoscam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui cruci tuæ titulum triplici lingua descriptum, tamquam victoriæ trophæum affigi voluisti, ut, eo conspecto, strenue adversus hostes invisibiles dimicaremus. Protege me sub isto titulo ab omnibus diaboli insidiis ac dolis. Doce me sub isto titulo quasvis tentationes evincere, cunctaque vitia prosternere, ut illis per gratiam tuam superatis, te libere laudem et glorificem.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, cujus vestimenta inter se partiti milites, tunicam, quæ inconsutilis erat, unitatemque Ecclesiæ catholicæ designabat, te ordinante, reliquerunt inscissam. Illabatur, quæso, cordi meo pacis spiritus, hoc inhabitet, hoc possideat, ut fratrum concordiam vitio meo numquam scindam, aut perturbem, sed scissa reparare, et turbata ad tranquillitatem revocare semper studeam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, cui, incomprehen-

sibiles cruciatus, ineffabilesque angustias in ara crucis toleranti, Judæi procaciter insultarunt, diversas blasphemias impio ore vomentes. Da, Domine, ut ego memor humilitatis, patientiæ, mansuetudinisque tuæ, dolores, opprobria, persecutiones, infamiam, et mei contemptum patienter feram, ac tecum in cruce ad finem usque perdurem. Nullus tentationum impetus, nulla adversitatum procella, nullus contumeliarum turbo me a sancto proposito dejiciat, non mors, non vita, non instantia, non futura, non creatura aliqua me a tui dilectione separet.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui alterum latronem, convitia in te dicentem, tolerasti; alteri suam injustitiam humiliter agnoscenti, teque Deum et Regem pia fide confitenti, paradisi gloriam benignissime es pollicitus. Respice me, quæso, illis misericordiæ oculis, quos in latronem malorum suorum pœnitentem deflexisti. Utinam, adjuvante tua gratia, vitam tam innocentem agam, tam fideliter tibi serviam, tam caste te diligam, ut in ipsius vitæ meæ termino, abs te piissimo Redemptore vocem illam optatissimam audire merear: *Hodie mecum eris in paradiso!* Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM XIII.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui de cruce intuitus Matrem tuam dulcissimam, mœrore et lacrymis plenam, ejus dolorem medullitus miseratus es, et eam discipulo Joanni, rursumque Joannem, et in Joanne nos omnes eidem Matri tuæ commendasti. Concede mihi illam castissimo ardentissimoque amore diligere et colere, ut ego eam habens pro Matre, ab ipsa quoque pro filio agnosci merear. Da, ut eam in omni necessitate, et præcipue in hora mortis meæ, præsentem auxiliatricem inveniam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui vulneribus, hiantibus, et capite spinis obsito, in cruce miserabiliter pendens, omni solatio te destitutum fuisse professus es. Præsta, ut in omnibus adversitatibus, tentationibus atque derelictionibus, plena fide ad te Patrem piissimum semper confugiam, et de me penitus diffidens, in te solo sperem, tibique me totum resignem

et credam. Saucia interiora animæ meæ memoria vulnerum tuorum, inscribe atque imprime illa cordi meo, et mentem meam tuo Sanguine prorsus inebria, ut tibi soli intendam, te solum quæram, te inveniam, te teneam, te possideam.

Ave, dulcis Jesu, laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui exhausto corpore exsanguis in cruce anhelans, vehementissima siti cruciabaris, et nostræ salutis ineffabili desiderio æstuabas. Da mihi honorem tui, animarumque salutem ardentissime sitire, et me totum pro illis juxta voluntatem tuam hilariter impendere. Da, ut nullo rerum transeuntium amore tenear, nusquam creaturis hæream, ea quæ amanda sunt in te solo amem, te vero super omnia toto affectu diligam, et in te solo quiescam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui spongiam aceto imbutam tibi sub mortem sitienti porrigi voluisti, ut, eo gustato, pro nostra satisfaceres ingluvie, et paupertatis exemplum relinqueres. Da mihi gratiam, qua illicitas voluptates atque delicias asperner, et omnem cibi potusque excessum semper evitem, atque his, quæ pro corpusculi fulcimento largiris, moderate utar, ac gratias agam. Expurga palatum cordis mei, ut quidquid tibi placet, mihi sapiat; quidquid vero tibi displicet, etiam mihi amarescat.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, generis humani amantissime, qui opus nostræ redemptionis rite consummans, hostiam sanctam pro peccatis omnium in ara crucis te obtulisti. Esto, quæso, cogitationum, locutionum, actionumque mearum unicus scopus, ut in omnibus recta ac simplici intentione honorem tui quæram, et nihil extra te concupiscam. Præsta, ut in tuo servitio numquam tepescam, numquam deficiam: sed innovato in me spiritus fervore, indies magis ac magis ad te laudandum atque amandum accendar.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui mortem sponte suscepisti, quando Patri te commendans, inclinato venerando capite, emisisti spiritum. Ita videlicet animam ponendo pro ovibus tuis, bonum pastorem te esse declarasti. Mortuus es, Unigenite Dei, mortuus es,

dilecte mi, ut ego viverem in æternum. O quanta spes, quanta fiducia mihi reposita est in morte tua et sanguine tuo! Glorifico te, et gratias ago tibi, ut possum. Dona mihi vitiis et pravis concupiscentiis perfecte mori, tibi soli vivere, te solum sentire et intelligere, ut gratia tua, sanctaque charitate decenter ornatus, mox post hujus vitæ terminum ad te verum paradisum perveniam. Bone Jesu, propter amaram passionem et mortem tuam, da vivis veniam et gratiam, da fidelibus defunctis requiem lucemque sempiternam.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, in cujus morte sol lumen suum subduxit, velum templi scissum est, terra concussa tremuit, petræ dissiluerunt, et monumenta aperta sunt. Numquam, quæso, radii gratiæ tuæ me destituant, o sol justitiæ, Deus meus, sed jugiter illustrent penetralia mentis meæ, ut tibi lætus serviam. Velum hypocriseos a me prorsus detrahe, terram animæ meæ salutari pœnitentia concute, cor lapideum scinde, ut ego interius totus innovatus, peritura omnia contemnam, et amem cœlestia. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM XIV.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui latus tuum sanctissimum militis lancea patefieri, sanguinemque et aquam nobis ex eo propinare voluisti, ut animas nostras ablueres et vivificares. Voluisti, charissime mi, mellifluum cor tuum vulnerari propter me. Utinam cor meum lancea amoris tui profundissime saucies, illudque sacratissimo cordi tuo unias, ita ut aliud non possim velle quam quod tu vis. Introduc, Domine, introduc animam meam per vulnus lateris tui ad arcanum charitatis tuæ, in gazophylaciumDivinitatis tuæ ut te Deum meum, pro me crucifixum et mortuum, lætus glorificem, atque aliarum rerum visibilium formis e memoria mea deletis, tibi libere intendam. En saluto devotione qua possum, quinque præcipua vulnera tua. Salvete, salvete, roseæ, fulgentes et mellifluæ plagæ Redemptoris mei, Regis mei; salvete, præclara sigilla reconciliationis et salutis meæ. Peto, ut in vobis commorer et delitescam, atque ita ab omni malo securus sim.

Ave, dulcis Jesu! laus

tibi, et honor, et gloria, Christe, qui magno amicorum tuorum luctu de cruce depositus, aromaticis unguentis oblini, sindone involvi, alienoque sepulchro condi voluisti. Omnes, quæso, sensus meos, omnesque vires et affectiones meas in te sepeli, ut ego per efficacem amorem tibi conjunctus reddar ad omnia alia veluti stupidus, te solum sciam et sentiam unicum Redemptorem animæ meæ, unicum bonum meum.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui, diaboli potestate contrita, potenter amanterque ad inferos secundum animam descendens, Patres ibi detentos tua præsentia exhilarasti, et eos ad amœna Paradisi tempe, claramque Dei visionem transtulisti. Descendat nunc, oro, passionis sanguinisque tui virtus in purgatorium super animas meorum parentum, propinquorum, familiarium, benefactorum, et omnium fidelium defunctorum, ut a pœnis absolutæ recipiantur in sinum pacis æternæ.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui victor e clauso sigillatoque sepulchro prodiens, nobili triumpho resurrexisti a mortuis, et claritate serenissimi vultus tui reddita, amicos tuos novo perfudisti gaudio. Da, Domine, ut ego a vitiis veteris conversationis resurgens, in novitate vitæ ambulem, et quæ sursum sunt quæram, quæ sursum sunt sapiam, non quæ super terram, ut cum tu apparueris, vita mea, ego quoque tecum appaream in gloria.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui, expleto a resurrectione tua quadraginta dierum numero, coram discipulis tuis gloriosus ascendisti in cœlum, ubi sedes ad dexteram Patris, benedictus in sæcula. Utinam anima mea tui amore semper langueat, mundana omnia fastidiat, æterna attendat, ad te anhelet, te esuriat et sitiat! Utinam nihil me afficiat, nihil exhilaret præter te, o Domine Deus meus!

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui electis discipulis tuis, unanimiter in oratione perseverantibus, dedisti sanctum Spiritum, eosque ad docendum gentes in universum orbem misisti. Emunda, quæso, interiora cordis mei; da mihi veram mentis puritatem et stabilitatem, ut ipse Paracletus,

gratum habitaculum in anima mea inveniens, uberioribus gratiæ suæ donis me exornet, me consoletur, me confirmet, me impleat, regat et possideat.

Ave, dulcis Jesu! laus tibi, et honor, et gloria, Christe, qui in novissimo die judex adveniens, reddes unicuique juxta opera sua, aut præmium aut supplicium. Piissime Domine Deus meus, concede mihi cursum miseræ hujus vitæ ita innocenter secundum tuam voluntatem peragere, ut anima mea de corporis ergastulo egrediens, meritis virtutibusque tuis vestita, a te misericorditer recipiatur in cœlum, ubi cum omnibus Sanctis tuis te laudet et benedicat in æternum. Amen.

ENDOLOGIA AD JESUM XV.

Dulcis Jesu! ego, heu! per omne tempus vitæ meæ graviter te offendi, tibi ingratus esse numquam destiti, gratiam tuam multis modis impediens, et veteribus delictis nova semper adjiciens. Multa quidem et magna nimis sunt scelera mea; sed misericordia tua infinita atque immensa est; fateor, prorsus indignus sum filii nomine, verumtamen te Patrem meum esse agnosco. Tu es verus Pater meus, tu es tota fiducia mea, tu es fons misericordiæ, qui sordidos confugientes ad te non repellis, sed abluis. Ecce, o suave refugium meum, ecce ego, omnium creaturarum tuarum peripsema, venio ad te, nihil mecum adferens præter peccatorum sarcinas. Humiliter procido ad pedes pietatis tuæ, humiliter imploro tuam misericordiam; ignosce mihi, obsecro, o spes mea certissima, et salva me propter nomen tuum. Credo enim nulla delicta tam gravia et enormia esse, quæ meritis sanctissimæ passionis tuæ expiari non possint.

Dulcis Jesu! ego in remissionem omnium peccatorum meorum offero tibi stupendam illam charitatem, qua tu, Deus æternæ majestatis, homo passibilis pro nobis fieri, et plusquam triginta annis inter multiplices labores, ærumnas atque persecutiones fatigari non dedignatus es. Offero illum mœrorem, illum sanguineum sudorem, illas angustias quibus in horto afflictus fuisti, quando Patrem fixis terræ genibus orabas. Offero summum illud patiendi desiderium quo flagrabas, quando teipsum inimicis tuis ultro obtulisti

capiendum. Offero vincula, verbera, improperia, convitia, blasphemias, alapas, colaphos, sputa, atque alia genera injuriarum, quas in domo Annæ ot domo Caiphæ per totam noctem passus fuisti. Hæc tibi offero gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices, et ad vitam æternam perducas.

Dulcis Jesu! ego pro universis iniquitatibus meis offero tibi inauditam illam ignominiam, quam sustinuisti, quando cæsus, consputus ac vinctus, mane ducebaris ad Pilatum, deinde a Pilato ad Herodem, rursumque ab Herode ad Pilatum. Offero illud sanctum silentium, quo humiliter tacuisti ad illatas contumelias et injurias. Offero contemptum tui et ridiculæ vestis probrum, quo ab Herode affectus fuisti. Offero acerbissimam illam pœnam, quam perpessus es, quando ad columnam ligatus dire flagellabaris. Offero ipsorum flagrorum sulcos, et purpurei sanguinis rivulos, e sanctissimis membris tuís undique prosilientes. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices, et ad vitam æternam perducas.

Dulcis Jesu! ego pro universis delictis meis offero tibi ineffabilem illam humilitatem ac patientiam, quam exhibuisti, quando veste coccinea ad majus ludibrium indutus, spinis coronabaris, nugatorie salutabaris, impie conspuebaris, alapis et arundine cædebaris, ante tribunāl statuebaris, injuste damnabaris, demumque ad Calvariæ locum crucem propriam bajulans, ignominiose protrahebaris. Offero dolendam illam sanctissimi corporis tui fatigationem, et laboriosos pedum tuorum gressus, atque humerorum tuorum gravissimam pressuram. Offero sudores, sitim, et cœtera omnia quæ mitissimo promptissimoque corde mei causa tunc pertulisti. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices, et ad vitam æternam perducas.

Dulcis Jesu! ego pro universis sceleribus meis offero tibi atrocissimos illos dolores, quos passus es, quando sanctissimi corporis tui vulnera vestimentorum detractione innovabantur, quando manus et pedes cruci affigebantur, quando membro-

rum tuorum compages solvebantur, quando pretiosus sanguis tuus e vulneribus sacris, velut e fontibus, largiter profluens, fundebatur. Offero singulas rosei illius sanguinis guttas. Offero inexplicabilem mansuetudinem atque benignitatem tuam, qua iniquorum tibi insultantium proterviam patientissime tolerasti, et insuper pro eis Patrem orasti. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices, et ad vitam æternam perducas.

Dulcis Jesu! ego pro universis culpis, vanitatibus, negligentiis et distractionibus meis, offero tibi incomprehensibiles illos cruciatus, quos pertulisti, quando angustiis totus expositus, et omni consolatione destitutus, miserabiliter in cruce pendebas, medius inter latrones, et quando vehementissima siti æstuans, felle atque aceto potabaris. Offero summam illam charitatem, qua tu caput venerandum inclinans, pro nobis emisisti spiritum. Offero pretiosum illum sanguinem, et salutiferam illam aquam, quæ de latere tuo lancea confosso effluxerunt. Hæc tibi offero, gratias agens, rogansque immensam pietatem tuam, ut horum meritis animam meam plene purifices, et ad vitam æternam perducas.

Dulcis Jesu! ego in perfectam remissionem omnium offensarum, quas in te quovis modo per omne tempus vitæ meæ admisi, offero tibi omnia redemptionis nostræ mysteria, quæ peregisti. Offero incarnationem, nativitatem, conversationem, passionem ac mortem tuam. Offero quidquid in gloriosissima Genitrice tua Virgine Maria et ceteris Sanctis umquam tibi placuerit. Eia suavissime Jesu, satisfaciat, quæso, pro peccatis meis coram Patre tuo summa innocentia tua. Totam vitam meam, nimis indignam ac sceleratam, purissima sindone meritorum tuorum involve, ut mea, quæ immunda sunt, tuis copulata, mundentur, et mea, quæ imperfecta sunt, tuis unita, perficiantur, atque ita et præsenti vita durante, tibi placeam, et cursu hujus miseræ peregrinationis confecto, mox ad te, qui es salus æterna, perveniam. Amen.

### ENDOLOGIA AD JESUM XVI.

Dilecte mi Jesu, dulcis Redemptor, ablue, quæso, animam meam sanguine tuo

pretioso, et omnia peccata mea dele. Extingue et mortifica in me quidquid tibi displicet; desidero enim tibi placere, ac te diligere toto corde, tota anima, tota virtute. Exorna me meritis et virtutibus sanctæ humanitatis tuæ. Crea in me cor mundum, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Da mihi mentem tranquillam, et ad similitudinem cœli claram ac limpidam. Excita in me castæ dilectionis ardorem. Perflet areolam animæ meæ aura cœlestis, ut torporis gelu resoluto, fluant in ea aromata gratiæ tuæ.

O amabilis abyssus, Deus meus et gaudium meum, Jesu! o lux antiqua, lux pulchritudinis immensæ, illustra animam meam inenarrabili serenitatis tuæ splendore. Illucesce mihi anhelanti ad te, ne tenebræ mortis me comprehendant. Ecce, Domine, ecce ego totis cordis mei medullis cupio diligere te; adjuva infirmitatem meam, et dona ut experiar mellifluæ charitatis suaves influxus. Accende et penitus concrema me igne amoris tui.

Domine mi, adoro te, veneror te, laudo te, glorifico te quibus possum modis. Tu enim es cœlorum amœnitas, et cœlorum pulchritudo; tu saporum dulcor, et odorum fragrantia; tu sonorum suavitas, et intimorum amplexuum ineffabilis jucunditas. Tu es totus serenus, totus floridus, totus amabilis, totus desiderabilis. Tu animæ meæ vita, honor, solatium, atque unicum bonum. Perunge, quæso, viscera cordis mei gratiæ tuæ balsamo, ut ego totus diffluens sancti amoris deliciis, fiam holocaustum acceptum coram te, et tibi placeam jugiter.

Tibi me totum commendo, o tota fiducia mea: tibi me totum offero, o spes mea certissima; in te me totum projicio, o salus mea unica. Illumina, doce, dirige, et posside me totum. Inclina, Domine, aurem misericordiæ tuæ gemitibus pupilli invocantis te. Unum peto, unum flagito: ferveat in me amor tui, occupet interiora mea affluentia perfectæ charitatis, ut cor meum tibi moduletur canticum suave.

O fortitudo insuperabilis, et firmamentum æternum, Jesu Christe, cujus dilectio vincit mortis violentiam! vivifica, compinge et stabili totam animæ meæ substantiam in te. Aspiret mihi odor amoris tui in omni calamitate interna, et

paupertate spiritus, ut memoria dulcedinis tuæ exhilaratus, confirmer, ne deficiam. Exorna hortulum cordis mei floribus sanctissimæ charitatis, ut tu in eum descendens invenias decorem tibi placentem.

O bone Jesu! o pulcherrime sponse cœlestis! o sanctarum mentium secretissime consolator! qui in te confidentes sub umbra alarum tuarum protegis in periculis qui te diligentes fragrantia deliciarum spiritualium recreas in afflictionibus; accende cor meum igne illo, quem venisti mittere in terram, et voluisti vehementer ardere, ut diligam et laudem te ex intimis medullis animæ meæ.

O flamma lucens, flamma ardens et consumens! quam invisibiliter splendes! quam suaviter aduris! Te solum sitio, mi Jesu, te solum esurio, te magno cordis desiderio inclamo, tuam gratiosam faciem videre exopto. Nihil mihi tam suave, quam tecum esse, tibique adhærere. Utinam in omni loco et tempore pura mente coram te assisterem, et perfecte amans, ulnis animæ meæ feliciter te complecterer!

ENDOLOGIA AD JESUM XVII.

Trahe me post te, Deus meus expedi, cor meum a creaturis, et erige illud ad te super omnia atque in omnibus manentem. Sileat mihi strepitus rerum transeuntium, discedant vanæ imagines et formæ, quas cogitationum instabilitas effingit. Transeat anima mea cuncta sensibilia, et fidei oculos figat in te Creatore ubique præsente. Da, Domine, ut ego in te solo requiescam, in te solo delecter, in te solo consolationem requiram.

Mellitissime Jesu, transfige medullas animæ meæ dulcissimo amoris tui telo, perfode omnia intima mea ignea charitate, transverbera spiritum meum acutissimis sagittis tuis, ut vulneratus a te feliciter langueam, et in te veluti deficiam, tibique intime uniar, ad gloriam nominis tui. Illabatur cordi meo odor tui suavissimus, adveniat amoris tui inenarrabilis fragrantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias.

Benignissime Jesu, da mihi cordis contritionem, et lacrymarum fontem tibi placentem. Præsta, ut ego cum magna reverentia in conspectu tuo assistens, habeam te in corde, in ore et præ oculis assidue, sicque

nullus pateat in me locus adulterinis amoribus. Effice, ut ego totus dulcedine sanctæ charitatis plenus, totus fiamma tui amoris succensus, diligam te Deum meum ex toto corde meo, et ex intimis medullis præcordiorum meorum.

Amo te, mi Jesu, et magis magisque amare concupisco. Da, ut per virtutem amoris tui excutiam pondus omnium terrenorum desideriorum, et post te curram in odorem unguentorum tuorum. Scribe in tabula cordis mei sanctissimam tui memoriam; ut nihil carnale, nihil indignum cogitem, sed te solum quæram, et præsentiam gratiæ tuæ in intimis meis semper sentiam.

O fons misericordiæ, qui numquam manare cessas! veni, et tribue te animæ meæ. Te enim toto corde desidero, ad te tota mentis intentione aspiro. Da mihi amorem tui castum, fortem ac stabilem, qui me totum repleat, totum in se transmutet: ut efficiar tibi perpetuum holocaustum in odorem suavitatis.

Pasce famelicum mendicum tuum, pastor æterne, illumina mentem meam cæcam claritate præsentiæ tuæ, accende cor meum frigidum igne amoris tui. Absorbeat me melliflua vis sanctæ charitatis, purget, penetret et rapiat interiora mea flamma castæ dilectionis, ut tibi intendam, te desiderem, tibi inseparabiliter adhæream.

Te invoco in mentem meam, dulcis Deus, te inclamo toto cordis affectu, salus mea. Intra in intima viscerum meorum; coapta animam tibi, ut possideas illam sine macula; mundissimo namque Domino munda debetur habitatio. Da, ut tui amore totus ignescam, totus a meipso deficiam, te solum sciam et sentiam, in te solo exultem et conquiescam. Amen.

### ENDOLOGIA AD JESUM XVIII.

Sanctifica, quæso, Domine, cor meum quod fecisti, et ejecta omni malitia, reple illud gratia tua, plenumque conserva, ut dignum habitationis tuæ efficiar templum. Tu melle dulcior, tu sole serenior, tu nectare suavior, tu auro et gemmis pretiosior, tu, quæso, unus animæ meæ super omnia placeas, te unum illa votis ardentibus concupiscat.

O jucunda serenitas, et serena jucunditas! o lux gratissima, quæ illuminas omnem hominem venien-

tem in hunc mundum! excute tenebras mentis meæ, illucesce animæ meæ, ut ipsa se et te videat, teque magis quam se diligat. Amem te, dulcis Jesu, super cœlum et terram, atque super omnia quæ cœlo et terra continentur, ut tu solus sis tota intentio mea, totumque desiderium cordis mei. Te mediter interdiu cum animi alacritate et gratitudine, te nocte sentiam in sopore, tecum colloquatur anima mea in omni tempore.

O vera charitas, et chara veritas, Deus æterne! tibi adhærere concupisco, tibi intendo, tibi inhio, ad te suspiro, te quæro, te amplecti desidero, in te solo consolationem accipere volo. Sic omnia præter te relinquere cupio, quasi anima mea a corpore separata coram te consisteret, et amabili præsentia vultus tui perfecte frueretur.

Dulcissime Domine Deus meus, da lasso requiem confirma deficientem, ciba esurientem, collige dispersum, redintegra scissum, aperi pulsanti, porrige misero manum pietatis tuæ, jube ut ingrediar ad te, et maneam apud te. Obliviscatur sui anima mea, tibi inter prospera et adversa immobiliter adhæreat, prorsus respuens omnes adulterinas consolationes.

O lumen quod semper luces, et numquam obfuscaris, illumina me. O ignis, qui semper ardes, et numquam extingueris, accende me. O amor, qui semper ferves, et numquam tepescis, absorbe me et transforma in te. Da mihi toto corde et pleno desiderio ad te incessanter aspirare, atque in te suavissimo sancte respirare. O gaudium meum, lætifica animam meam. Intra in eam, o dulcedo summa, ut dulcia sapiat; intra in eam, ut te solum sentiat, et in te solo oblectationem capiat.

Domine, consolare me afflictum, infunde pectori meo suavitatem charitatis sanctæ. Ineffabilis virtus amoris tui penetret et rapiat omnia viscera animæ meæ. Nimium lassor in hac peregrinatione, nimium fatigor inter ærumnas præsentis sæculi, concede, ut resumptis viribus volitem per sinceram contemplationem usque ad locum habitationis gloriæ tuæ. Ibi requiescam sub umbra alarum tuarum, a tumultu terrenarum cogitationum.

Saucia, Domine mi, saucia interioris hominis mei

arcana jaculo amoris tui, et medullas torpentis animæ flammis salutaribus succende. Scribe digito tuo in pectore meo dulcem memoriam tui, nulla umquam oblivione delendam, ut te ambiam, te sequar, te inveniam, et in te jugiter pure delicier. Amen.

## ENDOLOGIA AD JESUM XIX.

Illucesce cordi meo, o lumen oculorum meorum; præbe te mihi, o vita animæ meæ, delectatio mea magna, solatium meum optatum, requies mea dulcis, gloria mea, honor meus et unicum desiderium meum. Teneam te, dilecte votorum meorum, astringam te, o sponse cœlestis; sentiam te, exultatio mea summa, intus et foris; possideam te, beatitudo sempiterna; fruar te in medio cordis mei, o vita perennis.

Diligam te, Domine, fortitudo mea; amem te, Deus meus, refugium meum et liberator meus; adhæream tibi, o spes mea suavis, in omni tribulatione mea; amplectar te, o æternum bonum, sine quo nihil est bonum. Aperi penetralia aurium mearum, o verbum penetrabilius gladio ancipiti, ut intus audiam vocem tuam, et ea audita in te vivam ac gaudeam.

Visita derelictum, consolare mœrentem, mi Jesu: exhibe misero viscera misericordiæ tuæ. Largire gratiam, quæ me, totum crucifixum sæculo liquefaciat in amore tui. Perstringe oculos meos, lux incomprehensibilis; perstringe eos radiis claritatis tuæ, ut non videant vanitatem. Suavi fulgetro Divinitatis tuæ percute eos, et præsta, ut ego per internas lacrymas te requiram die ac nocte.

Tribue visum, Domine Deus meus, qui vultum tuum amabilem utcumque videat; largire auditum, qui vocem tuam dulcissimam percipiat; crea olfactum, qui odorem unguentorum tuorum hauriat; palatum sana, qui gustet abundantiam suavitatis tuæ. Da cor quod te timeat, memoriam quæ te recolat, voluntatem quæ tibi summo bono indissolubiliter adhæreat. Totus spiritus meus a te solo possideatur, et in te solo conquiescat.

O vita cui omnia vivunt! vita, per quam vivo, sine qua morior! vita, per quam exulto, sine qua mœreo! vita dulcis et amabilis! ubi te inveniam, mi Jesu, ut in me deficiens, in te solo subsistam? Te quæro, ad te

suspiro, præ desiderio tui langueo; veni, precor, quia sine te nihil sum et pereo. Scinde cor meum tua potenti unctione; largire, ut per ardorem dulcissimi amoris tui omni tempore hostia viva coram te efficiar.

Abducat, quæso, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, ingens vis dilectionis tuæ. Da, Domine, ut totus ardeam charitate perfecta, quam aquæ multæ non possint extinguere. Effice, ut penitus obliviscar rerum transeuntium, præ magnitudine amoris tui, adeo ut propter illas neque intempestive doleam, neque inepte gaudeam, sed in te solo stabiliar et quiescam.

Deficiant, Domine, vitiosæ cordis mei affectiones, emoriantur carnis meæ concupiscentiæ, ut vivas tu in me, et igniti carbones sanctorum desideriorum jugiter flagrent in medullis præcordiorum meorum. Vulnera, Domine, vulnera peccatricem animam meam acutissimo telo perfectæ charitatis, confige me intus jaculis ferventissimi amoris: ut feliciter a te percussus, in te veluti exspirem. Eia, jucundissima abyssus inæstimabilium voluptatum, abripe et absorbe in te spiritum meum. Amen.

### ENDOLOGIA AD JESUM XX.

Recipe me, quæso, o dulcis Jesu, in amoris tui suavissimos amplexus, quibus constrictus spiritus meus frigidus ac torpens, totus incalescat. Aperi, Domine, aperi pulsanti, et orphanam animam meam in delicatum divini cordis tui conclave admitte. Dilecte mi, dilecte mi, te desidero, te concupisco; introduc me in te, et ingredere vicissim in me, ut et ego tuus sim, et tu meus in æternum permaneas. Hauriam ex te aquam vivam, o fons mellitissime, qua gustata, nihil deinceps præter te sitiam; rore cœlestis sapientiæ consperge me, quo intime imbutus, purus a terrenis cupiditatibus conserver.

Benedic, precor, inopi, benedic calamitoso exuli tuo, benignissime Deus. Vivido tui amore accende intima mea, ut perfecte diligam te, et nihil concupiscam extra te. Reconde me, o charorum omnium charissime; reconde me in splendidam, amœnam ac suaveolentem lateris tui cavernam, ut ibi feliciter obdormiens, sopore mellifluæ charitatis refociller. Ego me totum tibi offero ac trado; suscipe et posside me totum, o dulce solatium animæ meæ! Sic

me tibi conjunge, sic agglutina, ut numquam a te separari possim; sic te mihi præbe, sic communica, ut jugiter coram te in Spiritu sancto delicier, ad laudem nominis tui.

Utinam, Domine mi, utinam mihi vilissimo indignissimoque peccatori aperire digneris dilectionis tuæ cubiculum, et suavissimi cordis tui sacrarium! Tibi enim per efficacem amorem copulari vehementer exoptat anima mea. Numquam autem in me esset desiderium diligendi te, nisi tu illud præcordiis meis insereres; per te igitur obtineam, quod per te desidero. O vernans et serena dies, Deus meus! te sitio, ad te suspiro, amore tui langueo. Junge me tibi vicinius, o sol rutilantissime, ut ad calorem aspectus tui, flores sanctæ charitatis progerminet terra cordis mei. Amoris tui lampadem in me succende, pacis tuæ dulcedinem pectori meo infunde, meque per omnia gratiæ tuæ coapta, ut tibi placeam.

Mi Jesu, vesti me radianti purpura pretiosi sanguinis tui; cinge me fulgenti corona venerandæ mortis tuæ, et recipe me in thalamum fragrantis amoris tui. Submove a me quidquid tibi displicet in me. Cor meum pravum, sordidum ac vanum refinge secundum cor tuum. Da mihi simplicem affectum et mentem puram. Amplectere me charitatis tuæ brachiis, adstringe Divinitatis tuæ ulnis, ut per virtutem ardentis dilectionis anima mea tota liquefacta, effluat in abyssum cœlestium deliciarum. Dulcedo tua, Domine, pietas tua, species tua, pulchritudo tua, vehementer allicit intima mea; sed nisi demiseris te ad me, non possum ego conscendere ad te. Inclina igitur te, o fons misericordiæ, usque ad vallem miseriæ meæ, ut toto corde, tota anima, tota virtute amem te.

Eia, honor meus, gaudium meum, voluptas mea sincera, Jesu! tantam, quæso, amoris tui flammam in penetralibus cordis mei excita, ut deinceps nihil sub sole eligam, nihil concupiscam præter te. Cœlum, terra, et omnia quæ his continentur, sine te sint mihi veluti hibernum gelicidium. O flos venustissime! o dilecte mi Jesu! exorna animam meam illo charitatis decore quem diligis, impingua eam illo amoris adipe quo delectaris. Sic cor meum expoli et læviga gratia tua,

ut nihil terrenum ei adhærere possit. Jugiter defluant in me benedictionum tuarum stillicidia, quibus irrigatus, perfecte emunder a peccatorum sordibus, et sanctimoniæ fructus tibi placentes omni tempore proferam.

O dulce lumen animæ meæ, illucesce mihi, ut in meridiem clarissimam vertantur densissimæ tenebræ cæcitatis meæ. Da mihi requiescere sub umbra charitatis tuæ; da mihi obdormire in sinu amoris tui, ibique terrenarum rerum penitus oblivisci. Nihil mihi jucundius, nihil utilius, quam diligere te, tibique intime conjungi. Applica me divino cordi tuo, et in fruitionem vernantium amœnitatum immerge. Eia, ardor suavissime, Deus meus, vora et prorsus consume pulvisculum totius substantiæ meæ. Transfer cor meum in te, ut glutino inseparabili tibi adhærens, vivam de te, et tamquam lilium effloream coram te.

O mare totius dulcedinis, demitte super me aquas tuæ pietatis. Aperi cataractas abyssi magnæ, et prorumpant in me fluctus miserationis tuæ. Demerge me in vivi amoris tui diluvium, absorbeat me beatæ charitatis tuæ profundum. Dirue, Domine, odiosam maceriam pravæ tepidæque conversationis meæ, et præsta, ut inextinguibili fervore sequar te. Produc austrum ardentissimæ dilectionis, qui me tam valido impetu impellat in te, ut a meipso translatus, et mihi ipsi veluti extinctus, deinceps spiritum non habeam extra te. Imprime mihi tuæ propitiationis osculum, quo consignatus, nihil posthac amem præter te; quia tu es tota possessio, tota hæreditas, totaque expectatio animæ meæ. Amen.

### ENDOLOGIA AD JESUM XXI.

Dulcis Jesu! circumdet me dilectio sancta quasi vestimentum decoris, ut anima mea non inculta, sed ornata coram te appareat. Virtute amoris tui erige me ad contemplationem divinam: assume spiritum meum super alta montium æternorum, ne ego elongatus a te, involvar tenebris hujus sæculi.

Exhilara mœrentem optata præsentia gratiæ tuæ. Emitte lucem tuam jucundissimam, ut, ea illucescente, renoventur ad exultationem omnia interiora mea. Adesto mihi in corde, adesto in ore, adesto in

opere, ministerioque quotidiano; quia vehementer te desidero, et avida expectatione adventus tui contabesco.

O Domine, qui me totum creasti, totum redemisti, totumque perditum centies et millies ex inferni faucibus eduxisti, da, ut diligam te ex intimis medullis animæ meæ, quia tu prior dilexisti me. Inebria me sobrio amore tui, ut solo hic corpore detentus, libera mente transvolem ad te unicum thesaurum meum.

Mi Jesu, ita, quæso, percelle mentem meam suavissima violentia tuæ dilectionis, ut ipsa sancto fervore stuporeque victa, et supra se rapta, feliciter transeat in te. Domine, totus spiritus meus, totum corpus meum, tota vita mea, laudet te, ut dignum fiam holocaustum coram te omnibus momentis quibus fruor donis misericordiæ tuæ.

O amor dulciter stringens et ligans! o amor suaviter intima penetrans et vulnerans! o amor mirabiliter languorem inducens, defectumque efficiens? o Deus meus Jesu Christe, veni, ne tardaveris; quia millies exopto te, et spiritus meus profundis gemitibus altisque suspiriis anhelat ad te.

Dilata, Domine, mentem meam immensitate tui suavissimi amoris, et sustolle eam in abyssum fulgentissimæ tuæ lucis, ut vel rapida contemplatione attingat te sapientiam æternam. Misericorditer intuere me inter calamitates hujus vitæ laborantem. Colloca animam meam lassam in loco pascuæ optatissimæ, juxta purissimos fontes voluptatis tuæ, ut ibi deliciis cœlestibus refocillata, cito obliviscatur miseriarum suarum.

O omne bonum, Christe Jesu, excita in intimis meis desideria ardentissima, quibus te semper expetam, et ad beatam illam æternæ patriæ mansionem jugiter aspirem. O unica salus mea, amem te plus quam me, et me non amem, nisi in te, et propter te. Obtegat me totum dilectio sancta. Anima mea dulcedine tui illecta, penitus colliquescat charitate, et secedens a seipsa, atque tota transiens in te, degustet micas ineffabilium epularum, guttulasque incomprehensibilium deliciarum, quas præparasti diligentibus te.

O Deus meus et omnia, nihil, quæso, præter te requirat anima mea; etiam

se libenter deserat propter te. Te desideret, amore tui æstuet, ut sancto fervore extra se rapta, atque abysso divitiarum gloriæ tuæ absorpta, sentiens non sentiat, et intelligens non intelligat, sed in te feliciter soporata obdormiat, tibique nuda charitate uniatur. Moveat te, Domine, suspirium meum, et multiplex mœror meus super terram. Largire, ut interim, dum præsentis exilii miseriis adhuc fatigor, refrigerium et requiem in te inveniam, ac ubi corpus hoc deposuero, illico in cœlum a te recipiar.

ENDOLOGIA AD JESUM XXII.

Domine, dilexi decorem gloriosæ domus tuæ. Ad recordationem lucidissimi opulentissimique regni tui, et felicitatis æternæ quam obtinent Beati, deficit virtus animæ meæ. Nam apud te melior est dies una, quam hic multa millia dierum: apud te et in te est omne bonum. O quando veniam et apparebo ante rutilantem et gratiosam faciem tuam? Quando divini vultus tui præsentia plene satiabis desiderium meum? O amor cordis mei, Deus meus, quando perfecte possidebo te? Quando adjunges me tibi vicinius, ut clare videam te? Quando, laqueis contritis, et tentationibus periculisque omnibus sublatis, perduces me ad te, ut jam amplius non commaculer, nec offendam te, sed hymnum secure dicam magnificentiæ tuæ super multitudine misericordiæ tuæ? Eia, dilecte mi, erige, quæso, de pulvere pauperem et miserum; educ me, cum tibi placuerit, e carcere, et misericorditer subleva in cœlum, ut ibi sempiterno jubilo laudet te anima mea pro omnibus bonis quæ mihi gratuito dedisti, o unica salus mea!

Dulcis Jesu! vita beatissima, ad te anhelat atque æstuat cor meum. Tu enim magnus es et laudabilis nimis; tu es totus pulcher, et plenus ineffabilibus deliciis. O quando sine medio contemplabor te? Quando videbo te speciosum forma præ vultibus hominum et Angelorum? Inenarrabilis venustas tua, Domine, plurimum me invitat et attrahit, castasque concupiscentias in me accendit. Jucundum atque admirabile lumen tuum, et splendores tui fulgentissimi, mirifice exhilarant spiritum meum. Jam hoc curruptibile corpus est mihi tamquam cor-

tex amarissimus, et ego millies optarem, eo deposito atque abjecto, emori, quo nux tibi chara, anima mea, reciperetur in cœleste horreum, et semper esset apud te verum possessorem suum. Eia, dilecte votorum meorum, intende voci orationis meæ; quia cordis suspiriis te requiro, et vernantissimam amœnitatem Divinitatis tuæ aperte contemplari desidero.

Clara tui visio, Domine, infinito præcellit omnem pulchritudinem, et omne delectamentum quod in hoc mundo oculus vidit, vel auris audivit, aut quod in cor hominis ascendit. O quando ostendes mihi teipsum? Quando adimplebis me lætitia, exhibendo mihi desiderabilem vultum tuum? Quando divinis optatissimisque fulgoribus tuis me perfecte illustrabis? Quando potabis et inebriabis me dulcissimo torrente voluptatis tuæ? Quando te sponsum animæ meæ suaviter complectar, osculabor, et laudabo cum Sanctis tuis in illa superna felicissimaque regione! Ecce, concupiscit et deficit anima mea diligens te. Eia, Deus meus, miserere mei. Attende gemitus meos multiplices, et concede, ut ubi carne exutus fuero, mox perveniam ad te, atque glorificem te in æternum; quia ad hoc creasti et redemisti me.

Dulcissime Deus, ego tecum esse, amabilemque faciem tuam intueri vehementer exopto. Et quando id mihi continget? Quando ab hoc exilio in cœlestem illam, et veram patriam meam revertar? O patria beata, ubi lux serenissima perpetuo fulget, ubi ver amœnissimum et æstas jucundissima semper manet, ubi gratissima tempe jugiter vernant, et flores elegantissimi numquam marcescunt, ubi odor suavissimus sempiterne durat, et canticorum organorumque admiranda melodia sine fine resonat! O Domine, apud te est paradisus intellectualis, paradisus summe desiderabilis, manans incessanter rivulis purissimarum voluptatum, et demulcens indicibili venustate omnigenarum pulchritudinum. Apud te est fons vitæ, et speciosa meridies, et temperies tranquilla, et pax imperturbabilis. Apud te et in te, exuberantissime atque eminentissime, invenitur quidquid cordi humano placere et gratum esse potest. Quid igitur volo præter te? Tu

mihi sufficis. Da, ut nihil diligam extra te, et tandem perfecte obtineam te verum, unicum, atque incommutabile bonum meum.

Credo, Domine, quod non video. Credo opes, delicias et jucunditates cœli esse immensas atque æternas. Credo te summam increatamque pulchritudinem ac dulcedinem esse, a qua omnis pulchritudo et dulcedo creata profluit; sed te nondum video. Præsta, Domine, ut permanendo in eo quod credo et non intueor, merear aliquando intueri quod credo. O Jesu mi chare, quando, quæso, corpus meum, te perimente, revertetur in pulverem, et anima mea refluet in te, suam originem? Quando in te, o pax mea dulcissima, obdormiam et requiescam, ut aperte contempler tuam ineffabilem gloriam? Quando plene aspirabit mihi mellifluæ Divinitatis tuæ fragrantia, et exorietur tuæ manifestæ visionis dies sempiterna? O quam bonum est, dilecte mi, te clare videre, te habere, te in æternum possidere! Eia, tu mihi concede, ut miseram hanc vitam in tua gratia atque amicitia feliciter finiam.

Dulcis Jesu, in hora exitus mei benedic animæ meæ, et mortem meam involve vitali morte tua, quæ est charissimum fœdus, firmissimumque pactum reconciliationis meæ. Tunc mitte ad me fidelem adjutricem Mariam Virginem, Matrem tuam amabilem, et stellam maris inclytam, ut, conspecta hac præclara rutilantique aurora, cognoscam te solem justitiæ mihi jam propinquum esse. Dic tunc animæ meæ: Ego Creator, Redemptor et amator tuus, per angustias mortis quæsivi et acquisivi te; semper mecum eris, noli timere.

Eia, præcellens gemma divinæ nobilitatis, et elegans flos divinitatis humanæ, Jesu suavissime, tu me hinc migrantem benigne recipe in beatam domum æternæ pacis et claritatis tuæ. Ibi, o salus mea unica, visu mellifluæ præsentiæ tuæ consolare me. Ibi gustu charæ acquisitionis, qua me redemisti, recrea me. Ibi in spiramento suaviflui spiritus tui attrahe et imbibe me. Ibi per osculum perfectæ unionis in perpetuam tui fruitionem immerge me, ut vivam de te, et exultem in te, tibique hostiam laudis reddam sine fine. Amen.

*Si qui majorem etiam delectum desiderant, ii adire poterunt illas preces quæ re-*

*periuntur post officium feriæ V. Vide N° XIX.*

*Post exhibitum SS. Sacramento cultum divinum, laudesque Domini nostri Jesu Christi, Dei et Hominis, toto corde decantatas, fere semper canitur una ex Antiphonis, quas reperies in fine Completorii. Vide N°XII.*

*Quod si alias preces ad Beatam Virginem præterea quæras, unam ex his suavissimis endologiis Ludovici Blosii ad benignissimam nostram Matrem seligere poteris.*

### ENDOLOGIA AD MARIAM I.

Ave, suavis Maria, ave Virgo sacratissima, quam Deus sibi in Matrem elegit ante sæcula. Tu es felix illa inter Deum et homines mediatrix, per quam ima summis copulata sunt. Tu exordium vitæ, tu janua gratiæ, tu portus naufragi sæculi. Impetra mihi, quæso, perfectam peccatorum meorum veniam, perfectamque Spiritus sancti gratiam: ut Filium tuum Salvatorem meum teque Matrem misericordiæ studiose colam, et caste ardenterque diligam.

Ave, suavis Maria, quam variis figurarum tegumentis præsignatam, et diversis Prophetarum oraculis promissam, patres antiqui magnis exoptaverunt desideriis. Assume me in servulum, o Domina; adopta me in filium, o Mater: largire ut inter illos numerer, quos virgineo pectori tuo inscriptos amas, doces, dirigis, adjuvas, foves ac protegis.

Ave, suavis Maria, quam Deus ab originali culpa honorando privilegio præservavit, et singulari gratia eximiisque donis ornavit. O Virgo præclara, Virgo serena, Virgo purissima, o electa ex millibus infantula, ne repellas me iniquum, ne rejicias illuvie peccatorum fœdatum; sed exaudi miserum clamantem ad te, consolare desiderantem te, et adjuva sperantem in te.

Ave, suavis Maria, cujus nativitas optata sæculis, expectata gentibus, mundum nova luce illustravit, novoque exhilaravit gaudio. O perfectæ innocentiæ Virguncula, impetra mihi veram vitæ sanctimoniam: dissipa in me quidquid virgineis oculis tuis displicet. Miserere mei, Domina, miserere mei; quia miseratio tecum crevit ab infantia.

Ave, suavis Maria, quam Deus omni corporis pulchritudine omnique morum honestate perfudit, atque amabilem omnibus reddidit. O elegantissima, o gratiosis-

sima Virgo, exorna, quæso, animam meam decore spirituali, insere cordi meo vividos sanctæ castimoniæ affectus, ut tibi placeam, et cultum acceptum exhibeam.

Ave, suavis Maria, quam sanctissimi parentes in templum adductam Domino obtulerunt, et divinis mancipaverunt obsequiis : ubi tu vitam degens angelicam, tota humilis, tota pia, tota mitis, tota benigna, omnes te intuentes ad vitæ integritatem puritatemque mirifice alliciebas. Dona mihi odorem sanctæ conversationis, ex te haustum, apud omnes spirare; ut, quantum in me est, nemini sim gravis, neminem scandalizem, sed omnes consoler, omnes ad Dei amorem mundique contemptum provocem.

Ave, suavis Maria, ave virginum primiceria, quæ te totam Deo consecrans, virginitatis votum ei mente grata obtulisti : tu absolutum pudicitiæ totiusque sanctitatis exemplar ; tu illa speciosissima pariter et inconcupiscibilis Virgo, cujus purissima perfectissimaque conversatio corda aspicientium cœlesti quadam luce penetrabat, castioraque reddebat. Impetra mihi, quæso, veram mentis et corporis munditiem, ut in me nihil suscipiam fœdum, nihil admittam vitiosum, nullis concupiscentiæ illecebris consentiam; sed omnia carnis irritamenta mente et ratione pertransiens, in solo Deo oblecter atque quiescam. Amen.

### ENDOLOGIA AD MARIAM II.

Ave, suavis Maria, quam sanctis studiis contemplationibusque vacantem, Deus familiari Angelorum consortio, ineffabili puræ conscientiæ gaudio solabatur. Obtine mihi, quæso, tuis meritis, ut quietem et silentium diligam, precibus cæterisque spiritualibus exercitiis sincero cordis affectu, et serena mentis hilaritate insistam. Illa sint charissimæ deliciæ meæ, quamdiu in miserabili carcere corporis hujus detineor.

Ave, suavis Maria, quæ Virgo virgini Joseph desponsata fuisti divino consilio. Ne sinas me, o consolatrix cordium, ne sinas me elongari a te: intuere benignis illis oculis tuis desiderantem tibi placere. Sicut enim in æternum vivere ac salvus esse non potest is, quem a te aversum despexeris; ita in æternum perire non potest is, quem ad te conversum respexeris. Occurre, Domina, quærenti te,

dirige diligentem te, conserva confidentem in te. Esto mihi semper propitia, ut salutem per te inveniam.

Ave, suavis Maria, quam rebus cœlestibus intentam Gabriel Angelus, secretum thalami ingressus, officiose salutavit, arcanaque divini consilii edocuit. Utinam ego te frequenter salutare, et devotum obsequium tibi exhibere gestiam! Utinam nihil umquam in me hæreat, quod aspectum tuum plus quam Angelicum offendat!

Ave, suavis Maria, quæ in tuis castissimis visceribus virtute Spiritus sancti concepisti Dei Filium. O felicissima mulierum, quid tunc sensisti in penetralibus virginei cordis tui, quanta dulcedine beata anima tua liquefacta est, quando uteri tui thalamum fons et origo totius dulcedinis Deus subiit, et de te carnem suscepit? Laudo et glorifico te, o Maria! tuum sacratissimum uterum humiliter veneror. Serva et auge in me pium te colendi desiderium.

Ave, suavis Maria, quæ Regem gloriæ in utero gestans, Spiritu sancto admonente, ad montana Judææ conscendisti, cognatam tuam Elisabeth visitasti, eam salutasti, eique impendisti ministerium. Visita, quæso, mentem meam, et effice, ut omnibus diebus vitæ meæ tibi fidelissime serviam, et castissimo affectu te diligam.

Ave, suavis Maria, quæ cum Joseph sanctissimo comparte tuo non recusasti viæ prolixitate affligi, quando tu, puella tenera ac prægnans, profecta fuisti in Bethlehem. Impetra mihi gratiam, qua patienter sustineam ærumnas hujus exilii, jugiterque aspirem ad cœlestem Bethlehem, in qua est panis vitæ Jesus Christus, auctor nostræ salutis.

Ave, suavis Maria, quæ labore itineris fatigata, caruisti hospitio, et stabulum habuisti pro diversorio. Guberna omnes affectus animi mei, ut nihil in hoc mundo vitiose diligam, nulli rei visibili inhæream: sed tamquam peregrinus et advena civitatem permanentem hic non habens, totis desideriis æterna suspirem, et in solo Deo meo conquiescam.

### ENDOLOGIA AD MARIAM III.

Ave, suavis Maria, quæ sine dolore, sine virginitatis detrimento peperisti nobis Salvatorem, exultantibus Angelis. O Virgo Mater,

tu es veri Salomonis templum, tu arca Dei et propitiatorium, tu porta clausa, quam vidit Ezechiel ; tu hortus conclusus et fons signatus. Reple , quæso , cor meum atque omnes sensus meos gratia cœlesti, ut, innovato in me bono spiritu , vitam tibi Filioque tuo placentem agam.

Ave , suavis Maria , quæ Jesum, castissimi uteri tui fructum , panniculis involvisti, vagientemque reclinasti in præsepio. Utinam tui amor cor meum sic occupet, sic innocentis vitæ puritas me quasi modo genitum infantem exornet, ut inter quaslibet adversitates a te adjuvari, tuæque visitationis beneficio recreari merear !

Ave , suavis Maria, quæ Jesum puerulum virgineis tuis uberibus lactasti , et eum ulnis gestans, pro tuo desiderio tibi suaviter adstrinxisti , osculisque delinisti. Da , ut ego ærumnis et tentationibus hujus exilii pressus, semper ad sinum maternæ pietatis tuæ confugiam, et spiritualis consolationis lacte per te refocillatus , omnes impuras delectationes respuam.

Ave, suavis Maria, quæ infantiam pueritiamque Salvatoris maternis officiis sedula fovisti, et eum adolescentem factum atque evangelizantem devote secuta es. Præsta, ut ego te diligam, te sequar, tui præsentiam desiderem, et omnia transitoria prorsus despiciam.

Ave, suavis Maria, quæ propter Unigeniti tui labores, persecutiones et atrocem ignominiosamque passionem indoluisti ex intimis piissimi cordis tui visceribus. Da , ut ipsum Deum meum, pro his quæ mei causa fecit ac pertulit, semper laudem, et omnium qui in miseriis atque calamitatibus constituti sunt, vere commiserescam.

Ave, suavis Maria, cujus beatam animam gladius doloris pertransivit, quando sub cruce Filii tui pendentis , acerbissimosque cruciatus tolerantis, et sanguinem suum fundentis, atque ad extremum expirantis, stetisti tota lacrymosa. Da mihi tecum stare, et grata mente recolere passionem mortemque ejusdem Unigeniti tui, mei Redemptoris.

Ave, suavis Maria, quam Jesus Christus sua triumphali resurrectione exhilaravit, et post ascensum ad Patrem, cum ineffabili gloria in cœlum assumpsit, ubi tu illustris Regina resides,

supra choros Angelorum exaltata. Humiliter te precamur, ut nostri curam geras, nosque tuis orationibus misericorditer excuses apud ipsum Filium tuum, judicem vivorum ac mortuorum. Amen.

ENDOLOGIA AD MARIAM IV.

Ave, Domina præcellentissima, et inter sanctos post Deum sanctissima Maria; quæ virginea fecunditate, fecundaque virginitate admirabilis, Jesum Christum mundi Salvatorem genuisti. Tu gratissimum Dei templum, tu Spiritus sancti venerandum sacrarium, tu adorandæ Trinitatis gloriosum triclinium. Per te, Domina, vivit orbis terrarum; ad tui memoriam hilarescunt et recreantur fideles animæ. Inclina, quæso, aures tuæ pietatis precibus hujus servi tui, hujus miseri peccatoris; et caliginem vitiorum meorum radiis tuæ sanctitatis dissipa, ut tibi placeam.

Ave, benignissima misericordiæ mater, salve, veniæ gratiæque conciliatrix optatissima Maria. Quis te non amet? quis non colat? Tu enim in rebus dubiis es charum lumen, in mœroribus solatium, in angustiis relevamen, in periculis et tentationibus refugium, tu post Unigenitum tuum certa es fidelium salus. Tu diceris et vere es omnium feminarum præstantissima, omnium gratiosissima, omnium jucundissima. Beati qui diligunt te, Domina, beati qui te venerantur; beati ter quaterque et amplius, qui per vitæ sanctimoniam tibi familiares effecti sunt. Tuæ pietati commendo animam meam et corpus meum: dirige, doce et protege me singulis horis atque momentis, o dulce præsidium meum!

Ave, magnifica aula et splendidum palatium Imperatoris æterni Maria, salve, odoriferum Deitatis reclinatorium. Tu es femina illa amabilis, pia, prudens, generosa, elegans, suspicienda. Tu es illa cœli terræque Regina, quæ progrederis quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, et eadem terribilis dæmonibus sicut castrorum acies ordinata. Præsta, Domina, ut inter procellas hujus vitæ semper te attendam, et, contemptis rebus visibilibus, amœnas illas pulchritudines, pulchrasque amœnitates paradisi contempler.

Ave, sidus fulgentissimum et clarissimum jubar

Maria, ex qua sol justitiæ Christus Deus noster ortus est. Tu Virgo illa ultra omnem pulchritudinem decora, tu Mater illa ultra omnem honestatem gratiosa, quæ benignis oculis pios Ecclesiæ filios intueris toto orbe terrarum. Dulce nomen tuum recreat defessos, serenus splendor tuus illuminat cæcos, suavis odor aromatum tuorum lætificat justos, benedictus fructus uteri tui satiat Beatos: tu Angelorum hominumque laudes prima post Dominum promereris. Ora pro me, Domina, ut tuis precibus adjutus, Christum, Deum deorum, teque, Dominam Angelorum, in Sion videre et glorificare merear.

Ave, summæ lætitiæ beatissima parens Maria, per quam cœlestis benedictio, et felicitas æterna ad nos dimanavit. Tu enim benedicta inter mulieres, donis spiritualibus superfusa, nobis enixa es Redemptorem. De te carnem assumpsit, et ex virgineo utero tuo prodiit infantulus ille Jesus Christus, unicus salutis auctor, quo nihil suavius, nihil pulchrius, nihil præstantius existit; post quem nihil te dignius, nihil divinius, nihil optatius cogitari potest. Religiosa tui memoria mœstos exhilarat, casta tui contemplatio Sanctos demulcet, fidelis tui veneratio peccatores emundat; omnes filii Dei gratam mentis requiem in te inveniunt. Impetra mihi, quæso, Domina, perfectam cordis puritatem, ut ex eorum sim numero qui Unigenitum tuum, teque cœli Reginam contueri ac laudare merentur in sæcula.

Ave, Maria, virgo ornatissima, virgo sole serenior et astris lucidior; virgo melle dulcior et balsamo suavior; virgo rosis rubicundior et liliis candidior. Tu fons hortorum vernantium, tu puteus aquarum viventium, tu thronus aureus veri Salomonis, tu vas purissimum omni amaritudine carens, tu cella mundissima longe lateque gratissimum odorem diffundens. Dominus creavit te Virginem immaculatam, elegit te humilem ancillam, concupivit te amabilem sponsam: tu es totius generis humani gloria, ac totius orbis singulare miraculum. Ne averseris me indignum peccatorem, o Domina; sed ex sordido fac mundum, ex remisso alacrem, ex arido devotum.

Ave, desperantium spes opportuna, et destitutorum

auxiliatrix, præsentissima Maria, cujus honori tantum tribuit Filius, ut quidquid petieris, mox impetres, quidquid volueris, mox fiat. Tibi regni cœlestis thesauri commissi sunt. Tu Cherubim honoratior, et Seraphim Deo proximior. Tu Abraham, Isaac et Jacob patrum tuorum eximium decus. Nominis tui gloriam, dignitatis tuæ splendorem, pietatis tuæ abundantiam, omnis ætas, sexus et lingua confitetur. Exaltata es, o Domina, supra choros Angelorum : tamquam dies verni circumdant te flores rosarum et lilia convallium. Sana me, o Beata, et sanabor: salvum me fac, et salvus ero, tibique benedicam in æternum. Amen.

ENDOLOGIA AD MARIAM V.

Ave, cœli exultatio et terræ gaudium Maria: salve, candidum lilium fulgidæ Trinitatis, et vernans rosa amœnitatis cœlicæ. Tu post Filium tuum es Domina universæ creaturæ : adeo ut ad tuum quoque nomen sese inflectat omne genu cœlestium, terrestrium et infernorum ; tibi officiosissime obsequuntur angelicæ potestates. Tu es illa lucis serenissima Mater, quæ mentes te diligentium amanter illustras. Tu es illa pietatis dulcissima parens, quæ fideles tui cultores ad amœnas paradisi mansiones feliciter perducis. Tu speciosa illa sicut columba ascendens supra rivulos aquarum, cujus vestimenta inæstimabili suavitatis odore fragrant; te exercitus Beatorum laudant tibique benedicunt jugiter. Ad te, Domina, sese erigit vultus meus, te respiciunt oculi cordis mei, in te confidit anima mea : miserere mei, quia salus mea in manibus tuis est.

Ave, incorrupta, et ab omni illuvie immunis Virgo Deipara; salve, omnium ad te currentium certissimum profugium Maria. Tu turris munitissima, cujus muris qui cinguntur, securi sunt : tu fidelissima protectrix omnium te laudantium. Tu candida nubes, ardorem æstus temperans; tu ros opportunus, ignem fornacis extinguens. Tu clavis gemmata, paradisi januam reserans. Tu granum purum e palea excussum, tu lilium inter spinas et flos convallium. Tota mitis es, tota amœna, tota fulgens, tota benigna. Procul a te constitutos illuminas radiis misericordiæ : juxta te positos recreas devotionis suavitate.

Succurre mihi, o dulcissima advocata, et post hujus vitæ fluctus perduc me ad portum salutis æternæ.

Ave, Prophetarum laus, et Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginumque honor Maria. Tu justitiæ palma speciosissima; tu pudicitiæ nardus fragrantissima; tu hortus virens cœlestibus deliciis plenus; tu arca legalis, dulcissimum manna continens; tu terra benedicta, fructum beatissimum proferens; tu petra spiritualis, potum copiosissimum fundens; tu fons sacer, in flumen maximum redundans. O Maria, quam tu sancta, et quam ego iniquus! quam tu humilis, et quam ego superbus! quam tu sublimis, et quam ego indignus! O intemerata, quam vastum spatium porrigitur inter tuam plus quam angelicam puritatem et meam spurcitiam intolerabilem! Repurga, quæso, cor meum a peccatorum sordibus: tolle a me, quidquid virgineis oculis tuis minus placet. Segrega mentem meam a desideriis terrenis, et eam in amore rerum cœlestium fige, ad laudem Filii tui sempiternam.

Ave, pretiosissima margarita, et humani generis post Filium gemma singularis Maria. Tota pulchra es, o Virgo, tota pulchra es, et macula non est in te. Castissimæ animæ tuæ nihil umquam inhæsit turpitudinis, nihil defuit spiritualis decoris. Tu Patriarchas excellis fide, Prophetas scientia, Apostolos sancto zelo, Martyres patientia, Confessores humilitate, Virgines innocentia. Tu ineffabilibus monilibus ornata, omnes superni palatii cives in admirationem rapis. Tu es sol clarissimus, defectum prorsus nesciens: sol e terra cœlos irradians, sol e cœlis terram illuminans, sol peccati nubes discutiens. Cum ego fulgorem sanctitatis tuæ considero, Domina, vehementer erubesco ob caliginem meæ turpitudinis. Sed ecce pedibus tuis advolutus humiliter, agnosco ipsam meam iniquitatem. Ne, quæso, despicias me, o spes mea suavis. Magnam miseriam vilissimi peccatoris sublevet magna atque ingens miseratio piissimæ Matris.

Ave, Virgo sacratissima, et inter mulieres benedictas peculiari benedictione singulariter insignis Maria. Tu vallis amœna, vernans virtutum liliis; tu paradisus beatus, affluens conso-

lationum deliciis; tu rosa venusta, inenarrabilem suavitatem spirans; tu concha electa, mellifluum amoris adipem stillans; tu stella Jacob fulgida, cœlos omnes perornans; tu virga Jesse florida, universum orbem exhilarans. Tuam pulchritudinem, tuum ornatum, tuam dignitatem, omnes spiritus beati mirantur. O totius elegantiæ, totiusque sanctimoniæ femina! o Domina præclarissima, quæ supra choros Angelorum resides,assessum Deo proximum sortita! meas, quæso, calamitates meosque gemitus attende. Visita et consolare me inutilem servum tuum, atque a peccatis absolutum, redde tibi per omnia placentem.

Ave, singulare cœli ornamentum, singulareque terræ præsidium Maria: salve Regis æterni Mater millies beata: gaude, gratiæ perditæ instauratrix optatissima. Tu Domina rerum imperium cum Filio commune obtines; tibi omnis ætas et sexus merito verticem inclinat; tuis pedibus totus orbis jure provolvitur. Nam post ineffabilem Trinitatem, post dilectum Natum tuum, nihil habet cœlestis aula te una admirabilius. Ad tuum nomen dæmones contremiscunt; ad tuum fulgorem potestates tenebrarum diffugiunt; ad tuum nutum portæ paradisi reserantur; tu es omnium Christianorum spes post Filium. O Regina misericordiæ! O vitæ dulcedo! Te inclamo miserabilis Evæ filius, ad te suspiro calamitosus exul in hac lacrymarum valle: ne me, precor, averseris, o Domina, sed laborantem adjuva, pugnantem protege, vacillantem confirma: et benedictum fructum ventris tui Jesum Christum mihi post hoc exilium ostende.

Ave, purissima Spiritus sancti officina, et immaculatum Verbi Dei sacrarium: salve, sanctissima Mater et Virgo Maria, quæ gaudium Angelorum pariter et hominum peperisti Jesum Christum, eumdemque puerulum pannis involvisti, fasciolis strinxisti, ulnis gestasti, gremio confovisti, uberibus lactasti, amplexibus osculisque delinisti. Rogo te, Domina, et exorabile pectus tuum obtestor, per maternam sedulitatem officiosasque curas, quas cunabulis et infantiæ ipsius Unigeniti tui devota impendisti, ut mei patrocinium apud eum suscipias, peccata deleas, gratiam mihi impetres, lumen infundas. Amen.

ENDOLOGIA AD MARIAM VI.

Ave, serenissima suavissimaque Regis Messiæ Genitrix Maria. O Domina, tu es turtur illa pudicissima, cujus vox Omnipotentis aures mirifice demulcet; tu es columba illa castissima, cujus gemitus Spiritui sancto modis omnibus placet. O Virgo gratiosa, Virgo decoris stupendi, ejice e cordis mei penetralibus quidquid sordidum minusque decorum est. Illumina tenebras meas interiores radio splendoris tui, ut vitiis dissipatis atque deletis, pulchritudinem tuam pure contempler. Attende, Domina, attende suspiria animæ anhelantis ad te. Veni, millies desiderata, et ex plenitudine gratiarum tuarum aliquid cordi meo infunde, ut intime ac sanctissime te diligam.

Ave, ancilla Dei solitaria, et secretissimi Sponsi sponsa secretissima Maria; salve, puella amabilis, et filia gratiæ electa. O virgo verecunda! o feminarum omnium pulcherrima! ostende mihi, precor, faciem tuam decoram, cujus aspectu suscitentur in me inextinguibiles castimoniæ affectus; sonet vox tua dulcis in auribus meis, cujus auditu reviviscat resurgatque spiritus meus a morte peccati, et somno tepidæ conversationis. Ineffabilis illa fragrantia suavitatis tuæ mentem meam recreet jugiter. Sincerus amor tui ingrediatur thalamum pectoris mei, et omnia interiora mea feliciter occupet, ut mundana prorsus fastidiam.

Ave, immaculata beatæ Trinitatis amica, salve, femina mente et corpore purissima Maria. O Virgo taciturna, Virgo humillima, Virgo Deo gratissima! irradia, quæso, intima mentis meæ serenissimo vultus tui splendore, ut in te delectetur et exultet cor meum. Trahe me post te, ut curram alacriter in odorem unguentorum tuorum. Lætifica spiritum meum, o benigna, ut hilariter tibi serviam, et ex intimis viscerum meorum te diligam. Visita pupillum gementem et mœrentem; tange citharam cordis mei, ut suave resonet in laudem dulcissimi nominis tui. Te amet, te veneretur, tibi benedicat anima mea omni tempore.

Ave, filia Sion, millies beata, salve, mellitissima Dei Mater Maria. O Virgo sanctissima, Virgo ante partum, Virgo in partu, Virgo post partum; circumvesti, obsecro, et exorna animam

meam gratia cœlestis decoris. O Regina illustrissima, intuere pauperculum e sublimi solio gloriæ tuæ; appropinqua, o Domina, finibus miseri hujus peccatoris, et consolare me optata tui præsentia. Exultet in te spiritus meus, collaudent te præcordia mea, et sancta tui dilectione colliquescat anima mea.

Ave, Virgo pia et suavis Maria, ave, porta Orientalis inviolata, per quam speciosus forma præ filiis hominum ad nos venit. Converte, o præclara, converte ad me mitissimos illos oculos virginei vultus tui; illumina tenebras cæcitatis meæ claritate adventus tui. Attende gemitus animæ meæ cupientis diligere te; satia desiderium fatiscentis et languentis spiritus mei die ac nocte. Separa, Domina, mentem meam ab omnibus quæ sub cœlo sunt, et in sincerissimam tui contemplationem suspende, faciens eam prægustare mellitas sorbitiunculas jucunditatis æternæ.

Ave, solitudinis amatrix, et internæ quietis cultrix mitissima; salve, femina honestate admirabilis, et sapientia in effabiliter adornata Maria. O virga electa, virgo inter filias Jerusalem speciosissima, dispersas, quæso, servuli tui cogitationes recollige, et spiritum dissipatum redintegra; ut sinceras tranquillasque meditationes de te pertractem. Inhæreat menti meæ amabilis illa castimoniæ fotrix pulchritudo tua, possideat penetralia cordis mei purissimus amor tui in perpetuum. Tu fragrantissimum Divinitatis tabernaculum, tu hortus conclusus, unde pulcherrimus atque unicus ille flos prodiit Jesus Christus, Salvator animarum nostrarum: te laudet et veneretur omne sæculum.

Ave, redolens viola altissimæ humilitatis, et rubens rosa charitatis ardentissimæ Maria; salve, generosissima summi Conditoris Mater. O Virgo suavis, o charissima in deliciis, perveniat ad me fragrantia aromatum tuorum. Te sentiat spiritus meus in nocte, te exoptent præcordia mea per diem, tibi suaviter afficiatur cor meum, te medullitus diligant omnia intima mea, hilariter in tuis laudibus occupetur mens mea omni tempore. Tu cœlestis Sponsi floridus thalamus, tu sacrarum deliciarum amœnus paradisus, tu divinorum Sacramentorum apotheca odorifera. Tu genitrix, tu filia, tu sponsa Dei altissimi: tu

es et semper eris dulcis spes mea, et dulce solatium animæ meæ. Adesto mihi, pia Gubernatrix, quamdiu in periculoso mari sæculi hujus navigo, et præcipue in ipso vitæ termino: ut, te prælucente, te dirigente, te perducente, feliciter perveniam ad portum cœlestis Jerusalem, ubi te diligam et laudem sine fine. Eia, Domina, exhibe mihi, quæso, in hora mortis meæ jucundissimam præsentiam tuam, et roseo rutilantique vultu tuo, ac blandis oculis tuis solare dolores et gemitus meos, meque redde securum de æterna beatitudine ad gloriam Dei. Amen.

*Post Antiphonam cantatur Salutatio Angelica; tum canitur* GENITORI, *et post datam benedictionem clauditur tabernaculum. Finitis sic laudibus, non raro fit gratiarum actio, solemniter cantato Psalmo sequenti:*

Laudate Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto:

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen.

*Ubi in Ecclesiis habetur solemnior quædam festi alicujus celebratio, solemnitatem non raro claudit sequens.*

## HYMNUS

### SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus: te Dominum confitemur.

Te æternum Patrem: omnis terra veneratur.

Tibi omnes Angeli: tibi cœli et universæ potestates:

Tibi Cherubim et Seraphim: incessabili voce proclamant:

Sanctus, Sanctus, Sanctus: Dominus Deus Sabaoth.

Pleni sunt cœli et terra: majestatis gloriæ tuæ.

Te gloriosus Apostolorum chorus,

Te Prophetarum laudabilis numerus,

Te Martyrum candidatus laudat exercitus,

Te per orbem terrarum sancta confitetur Ecclesia,

Patrem immensæ Majestatis,

Venerandum tuum verum et unicum Filium,

Sanctum quoque Paraclitum Spiritum.

Tu Rex gloriæ, Christe.

Tu Patris sempiternus es Filius.

Tu ad liberandum susce-

pturus hominem : non horruisti Virginis uterum.

Tu devicto mortis aculeo : aperuisti credentibus regna cœlorum.

Tu ad dexteram Dei sedes : in gloria Patris.

Judex crederis esse venturus.

Te ergo quæsumus, tuis famulis subveni, quos pretioso Sanguine redemisti.

Æterna fac cum Sanctis tuis : in gloria numerari.

Salvum fac populum tuum, Domine : et benedic hæreditati tuæ.

Et rege eos : et extolle illos usque in æternum.

Per singulos dies benedicimus te.

Et laudamus nomen tuum in sæculum : et in sæculum sæculi.

Dignare, Domine, die isto : sine peccato nos custodire.

Miserere nostri, Domine : miserere nostri.

Fiat misericordia tua, Domine, super nos : quemadmodum speravimus in te.

In te, Domine, speravi : non confundar in æternum.

℣. Benedictus es, Domine Deus patrum nostrorum.

℟. Et laudabilis, et gloriosus in sæcula.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus, et superexaltemus eum in sæcula.

℣. Benedictus es, Domine Deus, in firmamento cœli.

℟. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

℣. Benedic, anima mea, Domino.

℟. Et noli oblivisci omnes retributiones ejus.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes : ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti : da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere.

Deus, qui neminem in te sperantem nimium affligi permittis, sed pium precibus præstas auditum : pro postulationibus nostris votisque susceptis gratias agi-

mus, te piissime deprecantes, ut a cunctis semper muniamur adversis. Per Dominum nostrum.

# XIV.

# PRECES VESPERTINÆ.

In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Deus, qui corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

---

## LITANIÆ BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*(Ind.)* Kyrie eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.

Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Mater Christi,
Mater divinæ gratiæ,
Mater purissima,
Mater castissima,
Mater inviolata,
Mater intemerata,
Mater amabilis,
Mater admirabilis,
Mater Creatoris,
Mater Salvatoris,
Virgo prudentissima,
Virgo veneranda,
Virgo prædicanda,

Ora pro nobis.

Virgo potens,
Virgo clemens,
Virgo fidelis,
Speculum justitiæ,
Sedes sapientiæ,
Causa nostræ lætitiæ,
Vas spirituale,
Vas honorabile,
Vas insigne devotionis,
Rosa mystica,
Turris Davidica,
Turris eburnea,
Domus aurea,
Fœderis arca,
Janua cœli,
Stella matutina,
Salus infirmorum,
Refugium peccatorum,
Consolatrix afflictorum,
Auxilium Christianorum,
Regina Angelorum,
Regina Patriarcharum,
Regina Prophetarum,
Regina Apostolorum,
Regina Martyrum,
Regina Confessorum,
Regina Virginum,
Regina Sanctorum omnium,
Regina sine labe originali concepta,

Ora pro nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Defende, quæsumus, Domine, beata Maria semper Virgine intercedente, istam ab omni adversitate familiam, et toto corde tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum.

*Instituatur examen conscientiæ.* (Pausa.)

*Vivus excitetur dolor de peccatis commissis et eliciantur actus Fidei, Spei, Charitatis et Contritionis, ut supra pag. 3.*

OREMUS PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

De profundis, etc. *Vide supra pag. 79.*

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Fidelium, Deus, omnium conditor et redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum; ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

*(Ind.)* Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace. Amen.

*Fit lectio spiritualis nisi facta sit post recitationem Rosarii, et præparatur materies meditationis mane proxime sequenti instituendæ; quibus exercitiis finitis, dicitur una et quatuor Antiphonis de beata Maria Virgine, pro tempore. Vide pag 108. Tum precibus vespertinis imponitur finis, formato signo crucis, vel, si adsit sacerdos, accepta ab eo benedictione.*

*Exuens te vestibus dic. Ps.* Miserere, *vel* De profundis.

*Dum, sumpta aqua benedicta, lectum ingrederis, dic:* In nomine Domini nostri Jesu Christi crucifixi cubitum eo: ille me benedicat, regat, custodiat, et ad vitam perducat æternam. Amen.

*In lecto jam decumbens, dic:* In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum; redemisti me, Domine Deus veritatis. In pace in idipsum dormiam et requiescam. *Sic pie indormisce.*

---

*Poterunt etiam sequentes preces vespertinæ utilissime fieri.*

I. *Age gratias.*

O clementissime Deus, Creator, Protector ac Redemptor meus! Te benedico, laudo et glorifico cum omnibus Angelis et Electis Dei; gratiasque ago pro animi et corporis donis, ac

beneficiis mihi hodie et alias liberalissime collatis. Quid retribuam tibi, Domine, pro omnibus quæ retribuisti mihi? Me totum, et omnia quæ dedisti mihi, insuper et omnium Sanctorum laudes et amoris affectus, in unione Passionis ac meritorum Christi, tibi pro merita gratiarum actione offero. Suscipe, o Pater æterne, hanc oblationem meam; utinam majori affectu nunc, et in æternum cum omnibus creaturis te laudare et glorificare possem! Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Ps. 56. 10.*

II. *Pete lumen.*

Veni, sancte Spiritus, et emitte cœlitus lucis tuæ radios; illumina mentis meæ tenebras, ut peccata hodie commissa, negligentiasque meas videam, agnoscam et detester.

III. *Discute mentem.*

Quantas habeo iniquitates et peccata! Scelera mea et delicta ostende mihi.

*Omnes diei horas percurre, et vide, quid boni neglexeris, quid mali commiseris, cogitatione, verbo et opere.*

IV. *Delicti veniam posce.*

En, Domine Deus, quid retribui tibi pro omnibus quæ retribuisti mihi, nisi peccata negligentias et ingratitudines? Ah! quam doleo, quod te Deum, summum bonum meum, mihi super omnia dilectum, umquam offenderim! Tibi soli peccavi et malum coram te feci. Erravi, sicut ovis quæ periit. Respice in me, et miserere mei. Ignosce, o Deus, ignosce per gemitus, lacrymas, passionem et mortem dilectissimi Filii tui Domini mei Jesu Christi.

Ecce, mi Jesu, in te posita est omnis spes mea. Te supplex oro, ut omnia scelera et delicta mea sacratissimo Sanguini tuo immergas, tuisque infinitis meritis compenses quidquid meæ satisfactioni deest: tu enim est propitiatio pro peccatis nostris.

V. *Recide malum.*

Iterumne peccabo? tuaque, o Jesu, sanctissima vulnera, et pretiosum Sanguinem pro me effusum conculcabo? Pudet oculos in cœlum levare, qui vita me indignum agnosco. Quid ergo in posterum? tene rursus offendam? hæccine peccata repetam? istas N. occasiones non fugiam? rem N. tam vilem tibi præferam? Dixi: Nunc cœpi;

tuam mihi, o Jesu, dexteram porrige. Persequar inimicos, id est, peccata mea. Succurrite, o Cœlites, tuque in primis, o misericordiæ Mater, et tu, Angele mi Custos, vosque nominatim, o Patroni mei NN. adeste, adjuvate, ut omnia in posterum peccata evitem, potissimum istud N. Confirma hoc, Deus, quod modo operatus es in me. *Ps. 67. 31.*

## ORATIO

### AD SS. TRINITATEM, PRO FELICI MORTE IMPETRANDA.

Pater æterne, per infinitam bonitatem tuam, per vitam et mortem dilectissimi Filii tui, te rogo, concede mihi, ut in tua gratia semper vivam et moriar. Amen.

Benignissime Jesu, per amorem Patris tui, quo te ab æterno complexus est, per ultima verba, quibus in cruce Patri tuum spiritum commendasti, te rogo, suscipe spiritum meum in fine vitæ meæ.

O sancte Spiritus, accende in me perfectam charitatem, et in illa spiritum meum confirma, dum ex hac vita emigrat.

Sanctissima Trinitas, unus Deus, miserere mei; nunc, et in hora mortis meæ. Amen.

### COMMENDATIO DEO, B. VIRGINI, ANGELIS ET SANCTIS.

In benedictas manus tuas, Domine Deus, et in sinum misericordiæ tuæ, o Virgo Maria, in vestram quoque protectionem, o sancti Angeli, et electi Dei NN. corpus et animam nunc et semper committo. Amen.

## HYMNUS

### ECCLESIÆ, PRO TEMPORE VESPERTINO.

Te lucis ante terminum,
Rerum Creator, poscimus:
Ut pro tua clementia
Sis præsul et custodia.

Procul recedant somnia,
Et noctium phantasmata,
Hostemque nostrum comprime.
Ne polluantur corpora.

Præsta, Pater piissime,
Patrique compar Unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

*Ant.* Salva nos, Domine, vigilantes, custodi nos dormientes, ut vigilemus cum Christo, et requiescamus in pace.

℣. Custodi nos, Domine, ut pupillam oculi.

℟. Sub umbra alarum tuarum protege nos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Visita, quæsumus, Domine, habitationem istam, et omnes insidias inimici ab ea longe repelle; Angeli tui sancti habitent in ea, qui nos in pace custodiant, et benedictio tua sit super nos semper. Per Dominum.

PETITIO BENEDICTIONIS.

Dignare, Domine Jesu, cum Patre et Spiritu sancto, dare mihi tuam benedictionem, uberemque gratiam, ut tibi in somno et vigilia, in vita et morte, puro corde et casto corpore perfecte semper placeam. Amen.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Deus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

*(Ind.)* Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

*Tum lectio spiritualis et cætera omnia fiunt ut dicitur pag. 172.*

# COELESTE
# PALMETUM.

## PARS SECUNDA.

EXERCITIA PIETATIS QUÆ SUIS QUÆQUE PER HEBDOMADEM DIEBUS RECITARI SOLENT.

## OFFICIA PARVA.

### CUM LITANIIS ET ORATIONIBUS.

#### ORATIONES DICENDÆ ANTE ET POST OFFICIUM.

##### ANTE OFFICIUM.

Aperi, Domine, os meum, ad benedicendum nomen sanctum tuum: munda quoque cor meum ab omnibus vanis, perversis et alienis cogitationibus, intellectum illumina, affectum inflamma; ut digne, attente ac devote hoc officium recitare valeam, et exaudiri merear ante conspectum divinæ Majestatis tuæ. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Domine, in unione illius divinæ intentionis, qua ipse in terris laudes Deo persolvisti, has tibi horas persolvo.

##### POST OFFICIUM.

*(Ind.)* Sacrosanctæ et individuæ Trinitati, crucifixi Domini nostri Jesu Christi humanitati, beatissimæ et gloriosissimæ, semperque Virginis Mariæ fecundæ integritati, et omnium Sanctorum universitati, sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria, ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita sæcula sæculorum: ℟. Amen.

℣. Beata viscera Mariæ Virginis, quæ portaverunt æterni Patris Filium.

℟. Et beata ubera, quæ lactaverunt Christum Dominum.

Pater noster. Ave Maria.

*Orationem hanc post officium devote recitantibus* Leo Papa X *omnes defectus et culpas in eo persolvendo ex humana fragilitate contractas indulsit. Ast notandum eas indulgentias non obtineri, nisi oratio flexis genibus recitetur.*

## DIE DOMINICA

# OFFICIUM SS. TRINITATIS.

### AD MATUTINUM.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

℟ Sicut erat in principio et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

O Lux beata Trinitas,
Et principalis unitas,
Jam sol recedit igneus;
Infunde lumen cordibus.

*Ant.* Benedicta sit sancta creatrix, et gubernatrix omnium, sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum S. Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ Fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem, quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

### AD PRIMAM.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ortus refulget lucifer,
Sparsamque lucem nuntiat;
Cadunt tenebræ noctium,
Lux sancta nos illuminet.

*Ant.* Gratias tibi, Deus, gratias tibi, vera et una Trinitas, una et summa Deitas, sancta et una Unitas.

℣. Benedicamus Patrem, etc. *cum Oratione, p. 177.*

## AD TERTIAM.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Summæ Deus clementiæ,
Mundique factor machinæ,
Unus potentialiter,
Trinusque personaliter.

*Ant.* Te invocamus, te laudamus, te adoramus, spes nostra, honor noster, libera nos, vivifica nos, o beata Trinitas.

℣. Benedicamus Patrem, etc. *cum Oratione, p. 177.*

## AD SEXTAM.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Da dexteram surgentibus,
Exurgat ut mens sobria,
Flagrans et in laudem Dei
Grates rependat debitas.

*Ant.* Charitas Pater est, gratia Filius, communicatio Spiritus sanctus. Veritas est Pater, veritas Filius, veritas Spiritus sanctus. Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, una substantia est o beata Trinitas.

℣. Benedicamus Patrem, etc. *cum Oratione, p. 177.*

## AD NONAM.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Tu, Trinitatis unitas,
Orbem potenter quæ regis,
Attende laudis canticum
Quod excubantes psallimus.

*Ant.* Tibi laus, tibi gloria, tibi gratiarum actio in sæcula sempiterna: et benedictum nomen gloriæ tuæ, sanctum, et laudabile, superexaltatum in sæcula, o beata Trinitas.

℣. Benedicamus Patrem, etc. *cum Oratione p. 177.*

## AD VESPERAS.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere,
Te nostra supplex gloria
Per cuncta laudet sæcula.

*Ant.* Te Deum Patrem ingenitum, te Filium unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in sæcula.

℣. Benedicamus Patrem, etc. *cum Oratione, p. 177.*

AD COMPLETORIUM.

Benedicta sit sancta et individua Trinitas, nunc, et semper, et per infinita sæcula sæculorum. Amen.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Gloria tibi, Trinitas,
Æqualis, una Deitas;
Et ante omnia sæcula,
Et nunc, et in perpetuum.

*Ant.* Gloria Patri, qui creavit nos: gloria Filio, qui redemit nos: gloria Spiritui sancto, qui sanctificavit nos: gloria summæ et individuæ Trinitati, Deo nostro in | sæcula sæculorum.

℣. Benedicamus Patrem, etc. *cum oratione, p. 177.*

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione.
Dixi, sancta Trinitas, tui ratione,
Ut sis mihi præsens mortis in agone.
Et regnemus jugiter in cœli regione. Amen.

---

## LITANIÆ SS. TRINITATIS.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Pater, ex quo omnia, miserere nobis.
Fili, per quem omnia, miserere nobis.
Spiritus sancte, in quo omnia, miserere nobis.
Sancta et individua Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Incomprehensibilis Majestas, miserere nobis.

Immutabilis potentia,
Infinita sapientia,
Inexhausta bonitas,
Imperialis dignitas,
Legalis divinitas,
Æterna veritas,
Rex omnipotens Deus,
Qui solus es et unus Deus,
In quo vivimus, movemur et sumus,
Cujus Majestate repleta est omnis terra.
Cui soli debetur honor et gloria,
Qui consolaris nos in tribulatione nostra,
Qui facis mirabilia magna solus.
Qui es, qui eras, et qui venturus es,
In judicio justus et terribilis,
In regno gloriosus et admirabilis,
Pater ingenite,
Fili unigenite,
Spiritus sancte ab utroque procedens,
O beata Trinitas unus Deus,

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis, Domine,
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato, libera nos, Domine.
Ab omni infidelitate, libera nos, Domine.
A mandatorum tuorum transgressione,
A donorum tuorum contemptu,
A rerum sacrarum neglectu,
A morte perpetua,
Per omnipotentiam tuam,
Per sapientiam tuam,
Per infinitam bonitatem tuam,
Per magnam misericordiam tuam,
Per patientiam et longanimitatem tuam,

Libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos,
Ut te Deum verum, semper et ubique confiteri nobis dones,
Ut te Deum unum in Trinitate venerari, et Trinitatem in unitate adorare concedas,
Ut te toto corde diligere nobis largiri digneris,
Ut populum sancto tuo nomini sacratum conservare et salvare digneris,
Ut errantibus lumen, ut in viam possint redire justitiæ, concedere digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,
Ut nos exaudire digneris,

Te rogamus, audi nos.

O beata Trinitas, libera nos.

O beata Trinitas, salva nos.
O beata Trinitas, vivifica nos.
Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.

Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

℣. Benedictus est, Domine, in firmamento cœli.

℟. Et laudabilis, et gloriosus, et superexaltamus in sæcula.

℣. Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.

℟. Et metuant eum omnes fines terræ.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ Fidei æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare Unitatem, quæsumus, ut ejusdem Fidei firmitate ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

Benedicat nos divina Majestas, et una Deitas, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

HYMNUS
SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus, etc. *Vide pag. 168.*

SYMBOLUM S. ATHANASII.

Quicumque vult salvus esse, ante omnia opus est, ut teneat Catholicam Fidem.

Quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est, ut unum Deum in Trinitate, et Trinitatem in unitate veneremur.

Neque confundentes Personas, neque substantiam separantes.

Alia est enim Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti.

Sed Patris, et Filii, et Spiritus sancti una est divinitas, æqualis gloria, coæterna Majestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres æterni; sed unus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi; sed unus increatus, et unus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes; sed unus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Dii; sed unus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus sanctus.

Et tamen non tres Domini; sed unus est Dominus.

Quia sicut singillatim unamquamque Personam Deum ac Dominum confiteri christiana veritate compellimur: ita tres Deos aut Dominos dicere, Catholica Religione prohibemur.

Pater a nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius a Patre solo est: non factus, nec creatus, sed genitus.

Spiritus sanctus a Patre et Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Unus ergo Pater, non tres Patres: unus Filius, non tres Filii: unus Spiritus sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate nihil prius aut posterius, nihil majus aut minus; sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, et coæquales.

Ita ut per omnia, sicut jam supra dictum est, et Unitas in Trinitate, et Trinitas in Unitate veneranda sit.

Qui vult ergo salvus esse, ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem, ut incarnationem quoque Domini nostri Jesu Christi fideliter credat.

Est ergo Fides recta, ut credamus et confiteamur, quia Dominus noster Jesus Christus, Dei Filius, Deus et homo est.

Deus est ex substantia Patris ante sæcula genitus: et homo est ex substantia Matris in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, et humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum Divinitatem: minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit et homo: non duo tamen, sed unus est Christus.

Unus autem non conversione Divinitatis in carnem sed assumptione humanitatis in Deum.

Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate Personæ.

Nam sicut anima rationalis, et caro unus est ho-

mo; ita Deus et homo unus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis.

Ascendit ad cœlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis; inde venturus est judicare vivos et mortuos.

Ad cujus adventum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis, et reddituri sunt de factis propriis rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam; qui vero mala, in ignem æternum.

Hæc est Fides Catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum.

Amen.

## OBLATIO SUI SS. TRINITATI.

### I. DEO PATRI.

O clementissime Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis! En ego vilissimus terræ vermiculus qui non sum dignus vocari filius tuus, solis unigeniti Filii tui Redemptoris mei Jesu Christi infinitis meritis confisus, sisto me divinæ Majestati tuæ, Creatori ac Domino meo. Corpus et animam meam, et quidquid in me est (quæ omnia tua dona agnosco) lubens tibi in sacrificium sempiternum trado et consecro. Suscipe hanc qualemcumque oblationem in unione sacrosancti istius Sacrificii, quod dilectus Filius tuus in ara crucis tibi obtulit. Respice in faciem Christi tui: et imaginem tuam ad hujus ideam factam in me agnosce. Hujus dignitas meam excuset vilitatem, hujus sanctitas meam compenset malitiam, faciatque ut perpetua charitate tibi conjunctus vivam ac moriar. Amen.

### II. DEO FILIO.

O benignissime Patris omnipotentis Fili, splendor gloriæ, et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis tuæ! Qui cum in forma Dei esses, temetipsum humiliasti, factus obediens usque ad mortem,

mortem autem crucis, ut me satanæ mancipium ab æternæ damnationis reatu eriperes. Quid retribuam tibi, Domine Jesu, pro omnibus quæ retribuisti mihi? An non me totum tibi debeo, qui me gehennæ ignibus destinatum, perditumque, Patris tui gratiæ, æternæque saluti restituisti? Suscipe me, Jesu, suscipe pignus tuum, nimis, heu! care redemptum: suscipe quod absque eo tuum est; tuæ enim omnipotentiæ opus est, quidquid in me reperitur. Suscipe illud et conserva, ne pereat infinitum sacratissimi Sanguinis tui pretium. Amen.

III. DEO SPIRITUI SANCTO.

O sancte Spiritus, qui a Patre Filioque procedis, ejusdem cum Patre et Filio Deitatis, substantiæ, ac gloriæ! O vita et solatium animæ meæ! In te per aquam baptismatis me cœlo renatum; per te in fide me tibi Deo meo desponsatum, a tuæ virtutis ac bonitatis influxu ac præsidio me gubernari ac defendi agnosco. Quid innumeris tuis beneficiis rependam? cum nec ego quidquam inter res creatas me ipso charius habeam, nec tu aliud extra me postules, accipe cor meum, sensus meos, et omnia quæ in me sunt. Tu me, o æterni amoris vinculum, tecum et cum Patre Filioque colliga, tuisque flammis accende ac purifica, ut tibi casto corpore serviam, et mundo corde semper placeam.

GRATIARUM ACTIO AD SANCTISSIMAM TRINITATEM.

Agnosco, o sanctissima Trinitas, innumera et immensa beneficia, quæ a primo conceptionis momento in præsentem usque horam a te mihi collata sunt, pro quibus tibi ex omnibus viribus meis gratias ago. Gratias tibi, o Pater, quod me ad imaginem et similitudinem Deitatis tuæ condideris et identitem conserves, ut te, tuumque Filium, ac Spiritum sanctum cum electis Angelis tuis æternum laudem, ac possideam. Gratias tibi, o Fili, quod naturam meam amore mei assumpseris, Sanguinem tuum pro me effuderis, mortemque acerbissimam subieris, ut me æternæ morti ereptum Patri tuo reconciliares. Gratias tibi, o S. Spiritus, quod per lavacrum regenerationis te mihi infuderis, me sanctificaveris, æternique regni feceris hæredem. Quibusmodis, o sanctissima Trinitas, juxta Majestatis tuæ bene-

placitum, tibi gratias referam? Vos, o beati Spiritus, o electi Dei, tuque in primis, quam beatam prædicant omnes generationes, benedicta inter mulieres Virgo et Mater, laudes et gratiarum actiones vestras pro me offerte : non enim omnia membra mea, si in linguas verterentur, sufficerent debitis tibi Deo meo Trino et Uni gratiis referendis.

### AMOR ERGA SS. TRINITATEM.

O dulcis amor meus! o omne bonum et desiderium meum! qui fieri potest, ut ulla sit creatura, quæ te non amet! amo te, mi Deus, amo te ex toto corde meo, ex tota anima mea, et ex omnibus viribus meis, adeoque gaudeo de tua gloria et Majestate, ut ego perire malim, quam te vel minimam illius boni, quod es, jacturam facere. Si quid in me esset, quo tu careres, id omne tibi lubens volens traderem. Sed tu, Domine, mi Deus, fons es bonorum omnium, ex quo profluxit quidquid extra te boni uspiam fuit, est, et erit. Quis te non amet, o dulcis amor, o unicum et omne bonum, solum amore dignum? O amor, qui semper uris et numquam tepescis, accende me, et accendar : accendar, inquam, ut totus diligam te solum. Minus enim te amat, qui tecum aliquid amat, quod propter te non amat.

### COMMENDATIO SUI.

Totum me, Domine Deus, in sinum benignissimæ providentiæ et voluntatis tuæ transfundo, lætusque in sanctissimo beneplacito tuo conquiesco. Tu de vita, omnibusque rebus meis dispone, quomodocumque pro majori tua gratia libitum fuerit. Id unum summis a te precibus efflagito, ne umquam permittas me separari a te; præstaret æternas gehennæ subire pœnas. Excita proinde et conserva in me fidem vivam, spem firmam, et ardentem charitatem, meque duc per viam mandatorum tuorum, donec transeam in locum Tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. *Ps. 41. 4.*

### PETITIO BENEDICTIONIS.

Benedicat mihi indignissimæ creaturæ suæ, Deus Pater, et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

Omnipotentia Patris conservet me.

Sapientia Filii erudiat me,

Charitas Spiritus sancti accendat me.

Ut te Deum meum, unum in substantia, et trinum in Personis, hic in terris agnoscam, amem et prædicem; in cœlis æternum intuear et amplectar. Amen.

# XVI.

### FERIA II, SEU DIE LUNÆ.

## OFFICIUM SANCTI SPIRITUS.

### AD MATUTINUM.

Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Nobis sancti Spiritus gratia sit data,
De qua Virgo virginum fuit obumbrata,
Cum per sanctum Angelum fuit salutata.
Verbum caro factum est,
Virgo fœcundata.

*Ant.* Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Emitte Spiritum tuum, et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

OREMUS.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

### AD PRIMAM.

Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

De Maria Virgine Christus fuit natus;
Crucifixus, mortuus, atque tumulatus;
Resurgens Discipulis fuit demonstratus,
Et ipsis cernentibus in cœlos elevatus.

*Ant.* Veni, S. Spiritus, etc. *cum Oratione, p. 186.*

## AD TERTIAM.

Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Suum sanctum Spiritum Deus delegavit,
In die Pentecostes Apostolos confortavit,
Et de linguis igneis ipsos inflammavit,
Relinquere orphanos eos denegavit.

*Ant.* Veni, S. Spiritus, etc. *cum oratione, p. 186.*

## AD SEXTAM.

Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Septiformem gratiam tunc acceptaverunt,
Quare idiomata cuncta cognoverunt:
Ad diversa climata mundi recesserunt,
Et Fidem Catholicam tunc prædicaverunt.

*Ant.* Veni, S. Spiritus, etc. *cum Oratione, p. 186.*

## AD NONAM.

Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Spiritus Paraclitus fuit appellatus,
Donum Dei, charitas, fons vivificatus,
Spiritualis unctio, ignis inflammatus.
Septiformis gratia, charisma vocatus.

*Ant.* Veni, S. Spiritus, etc. *cum Oratione, p. 186.*

## AD VESPERAS.

Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen.

℣. Deus in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Dexteræ Dei digitus, virtus spiritualis,
Nos defendat, eruat ab omnibus malis,
Ut nobis non noceat dæmon infernalis:

Protegat et nutriat, foveatque sub alis.

*Ant.* Veni, S. Spiritus, etc. *cum Oratione, p. 186.*

## AD COMPLETORIUM.

Spiritus sancti gratia illuminet sensus et corda nostra. Amen.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Spiritus Paraclitus nos velit juvare,
Gressus nostros regere et illuminare,
Ut cum Deus venerit omnes judicare,
Nos velit ad dexteram omnes appellare.

*Ant.* Veni, S. Spiritus, etc. *cum Oratione, p. 186.*

### COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi, sancte Spiritus, pia ratione,
Dixi, ut nos visites inspiratione,
Et vivamus jugiter in cœli regione.
Amen.

---

## LITANIÆ SANCTI SPIRITUS.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Spiritus sancte a Patre Filioque procedens, miserere nobis.
Spiritus Domini, Deus Israel, *Miserere nobis.*
Dominator hominum, *Miserere nobis.*
Replens orbem terrarum, *Miserere nobis.*
Habens omnem virtutem, *Miserere nobis.*
Omnia bona operans, et omnia prospiciens, *Miserere nobis.*
Ornans cœlos, stabilis et securus, *Miserere nobis.*
Spiritus veritatis omnia suggerens, et distribuens, *Miserere nobis.*
Spiritus sapientiæ et intellectus, *Miserere nobis.*
Spiritus consilii, fortitudinis, scientiæ, et pietatis, *Miserere nobis.*
Spiritus timoris Domini et prudentiæ, *Miserere nobis.*
Spiritus, quo inspirante locuti sunt sancti Dei homines, *Miserere nobis.*
Quæ ventura sunt annuntians, *Miserere nobis.*
Donum et promissio Patris, *Miserere nobis.*

Spiritus sancte Paraclite arguens mundum,
Spiritus, in quo dæmonia ejiciuntur,
Spiritus, ex quo renascimur,
Spiritus, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris,
Spiritus adoptionis filiorum Dei,
Spiritus gratiæ et misericordiæ,
Spiritus adjuvans infirmitatem nostram, et reddens testimonium spiritui nostro, quod simus filii Dei,
Spiritus suavis, benigne, super mel dulcis,
Spiritus pignus hæreditatis nostræ, deducens nos in terram rectam,
Spiritus principalis, vivificans et confortans,
Spiritus salutis, judicii et gaudii,
Spiritus fidei, pacis et ardoris,
Spiritus humilitatis, charitatis et castitatis,
Spiritus benignitatis, bonitatis, longanimitatis ac mansuetudinis,
Spiritus lenitatis, veritatis, unitatis ac consolationis,
Spiritus compunctionis, promissionis, renovationis ac sanctificationis,
Spiritus vitæ, patientiæ, continentiæ ac modestiæ,
Spiritus omnium gratiarum,

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis, sancte Spiritus.
Propitius esto, exaudi nos, sancte Spiritus.
A spiritu erroris, libera nos, Spiritus Dei vivi.
A spiritu immundo,
A spiritu blasphemiæ,
Ab omni obstinatione et desperatione,
Ab omni præsumptione et veritatis contradictione,
Ab omni malitia et prava consuetudine,
Ab invidia fraternæ charitatis,
A finali impœnitentia,
Per æternam a Patre et Filio processionem tuam,
Per invisibilem unctionem tuam,
Per singulare privilegium quo Virginem Mariam a primo instanti suæ Conceptionis ab omni labe originalis culpæ immunem præservasti,
Per omnem gratiarum plenitudinem, qua Virginem Mariam semper possedisti,

Libera nos, Spiritus Dei vivi.

Per supereffluentem sanctitatis abyssum, qua in conceptione Verbi Matrem Dei inundare fecisti,
Per sanctam in baptismo Christi apparitionem tuam,
Per salutarem super Apostolos adventum tuum.
Per ineffabilem bonitatem tuam, qua Ecclesiam gubernas, concilias præsides, Martyres corroboras, Doctores illuminas, religiones instituis,

*Libera nos, Spiritus Dei vivi.*

Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut in spiritu ambulemus, et desideria carnis non adimpleamus,
Ut te numquam contristemus,
Ut omnes Ecclesiasticos Ordines in sancta religione et vero spiritu conservare digneris,
Ut cuncto populo Christiano cor unum et animam unam donare digneris,
Ut virtutum omnium complementum nobis donare digneris.

*Te rogamus, audi nos.*

Ut nos exaudire digneris,
Spiritus Dei,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, effunde in nos S. Spiritum.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, emitte in nos promissum Patris Spiritum.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, da nobis Spiritum bonum.

℣. Spiritus Domini replevit orbem terrarum.

℟. Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.

OREMUS.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum.

HYMNUS AD S. SPIRITUM.

Veni, Creator Spiritus, etc. *Eum Hymnum cum oratione vide pag. 1.*

HYMNUS ALTER AD S. SPIRITUM.

*(Ind.)* Veni, sancte Spiritus,
Et emitte cœlitus
Lucis tuæ radium:
Veni, Pater pauperum,
Veni, dator munerum,
Veni, lumen cordium.
Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.

O Lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine,
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.
Lava quod est sordidum:
Riga quod est aridum:
Sana quod est saucium.
Flecte quod est rigidum:
Fove quod est frigidum:
Rege quod est devium.
Da tuis fidelibus
In te confidentibus
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum:
Da salutis exitum:
Da perenne gaudium.
Amen.

℣. Spiritus sancti gratia.

℟. Illuminet sensus et corda nostra.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, cui omne cor patet, et omnis voluntas loquitur, et quem nullum latet secretum: purifica per infusionem sancti Spiritus cogitationes cordis nostri, ut te perfecte diligere, et digne laudare mereamur.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus: ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

PIÆ ASPIRATIONES AD S. SPIRITUM PRO SEPTENIS EJUSDEM DONIS IMPETRANDIS.

I.

Veni, sancte Spiritus,
Et emitte cœlitus
Dona tuæ gratiæ.

Veni, o Spiritus *Sapientiæ!* Instrue cor meum, ut sciam æstimare et amare bona cœlestia, eaque terrenis omnibus anteponere. Monstra insuper viam, qua illa consequi, æternumque possidere valeam.

Pater noster.

II.

Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Intellectus!* Illumina mentem, ut omnia salutis Mysteria percipiam et amplectar, clareque tandem in lumine tuo lumen æternum videre, plenamque Tui, Patrisque ac Filii cognitionem obtinere merear.

Pater noster.

III.

Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Consilii!*

Assiste mihi in omnibus instabilis hujus vitæ negotiis, mentem in bonum inclina, et a malo absterre, meque per rectum mandatorum tuorum tramitem ad optatum salutis æternæ metam dirige.

Pater noster.

IV.

Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Fortitudinis!* Da robur cordi meo, illudque in omni perturbatione, et adversis casibus confirma, virtutemque contra noxios inimicorum meorum conatus largire, ne umquam victus, a te Deo summo bono meo separer.

Pater noster.

V.

Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Scientiæ!* Fac ut caduca hujus mundi bona eorumque vanitatem perspiciam, et contemnam, neque aliter iis utar, quam ad tuam unius, gloriam, meamque salutem; tua vero æterna præmia omnibus rebus terrenis anteponam.

Pater noster.

VI.

Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Pietatis!* Cor meum ad veram pietatem, et sanctum Domini Dei mei amorem impelle, ut hunc in omni devotione mea semper quæram, et in vera dilectione inveniam.

Pater noster.

VII.

Veni, sancte Spiritus.

Veni, o Spiritus *Timoris Domini!* Confige timore tuo carnes meas, ut provideam te Dominum Deum meum in conspectu meo semper, omniaque sollicite caveam, quæ purissimis divinæ Majestatis tuæ oculis displicere possunt.

Pater noster.

℣. Veni, sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium.

℟. Et tui amoris in eis ignem accende.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Mentibus nostris, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum benignus infunde, cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

# XVII.

## FERIA III, SEU DIE MARTIS.

# OFFICIUM SS. NOMINIS JESU.

### AD MATUTINUM.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus, tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

#### HYMNUS.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia,
Sed super mel et omnia
Ejus dulcis præsentia.

*Ant.* Humiliavit semetipsum Dominus Jesus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum.

℣. Omnis terra adoret te, Deus, et psallat tibi.

℟. Psalmum dicat nomini tuo, Domine Jesu.

#### OREMUS.

Deus, qui gloriosissimum nomen Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii tui, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, et malignis spiritibus tremendum atque terribile : concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis, et interminabilis jubilationis, obtineant in cœlis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

### AD PRIMAM.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Nil canitur suavius,
Auditur nil jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.

*Ant.* Humiliavit, etc. *cum Oratione, pag. 193.*

## AD TERTIAM.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Jesu, spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus,
Quam bonus te quærentibus,
Sed quid invenientibus!

*Ant.* Humiliavit, etc. *cum Oratione, pag 193.*

## AD SEXTAM.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Jesu, dulcedo cordium,
Fons vivus, lumen mentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne desiderium.

*Ant.* Humiliavit, etc. *cum Oratione pag. 193.*

## AD NONAM.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere,
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.

*Ant.* Humiliavit, etc. *cum Oratione, pag. 193.*

## AD VESPERAS

Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Jesu, rex admirabilis,
Et triumphator nobilis,
Dulcedo ineffabilis,
Totus desiderabilis.

*Ant.* Humiliavit, etc. *cum Oratione, pag. 193.*

## AD COMPLETORIUM.

Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Mane nobiscum, Domine,
Et nos illustra lumine,
Pulsa mentis caligine,
Mundum replens dulcedine.

*Ant.* Humiliavit, etc. *cum Oratione, pag. 193.*

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione,
Dixi, pie Jesu, tui ratione,
Ut sis memor mei mortis in agone,
Tecum et congaudeam in cœli regione.
Amen.

---

## LITANIÆ DE SS. NOMINE JESU.

Kyrie, eleison, etc. *Vide pag. 5.*

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui gloriosissimum nomen Domini nostri Jesu Christi, unigeniti Filii tui, fecisti fidelibus tuis summo suavitatis affectu amabile, et malignis spiritibus tremendum atque terribile: concede propitius, ut omnes, qui hoc nomen Jesu devote venerantur in terris, sanctæ consolationis dulcedinem in præsenti percipiant, et in futuro gaudium exultationis, et interminabilis jubilationis obtineant in cœlis. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

TRIGINTA TRES PIÆ ASPIRATIONES AD JESUM, JUXTA NUMERUM ANNORUM EJUSDEM.

JESUS VERUS DEUS.

O Jesu, Deus verus de Deo vero! Esto mihi in Deum protectorem, et in domum refugii, ut salvum me facias. *Ps. 30. 3.*

O Jesu, Imago Patris! Renova spiritum mentis meæ, et sicut portavi imaginem hominis terreni, portem et cœlestis. 1. *Cor. 15*

O Jesu, Sapientia æterna! Omnem a me vanam scientiam aufer: nihil enim scire cupio, nisi te Jesum meum crucifixum. 1. *Cor. 2. 2.*

JESUS VERUS HOMO.

O Jesu! Verbum incarnatum, habitans in nobis! Fac me divinæ tuæ consortem naturæ. 2. *Pet. 1. 4.*

O Jesu, Fili hominis, qui cum esses in forma Dei, formam servi accepisti! Superbia numquam in sensu meo dominetur. *Tob. 4. 14.*

O Jesu, Primogenite in multis fratribus! Fac mihi, sicut promisisti, locum in regno Patris tui: ut ubi tu es, et ego sim. *Joan. 14, 3.*

JESUS REDEMPTOR.

O Jesu, Redemptor meus! Tuus sum ego: accipe me; nam tuo Sanguine, pretio sane magno, emisti me. 1. *Cor. 6.20.*

O Jesu, Salvator meus! Salva me: nec enim aliud nomen est sub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri. *Act. 4. 12.*

O Jesu, Auctor vitæ meæ! Tibi vivit anima mea; mihi enim vivere tu Christus es, et mori lucrum. *Phil. 1. 21.*

JESUS DOMINUS.

O Jesu, Dominus meus, et Deus meus! Posside me; quia ego servus tuus, ego servus tuus, et filius ancillæ tuæ. *Ps, 115.6.*

O Jesu, Rex meus! Impera mihi: agnosco jugum tuum vere suave esse, et onus tuum leve. *Matth. 11. 30.*

O Jesu, Defensor meus! Sub umbra tua protege me: pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. *Job. 17. 3.*

JESUS SPONSUS.

O Jesu, Sponsus sanguinum tu mihi es! Sponsa te mihi in misericordia et in miserationibus, in sempiternum. *Osee 2.19.*

O Jesu, Amor meus, speciosus præ filiis hominum! Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram! *Ps. 72. 24.*

O Jesu, solatium et gaudium meum! introduc me in cellaria tua; exultabo et lætabor in te. *Cant. 1. 3.*

JESUS PASTOR.

O Jesu, pastor bone! qui posuisti animam tuam pro ovibus tuis; propter nomen tuum deduces me, et enutries me. *Ps. 30. 4.*

O Jesu, Panis vive, qui de cœlo descendisti! tu solus es, qui reples in bonis desiderium meum. *Psal. 102. 5.*

O Jesu, fons vitæ! Sitivit anima mea ad te; fac ut hauriam aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. *Is. 12. 3.*

JESUS MAGISTER.

O Jesu. Magister a Deo nobis misse! Bonitatem et disciplinam, et scientiam doce me, quia mandatis tuis credidi. *Ps. 118. 66.*

O Jesu, Doctor et Præceptor meus! Deduc me in semitam mandatorum tuorum, quia ipsam volui. *Ps. 118. 35.*

O Jesu, lux mundi! Emitte lucem tuam, et veritatem tuam; ipsa me deducant in montem sanctum

tuum, et in tabernacula tua. *Ps. 42. 3.*

JESUS ADVOCATUS.

O Jesu, Advocate noster apud Patrem? Sis propitiatio non tantum pro peccatis meis, sed etiam pro totius mundi. 1. *Joan. 2. 2.*

O Jesu! Mediator meus! Patri tuo me reconcilia: unus enim mediator Dei et hominum tu es, Christe Jesu. 1. *Tim. 2. 5.*

O Jesu, refugium meum! Intra vulnera tua absconde me; hic in pace in idipsum dormiam et requiescam. *Ps. 4. 9.*

JESUS MEDICUS.

O Jesu, Medice corporis et animæ meæ, qui dolores nostros ipse portasti: livore tuo sanati sumus. *Is. 53. 4. 5.*

O Jesu, vere Samaritane! Infunde vinum et oleum in vulnera mea, et sana animam meam, quia peccavi tibi. *Ps. 40. 4.*

O Jesu, Agne innocens pro me ad occisionem ducte! Munda cor meum; tu enim tollis peccata mundi. *Joan. 1. 29.*

JESUS JUDEX.

O Jesu, Judex, qui venturus es judicare vivos et mortuos! Non intres in judicium cum servo tuo. *Ps. 142. 2.*

O Jesu, Justitia mea! Responde pro me; quia ego non potero respondere unum pro mille. *Job 9. 3.*

O Jesu, Auctor spei meæ! Statue me a dextris inter oves tuas; et ab auditione mala non timebo. *Ps. 111. 6.*

JESUS GLORIFICATOR.

O Jesu, Pars hæreditatis meæ, et portio mea in terra viventium! Hæreditatem meam restitue mihi. *Ps. 15. 5.*

O Jesu, Merces mea magna nimis! Admitte me in bona Domini, quæ præparasti diligentibus te. 1. *Cor. 2. 9.*

O Jesu! Vita, salus et resurrectio mea! Cupio dissolvi, et esse tecum; mihi enim adhærere tibi bonum est. *Ps. 72. 27.*

ORATIO.

O bone Jesu! o piissime Jesu! o dulcissime Jesu! o Jesu Fili Mariæ Virginis, plene misericordia et pietate! O dulcis Jesu! secundum magnam misericordiam tuam miserere mei. O clementissime Jesu! te deprecor per illum Sanguinem pretiosum, quem pro peccatoribus effundere voluisti, ut abluas omnes iniquitates meas, et in me respicias miserum et indignum, humiliter veniam petentem, et

hoc nomen sanctum Jesu invocantem. O nomen Jesu, nomen dulce! nomen Jesu, nomen delectabile! nomen Jesu, nomen confortans! Quid est enim Jesus, nisi salvator! Ergo, Jesu, propter nomen sanctum tuum, esto mihi Jesus, et salva me: ne permittas me damnari, quem tu de nihilo creasti. O bone Jesu! ne perdat me iniquitas mea, quem fecit omnipotens bonitas tua. O dulcis Jesu! recognosce quod tuum est, et absterge quod alienum est. O benignissime Jesu! miserere mei, dum tempus est miserendi, ne damnes me in tempore judicandi. Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in æternam corruptionem? Non mortui laudabunt te, Domine Jesu, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Jesu! o desideratissime Jesu! o mitissime Jesu! o Jesu, Jesu, Jesu! admitte me intra numerum Electorum tuorum. O Jesu, salus in te credentium, o Jesu, solatium ad te confugientium, o Jesu, dulcis remissio omnium peccatorum, o Jesu, Fili Mariæ Virginis, infunde in me gratiam, sapientiam, charitatem, castitatem et humilitatem; ut possim te perfecte diligere, te laudare, te perfrui, tibi servire, et in te gloriari, et omnes qui invocant nomen tuum, quod est Jesus. Amen.

### SEPTEM DIVINI AMORIS JACULA.

1. Quando te, mi Jesu, brachiis animæ meæ constringam, ne, oro, peccatis excludar: vere eorum me nunc amore tui pœnitet.

2. Utinam te solum, mi Jesu, possideam, et in aliis omnibus sim pauper! præ te vilescunt mihi omnia mundi bona, tu solus places.

3. Felix, qui omni rerum terrenarum cura solutus, tibi soli, mi Jesu, vacat, et videt quam suavis sit in omnibus spiritus tuus!

4. Amo te, suavissime Jesu, super cœlum et terram, et omnia, quæ in iis continentur; in te solo cor meum conquiescit.

5. O charissime sponse, en ego sto ad ostium tuum, et pulso, admitte me: omnibus hujus mundi voluptatibus lubens renuntio.

6. O Jesu, permitte me quiescere super sacratissimum pectus tuum, ut inde cor meum accendatur semperque ardeat.

7. O vita mea, per quam vivo, sine qua morior; con-

cede ut tibi conjungar, et in amplexu tuo moriar.

QUINQUE AMANTIS ANIMÆ SUSPIRIA, AD QUINQUE LITTERAS NOMINIS JESU.

Jesu, mi Deus et omnia, cur umquam offendi te, qui usque in finem dilexisti me? An non et ego amem te? Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema. 1. *Cor. 16. 22.*

Emitte, mi Jesu, lucem tuam et veritatem tuam: ipsa me deducant et adducant in montem sanctum tuum, et in tabernacula tua. Ibi secure exultabo in te Deo Jesu meo. *Ps. 42. 3.*

Salve, o Imago æterni Patris, o speciose forma præ filiis hominum, in quem desiderant Angeli prospicere. O cordis mei desiderium! Ostende mihi faciem tuam, et salvus ero. *Ps. 79. 20.*

Utinam, o Bonitas infinita, amoris victima pro me facta, totus vicissim tibi in amoris victimam consecrer; faciasque (quod unice exopto) ut vere dicam: Mihi mundus crucifixus est, et ego mundo. *Gal. 6. 14.*

Suavissime Jesu, aufer spiritum meum, et tuum in me transfunde: tuo enim spiritu animatus exclamabo: Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. *Gal. 2. 20.*

## XVIII.

FERIA IV, SEU DIE MERCURII.

# OFFICIUM S. ANGELI CUSTODIS.

### AD MATUTINUM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Custodes hominum psallimus Angelos,
Naturæ fragili quos Pater addidit
Cœlestis comites, insidiantibus
Ne succumberet hostibus.

*Ant.* Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

OREMUS.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris: largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

## AD PRIMAM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Nam quod corruerit proditor Angelus,
Concessis merito pulsus honoribus,
Ardens invidia pellere nititur
Quos cœlo Deus advocat.

*Ant.* Sancti Angeli, etc. *cum Oratione, ut supra.*

## AD TERTIAM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Huc, custos, igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid non sinit incolas.

*Ant.* Sancti Angeli. etc. *cum Oratione, ut supra.*

## AD SEXTAM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Christe, sanctorum decus
Angelorum,
Rector humani generis et
auctor,
Nobis æternum tribue benignus
Scandere cœlum.

*Ant.* Sancti Angeli, etc. *cum Oratione, pag. 200.*

## AD NONAM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Angelum pacis Michael ad
istam
Cœlitus mitti rogitamus aulam,
Nobis ut, crebro veniente,
crescant
Prospera cuncta.

*Ant.* Sancti Angeli, etc. *cum Oratione, pag. 200.*

## AD VESPERAS.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Amen.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Angelus fortis Gabriel, ut hostem
Pellat antiquum, volitet ab
alto,
Sæpius templum veniens ad
istud
Visere nostrum.

*Ant.* Sancti Angeli, etc. *cum Oratione, pag. 200.*

## AD COMPLETORIUM.

Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. Amen.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Angelum nobis medicum
salutis
Mitte de cœlis Raphael, ut
omnes
Sanet ægros, pariterque
nostros
Dirigat actus.

*Ant.* Sancti Angeli, etc. *cum Oratione, pag. 200.*

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum
devotione
Dixi, Custos Angele, tui
ratione,
Precor me custodias mortis
in agone,

Et præsens me deducas in
cœli regione.
Amen.

*(Ind.)* Angele Dei, qui custos es mei, me tibi commissum pietate superna, illumina, custodi, rege et guberna. Amen.

---

## LITANIÆ DE SS. ANGELIS.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, *Ora pro nobis.*
Sancta Virgo virginum, *Ora pro nobis.*
Sancte Michael, qui populo Dei semper defensor fuisti, *Ora pro nobis.*
Sancte Michael, qui Luciferum cum complicibus rebellibus de cœlo deturbasti, *Ora pro nobis.*
Sancte Michael, qui accusatorem fratrum nostrorum in profundum inferni dejecisti, *Ora pro nobis.*
Sancte Gabriel, qui Danieli divinam visionem patefecisti, *Ora pro nobis.*
Sancte Gabriel, qui Joannis Baptistæ ortum et ministerium prænuntiasti, *Ora pro nobis.*
Sancte Gabriel, qui Incarnationis Verbi divini nuntius extitisti, *Ora pro nobis.*
Sancte Raphael, qui Tobiam salvum duxisti et reduxisti, *Ora pro nobis.*
Sancte Raphael, qui dæmonium a Sara depulisti, *Ora pro nobis.*
Sancte Raphael, qui Tobiam seniorem illuminasti, *Ora pro nobis.*
Sancti Angeli, orate pro nobis.
Qui super Dei solium excelsum et elevatum statis, *Orate pro nobis.*
Qui jugiter Deo Sanctus, Sanctus, Sanctus concinitis, *Orate pro nobis.*
Qui, discussis tenebris, mentem nostram illuminatis, *Orate pro nobis.*
Qui divina hominibus nuntiatis, *Orate pro nobis.*
Qui hominum custodiam a Deo accepistis, *Orate pro nobis.*
Qui semper faciem Pa-

tris, qui in cœlis est, videtis,
Qui super uno peccatore pœnitentiam agente gaudetis,
Qui Sodomitas cæcitate percussistis,
Qui Loth de medio peccatorum eduxistis,
Qui per scalam Jacob ascendistis et descendistis,
Qui in monte Sinai divinam legem Moysi tradidistis,
Qui, Christo nato, gaudium hominibus annuntiastis,
Qui Christo in deserto ministrastis,
Qui Lazarum in sinum Abrahæ deportastis,
Qui juxta Christi sepulchrum in albis sedistis,
Qui, Christo in cœlum ascendente, ejus discipulis apparuistis,
Qui Christum ad judicium venturum cum signo crucis præcedetis,
Qui electos in fine sæculi congregaturi estis,
Qui malos de medio justorum separabitis,
Qui orantium preces ad Deum defertis,
Qui morientibus assistitis,

Orate pro nobis.

Qui animas justorum ab omni labe purgatas ad cœlum deducitis,
Qui prodigia et miracula virtute Dei perpetratis,
Qui hæreditatem salutis capientibus in ministerium mittimini,
Qui Babylonem curatis, et nolentem curari migrando deseritis,
Qui super regna et provincias constituti estis,
Qui hostium exercitus sæpe dissipastis,
Qui Dei famulos ex carceribus, et aliis vitæ periculis sæpe liberastis.
Qui sanctis Martyribus in tormentis sæpe solatio fuistis,
Qui Ecclesiæ prælatos et principes, ejusdemque nutritios peculiari cura fovere soletis,
Omnes sancti beatorum Spirituum ordines,

Orate pro nobis.

A cunctis periculis, per sanctos Angelos tuos, libera nos, Domine.
Ab insidiis diaboli, libera nos, Domine.
Ab omni hæresi et schismate, libera nos, Domine.
A peste, fame et bello, libera nos, Domine.
A subitanea et improvisa morte, libera nos, Domine.

A morte perpetua, libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Per sanctos Angelos tuos,

Ut nobis parcas,

Ut nobis indulgeas,

Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,

Ut domnum apostolicum, et omnes Ecclesiasticos Ordines protegere digneris,

Ut regibus et principibus Christianis pacem et unitatem largiri digneris,

Ut fructus terræ dare et conservare digneris,

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris,

Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster, etc. *secreto*.

℣. Benedicite Dominum, omnes Angeli ejus.

℟. Potentes virtute, facientes verbum illius, ad audiendam vocem sermonum ejus.

℣. Benedicite Domino, omnes Virtutes ejus.

℟. Ministri ejus, qui facitis voluntatem ejus.

℣. Angelis suis mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Immittet Angelus Domini in circuitu timentium eum.

℟. Et eripiet eos.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo, Domine.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui miro ordine, Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius, ut a quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat,

# ORATIONES DE SS. ANGELIS.

### ORATIO AD S. ARCHANGELUM MICHAELEM.

O cœlestis militiæ Princeps, S. Michael, qui superbum Luciferum cum omnibus suis asseclis in gehennæ barathrum deturbasti! O Ecclesiæ defensor ac protector! o animarum ex hac vita migrantium Præses! succurre animæ meæ in agone constitutæ, quam tibi nunc enixe commendo. Tu eam contra omnes hostiles incursus protege; tu hinc proficiscentis patrocinium suscipe, et contra omnes dæmonum insidias defensam, ad paradisi gaudia admitte, ubi cum omnibus Angelis Deum æternis laudibus exaltem. Amen.

### ORATIO AD S. GABRIELEM.

O fortitudo Dei, S. Gabriel, qui Virgini Mariæ unigeniti Dei Filii Incarnationem annuntiasti, et in horto Christum in summa tristitia ac mœrore consolatus es et confortasti; te laudo, te veneror, o electe Spiritus, et supplex oro, ut meus apud Jesum Christum Salvatorem meum, et benedictam ejusdem Matrem Virginem Mariam advocatus esse, atque in omnibus me angustiis solari semper et corroborare velis, ne ullis umquam tentationibus superatus, Deum summum bonum meum offendam. Amen.

### ORATIO AD S. RAPHAELEM.

O cœlestis Medice, et comes fidelissime, S. Raphael, qui Tobiæ seniori visum restituisti, juniorem per omnes suscepti itineris vias deduxisti, et incolumem conservasti: esto corporis et animæ meæ Medicus: pelle ignorantiæ tenebras, mihique in periculosa hujus vitæ peregrinatione constanter assiste, donec ad cœlestem patriam me perducas, ubi tecum beatus divinam faciem æternum contempler. Amen.

### AD S. ANGELUM TUTELAREM.

O fidelissime Comes, a Deo tutelæ meæ assignate, protector et defensor meus, numquam recedens a latere meo, quas tibi gratias referam pro fide, amore, innumerisque in me collatis beneficiis? Tu dormienti advigilas: mœstum solaris: dejectum erigis: imminen-

tia pericula avertis: futura doces cavere: a peccatis abstrahis: ad bonum impellis: lapsum ad pœnitentiam hortaris, Deoque concilias. Jam dudum fortassis in infernum detrusus fuissem, nisi tuis precibus divinam a me iram avertisses. Ne, precor, me umquam deseras; in adversis solare: in prosperis contine: in periculis tuere: in tentationibus adjuva, ne iis umquam succumbam. Preces et gemitus meos, omniaque pia opera divino conspectui offer, atque effice, ut in gratia ex hac perveniam ad vitam æternam. Amen.

---

## PROTESTATIONES S. CAROLI BORROMÆI,

### CORAM ANGELO CUSTODE, PRO FELICI MORTE IMPETRANDA.

I. In nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Ego infelix et miser peccator protestor coram te, o dilecte Angele, mihi a divina Majestate pro custode assignate, velle me mori in ea sola Fide, quam sancta Romana et Apostolica tenet et profitetur Ecclesia, in qua omnes Novæ Legis Sancti mortui sunt, et extra quam non est salus.

II. Protestor etiam, o Angele Dei, velle me sub tua sancta custodia et protectione discedere ex hac vita, cum firma spe divinæ misericordiæ consequendæ, non obstante quacumque multitudine et gravitate peccatorum meorum, secure credens vel unicam guttulam pretiosissimi Sanguinis Jesu Christi abunde sufficere ad eluenda non solum mea, sed etiam totius mundi peccata.

III. Similiter protestor, o Angele sancte, petere me ex intimo corde participem fieri meritorum Jesu Christi, ejusque bonitatis et clementiæ, quam nulli peccatori, quantumvis gravi et abominabili, veram pœnitentiam agenti, negat: utinam ego Deum meum, quem super omnia amo, magisque amare desidero, numquam offendissem! Doleo ex toto

corde, et lubens condono quidquid ab aliis in me peccatum est, omnemque culpam meam in benignissimum Jesu Redemptoris mei cor delendam transfundo.

IV. Porro protestor, mi Custos, supplicare me divinæ bonitati, ut me recipere dignetur in numerum eorum, quos ab æterno prædestinavit, et hæredes suæ gloriæ constituit. Ex desiderio, quo in cœlum rapior, non tantum ad sustinenda omnia mala, quibus hæc misera vita obnoxia est, verum etiam ad purgatorii pœnas usque ad novissimum judicii diem subeundas me offero, dummodo tandem per infinitam Dei misericordiam consequar æternam beatitudinem.

V. Denique protestor, o fidelissime Custos, quod te executorem ultimæ voluntatis meæ constituam. Tres mihi velim gratias a Deo impetres: prima est, ut ex hac vita non discedam, nisi omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite munitus. Secunda est, ut ex plurimis lacrymosis suspiriis, quæ Christus Jesus per tres horas in Cruce pendens emisit, vel unum impetrare possim, cujus virtute et efficacia lacrymabiles cordis mei gemitus ac singultus, quibus in hora mortis affligar, mitigem, utque dulcissima Jesu Mater me dignetur vel unico ex illis aspectibus, quos ipsa sub cruce in faciem dilectissimi Filii sui, cum morte luctantis, direxit, suscipiendo me in illorum numerum qui materno ipsius patrocinio salutem æternam in die judicii obtinebunt. Tertia demum gratia est, ut tu, fidelissime Custos meus, in illa potissimum hora mihi succurras, quando anima mea a corpore separabitur, faciasque mihi benignum Judicem, cujus paternum pectus flagrantissimæ charitatis incendio in cruce pro salute peccatorum inflammatum fuit. Habe, o piissime Custos, tibi unice commendatam animam meam, eamque de ergastulo corporis egressam in manus Creatoris ac Redemptoris sui trade: ut eum una tecum, et cum Sanctis omnibus in cœli gaudiis clare videat, perfecte amet, eodemque plene in omnem æternitatem fruatur. Amen.

## ORATIO ECCLESIÆ
### AD SANCTOS ANGELOS CUSTODES.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam

mittere dignaris : largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et æterna societate gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

# XIX.

## FERIA V, SEU DIE JOVIS.

# OFFICIUM SS. SACRAMENTI.

### AD MATUTINUM.

Panem Angelorum manducavit homo, et paratur ei mensa Domini.

℣. Domine, labia mea aperies.

℞. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℞. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

### HYMNUS.

Pange, lingua, gloriosi
Corporis mysterium,
Sanguinisque pretiosi,
Quem in mundi pretium
Fructus ventris generosi,
Rex effudit gentium.

*Ant.* O quam suavis est, Domine, spiritus tuus, qui ut dulcedinem tuam in filios demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito esurientes reples bonis, fastidiosos divites dimittens inanes!

℣. Panem de cœlo præstitisti eis, Domine.

℞. Omne delectamentum in se habentem.

### OREMUS.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti : tribue, quæsumus; ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

## AD PRIMAM.

Panem Angelorum manducavit homo, et paratur ei mensa Domini.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Nobis datus, nobis natus
Ex intacta Virgine,
Et in mundo conversatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.

*Ant.* O quam suavis, etc. *cum Oratione, pag. 208.*

## AD TERTIAM.

Panem Angelorum manducavit homo, et paratur ei mensa Domini.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

In supremæ nocte cœnæ,
Recumbens cum fratribus,
Observata lege plene
Cibis in legalibus,
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.

*Ant.* O quam suavis, etc. *cum Oratione, pag. 208.*

## AD SEXTAM.

Panem Angelorum manducavit homo, et paratur ei mensa Domini.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Verbum caro panem verum
Verbo Carnem efficit;
Fitque Sanguis Christi merum,
Et si sensus deficit,
Ad firmandum cor sincerum
Sola fides sufficit.

*Ant.* O quam suavis, etc. *cum Oratione, pag. 208.*

## AD NONAM.

Panem Angelorum manducavit homo, et paratur ei mensa Domini.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Panis Angelicus
Fit panis hominum:
Dat panis cœlicus
Figuris terminum.
O res mirabilis!
Manducat Dominum
Pauper servus et humilis.

*Ant.* O quam suavis, etc. *cum Oratione, pag. 208.*

## AD VESPERAS.

Panem Angelorum manducavit homo, et paratur ei mensa Domini.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Tantum ergo Sacramentum
Veneremur cernui,

Et antiquum documentum
Novo cedat ritui:
Præstet fides supplementum
Sensuum defectui.

*Ant.* O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur!

℣. Panem de cœlo, etc. *cum Oratione, pag. 208.*

## AD COMPLETORIUM.

Panem Angelorum manducavit homo, et paratur ei mensa Domini.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Genitori, genitoque
Laus et jubilatio:
Salus, honor, virtus quoque
Sit et benedictio:
Procedenti ab utroque
Compar sit laudatio.

*Ant.* O quam suavis, etc. *cum Oratione, pag. 208.*

### COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione
Dixi in memoriam tui, Jesu bone,
Corporis sanctissimi, pia ratione,
Fac ut illo perfruar in cœli regione. Amen.

---

## LITANIÆ DE VENERABILI SACRAMENTO.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.

Panis vivus, qui de cœlo descendisti,
Deus absconditus et Salvator,
Frumentum electorum,
Vinum germinans virgines,
Panis pinguis et deliciæ regum,
Juge sacrificium,
Oblatio munda,
Agnus absque macula,
Mensa purissima,

Miserere nobis.

Angelorum esca,
Manna absconditum,
Memoria mirabilium Dei,
Panis supersubstantialis,
Verbum Caro factum,
Habitans in nobis,
Hostia sancta,
Calix benedictionis,
Mysterium fidei,
Præcelsum et venerabile Sacramentum,
Sacrificium omnium sanctissimum,
Vere propitiatorium pro vivis et defunctis,
Cœleste antidotum, quo a peccatis præservamur,
Stupendum supra omnia miraculum,
Sacratissima dominicæ passionis commemoratio,
Donum transcendens omnem plenitudinem,
Memoriale præcipuum divini amoris,
Divinæ affluentia largitatis,
Sacrosanctum et augustissimum Mysterium,
Pharmacum immortalitatis,
Tremendum ac vivificum Sacramentum,
Panis omnipotentia Verbi caro factus,
Incruentum Sacrificium,
Cibus et conviva,
Dulcissimum convivium,
cui assistunt Angeli ministrantes,
Sacramentum pietatis,
Vinculum charitatis,
Offerens et oblatio,
Spiritualis dulcedo in proprio fonte degustata,
Refectio animarum sanctarum,
Viaticum in Domino morientium,
Pignus futuræ gloriæ,

Miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab indigna Corporis et Sanguinis tui susceptione, libera nos, Domine.
A concupiscentia carnis,
A concupiscentia oculorum,
A superbia vitæ,
Ab omni peccandi occasione,
Per desiderium illud, quo hoc Pascha cum discipulis manducare desiderasti,
Per summam humilitatem, qua discipulorum pedes lavisti,
Per ardentissimam charitatem, qua hoc divinum Sacramentum instituisti,
Per Sanguinem tuum pretiosum, quem nobis in altari reliquisti,

Libera nos, Domine.

Per quinque vulnera hujus tui Corporis sacratissimi, quæ pro nobis suscepisti, libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut nobis fidem, reverentiam et devotionem hujus admirabilis Sacramenti augere et conservare digneris,

Ut ad frequentem usum Eucharistiæ, per veram peccatorum confessionem nos perducere digneris,

Ut nos ab omni hæresi, perfidia ac cordis cæcitate liberare digneris,

Ut sanctissimi hujus Sacramenti pretiosos et cœlestes fructus nobis impertiri digneris,

Ut in hora mortis nostræ hoc cœlesti viatico nos confortare et munire digneris,

*Te rogamus, audi nos.*

Fili Dei,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui nobis, etc. *Vide pag. 208.*

BREVIS ET PIA ORATIO S. IGNATII.

Anima Christi, sanctifica me.
Corpus Christi, salva me.
Sanguis Christi, inebria me.
Aqua lateris Christi, lava me.
Passio Christi, conforta me.
O bone Jesu, exaudi me.
Intra vulnera tua absconde me.
Ne permittas me separari a te.
Ab hoste maligno defende me.
In hora mortis meæ voca me.
Et jube me venire ad te.
Ut cum Sanctis tuis laudem te
In sæcula sæculorum. Amen.

PIA PARAPHRASIS EJUSDEM ORATIONIS.

*Anima Christi*, omnibus sancti Spiritus donis et charismatibus exornata, *Sanctifica me*, per fidem vivam, per spem firmam, per charitatem perfectam, quam nec tribulatio, nec angustia, nec mors ipsa dissolvat. O Anima, quæ per

naturalem informationem Christi es, sis etiam per gratiosam assistentiam et operationem mea, piisque cogitationibus et affectibus sanctifica me. Esto animæ meæ anima et vita; quia sine te omnis vita mors est.

*Corpus Christi,* quod non solum in mortem acerbissimam, verum etiam in saluberrimum animæ nostræ cibum, et immortalitatis pharmacum, jugeque sacrificium traditum est, *Salva me.* O divinum caput, in quo omnes sunt thesauri sapientiæ et scientiæ Dei, rege me. O benignissimi oculi, toties pro me lacrymis perfusi, respicite me. O Salvatoris lingua, quæ verba vitæ æternæ habes, doce me. O potentissimæ manus, quarum attactu morbi pulsi, cæci curati, mortui resuscitati, tollite omnes languores et morbos tum corporis tum animæ meæ, cæcitatem pellite, vitamque gratiæ restituite. Quis mihi det, o speciosi pedes, o paterna genua, toti mundo salutem afferentia, ut cum Magdalena vos amplectar et deosculer, veniamque peccatorum meorum apud vos inveniam? O amabilissimum pectus, o divinitatis sacrarium, o amoris altare, junge te cordi meo, illudque amore inflamma. Sic mihi vivere Christus erit, et mori lucrum.

*Sanguis Christi,* totus amore mei effusus, *Inebria me,* ut amorem amore compensare, mortemque pro morte subire, et usque ad sanguinem peccatis generose semper resistere adnitar.

*Aqua lateris Christi,* ex aperto latere profluens, *Lava me.* Amplius, amplius lava me, et a peccato meo munda me: ut per apertum Christi pectus ad cor ejusdem amplexandum admitti merear.

*Passio Christi,* o fortissima Passio, quæ omnia peccata nostra pertulit, *Conforta me,* et contra omnes adversitates confirma me, viresque tribue, ut contumelias et injurias pro Domino meo Jesu Christo forti et alacri animo sustineam.

*O bone Jesu,* omnis bonitatis fons et origo, *Exaudi me,* quamvis magnum peccatorem: tua enim benignitas et gratia etiam peccatores exaudit.

Dilata benignitatis tuæ viscera, et *Intra tua vulnera,* quæ asylum miserorum constituisti, *Absconde me,* ne præda hostium fiam, aut in manus offensi Domini

mei incidam. Hic securus latebo; hic misericordias tuas, o bone Jesu, in æternum cantabo.

*Ne permittas* scelerum meorum multitudine et gravitate offensus, *Me separari a te.* Id oro per sacratissima vulnera, per pretiosissimum Sanguinem, per acerbissimam passionem et mortem tuam. Nam a te separatus mox audire cogerer : Deus dereliquit eum, persequimini et comprehendite eum, quia non est, qui eripiat. Proinde iterum iterumque supplex oro, mi Jesu, ne in æternum permittas me separari a te.

*Ab hoste maligno*, qui tamquam leo rugiens circuit, quærens quem devoret, *Defende* et protege *me:* ne quando dicat inimicus meus : Prævalui adversus eum.

*In hora mortis meæ,* quando ab omnibus creaturis deserar, quando trepidus ex instabili hoc mundo ibo in domum æternitatis meæ, *Voca me*, perditam ovem tuam, quæ toties vocem tuam audire renuit: voca, inquam, me, licet indignum nomine ovis tuæ: nam oves tuæ vocem tuam audiunt; voca me nihilominus, non meis meritis, sed tua permotus misericordia; quæ enim utilitas in sanguine meo, si descendero in corruptionem?

*Et jube me venire ad te,* summum et unicum bonum meum, ad cujus fruitionem creatus sum, jube me venire ad te, qui omnes vocas ad te, et solus mihi sufficis. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum?

*Ut cum sanctis tuis,* licet illorum consortio sim indignus, a tua tamen infinita bonitate ad illud admissus, *Laudem te,* Deum Salvatorem meum.

*In sæcula sæculorum. Amen.* Ecquando veniam, mi Jesu, et apparebo ante faciem tuam?

### ADORATIO CHRISTI IN EUCHARISTIA.

O Domine Jesu Christe, verus Deus et Homo! Ego te hic vere præsentem agnosco, supplex adoro, de vivæ Carnis tuæ et Sanguinis, corporisque et animæ veritate nihil omnino dubitans. Utinam vero eo te modo contemplari et cognoscere, diligere, laudare et glorificare queam, quo tot sanctorum Angelorum millia summo cum gaudio te contemplantur, cognoscunt, dili-

gunt et glorificant in cœlis! Quantum enim tibi debeo, quod amore mei e cœlo descenderis, teque in ara crucis pro me obtuleris, et te in immortale monumentum amoris tui mihi in Sacramento reliqueris! Væ mihi, si amorem hunc amore non compensem!

### ACTUS FIDEI, SPEI, CHARITATIS, ET RESIGNATIONIS CORAM VENERABILI.

O Sapientia infinita! o æterna veritas! o bonitas immensa! quæ nec falli, nec fallere potes : credo in te, et credo tibi in omnibus, quæ revelasti, perque Ecclesiam mihi credenda proponis. In primis vero credo, te in sanctissimo hoc Sacramento esse præsentem, prout apertis verbis asseruisti, quibus plus tribuo, quam ingenio meo, omnibusque sensibus. Pro hac fide per tuam gratiam mori sum paratus.

Spero in te, o bonitas infinita! teque per inexhaustam misericordiam tuam, et pretiosissima merita, veniam, gratiam et gloriam mihi promissam, daturum confido.

Amo, et amabo te, et omnia, quæ tu amas, propter te, o fons infinite omnis boni! quia tu omni amore dignus es.

Gaudeo de infinita perfectione, beatitudine et amabilitate tua, et de omni obsequio, laude, honore et gloria tibi ab electis tuis, et creaturis omnibus umquam reddita, et in æternum reddenda.

Te tuumque in omnibus beneplacitum amplector, omnique possibili reverentiæ, fiduciæ, amoris, et pietatis affectu veneror et exosculor.

Quidquid in me est affectus erga creaturas, in te solum transfero. Quidquid egero, aut passus fuero, in omnem æternitatem cedat ad tuam gloriam.

Totus sum tuus : fac de me quidquid vis, nunc, et in æternum. Amen.

### LAUS SS. SACRAMENTI.

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot in cœlo stellæ, in igne scintillæ, in aere atomi, in mari guttæ, in terra pulveres : quot in vere flores, æstate grana, autumno folia, hieme nives et grandines: quot corporeæ in universo sunt creaturæ; quia dignus es, Domine, universorum, qui sub corporeis vini panisque speciebus lates. Vere tu es Deus absconditus. *Is. 45. 15.*

Laudetur sanctissimum

Sacramentum tot laudibus, quot ullo opere exhiberi, quot ore proferri, quot corde omnium hominum excogitari umquam potuere, vel possunt; quia dignus es tu, Domine, Pater noster, qui nos cibas et potas quotidie, cujus redempti sumus pretioso Sanguine, quasi Agni immaculati. 1. *Petr. 1. 19.*

Laudetur sanctissimum Sacramentum tot laudibus, quot omnes Angeli, ipsaque sanctissima Trinitas sua potentia depromere, sua sapientia concipere, sua bonitate optare potest; quia dignus es, Domine Deus meus, qui mihi donas non tantum humanitatem, verum etiam divinitatem tuam, Dominus meus et Deus meus, vere laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula. *Dan. 3. 52.*

PETITIO.

Benignissime Jesu, a quo manant in nos omnia bona, a quo omnia a nobis mala arceantur: averte a me omnem vanitatem, mentis elationem, carnis libidinem, oris licentiam, contemptum inopum, avaritiæ ardorem, et quidquid demum divinæ Majestati tuæ displicet; ut tibi Deo meo in veritate serviam, et in corde perfecto laudem, et glorificem in sæcula. Amen.

COMMENDATIO SUI.

Commendo me tibi, o bone Jesu! intra mellifluum cor tuum absconde me, nec permitte me in æternum separari a te. Sis mihi in vita solatium, in morte viaticum, in æternitate præmium. Id rogo te pro me et omnibus amicis meis, per lacrymas, sudorem et sanguinem tuum.

PETITIO BENEDICTIONIS.

Benedic mihi, Domine Jesu, cum Patre et sancto Spiritu, uberemque largire gratiam amplectendi semper, et in omnibus, nunc et in hora mortis meæ, tuam sanctissimam voluntatem. Amen.

# XX.

## FERIA VI, SEU DIE VENERIS.

# OFFICIUM SANCTÆ CRUCIS.

### AD MATUTINUM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Patris Sapientia, Veritas divina,
Deus homo captus est hora matutina:
A notis discipulis cito derelictus;
A Judæis traditus, venditus et afflictus.

*Ant.* O Crux venerabilis, quæ salutem attulisti miseris, quibus te efferam præconiis, quoniam vitam nobis cœlestem præparasti!

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per S. Crucem tuam redemisti mundum.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, pone passionem, Crucem et mortem tuam inter judicium tuum et animam meam, nunc et in hora mortis meæ, et mihi largiri digneris gratiam et misericordiam, vivis et defunctis requiem et veniam, Ecclesiæ tuæ pacem et concordiam, et nobis peccatoribus vitam et gloriam sempiternam. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

### AD PRIMAM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Hora prima Dominum ducunt ad Pilatum,

Et a falsis testibus multum accusatum,
Colaphis percutiunt manibus ligatum:
Vultum Dei conspuunt, lumen cœli gratum.

*Ant.* O Crucis victoria, et admirabile signum, in cœlesti curia fac nos captare triumphum!

℣. Adoramus te, Christe, etc. *cum Oratione, pag. 217.*

## AD TERTIAM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Crucifige, clamitant hora tertiarum:
Illusus induitur veste purpurarum:
Caput ejus pungitur corona spinarum:
Crucem portat humeris ad locum pœnarum.

*Ant.* Funestæ mortis damnatur supplicium, dum Christus in Cruce nostra destruxit vincula criminum.

℣. Adoramus te, Christe, etc. *cum Oratione, pag. 217.*

## AD SEXTAM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Hora sexta Jesu est Cruci conclavatus:
Est et cum latronibus pendens deputatus,
Præ tormentis sitiens felle saturatus:
Agnus crimen diluens, sic ludificatus.

*Ant.* Per lignum servi facti sumus, et per sanctam Crucem liberati sumus: fructus arboris seduxit nos, Filius Dei redemit nos.

℣. Adoramus te, Christe, etc. *cum Oratione, pag. 217.*

## AD NONAM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Hora nona Dominus Jesus expiravit:
Eli clamans, spiritum Patri commendavit.
Latus ejus lancea miles perforavit.
Terra tunc contremuit, et sol obscuravit.

*Ant.* O magnum pietatis opus! Mors mortua tunc est, in ligno quando mortua Vita fuit.

℣. Adoramus te, Christe, etc. *cum Oratione, pag. 217.*

## AD VESPERAS.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

De Cruce deponitur hora vespertina:
Fortitudo latuit in mente divina;
Talem mortem subiit vitæ medicina.
Heu! corona gloriæ jacuit supina.

*Ant.* O Crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi: dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera: super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in qua mundi salus pependit, in qua Christus triumphavit, et mors mortem superavit in æternum.

℣. Adoramus te, Christe, etc. *cum Oratione, pag. 217.*

## AD COMPLETORIUM.

Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.
℟. Et averte iram tuam a nobis.
℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Hora completorii datur sepulturæ
Corpus Christi, nobile, spes vitæ futuræ,
Conditur aromate: complentur Scripturæ.
Jugis sit memoria mortis suæ duræ.

*Ant.* Salvator mundi, salva nos, qui per Crucem et Sanguinem tuum redemisti nos: auxiliare nobis, te deprecamur, Deus noster.

℣. Adoramus te, Christe, etc. *cum Oratione, pag. 217.*

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione
Tibi, Christe, recolo pia ratione;
Ut qui pro me passus es amoris ardore,
Sis mihi solatium mortis in agone. Amen.

## LITANIÆ VITÆ ET PASSIONIS JESU CHRISTI.

*Ant.* Humiliavit semetipsum Dominus Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis : propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen, quod est super omne nomen, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, et infernorum : et omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Jesus Christus in gloria est Dei Patris.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus,
Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,

Jesu, — Miserere nobis.

Sapientia æterna,
De Virgine Maria nate,
A tua Genitrice adorate,
Pannis involute,
In præsepio reclinate,
Ubere virgineo lactate,
A pastoribus in præsepio cognite,
Per circumcisionem sub lege facte,
A Magis adorate,
In templo præsentate,
In Ægyptum delate,
Ab Herode ad necem quæsite,
In Nazareth nutrite,
In templo invente,
Parentibus subdite,
A Joanne baptizate,
In deserto tentate,
Cum hominibus conversate,
Gratis odio habite,
Contumeliis vexate,
In monte coram Patribus transfigurate,
Rex mitis Jerusalem ingresse,
Præ compassione lacrymate,
Triginta argenteis vendite,
Ad discipulorum pedes inclinate,
In oratione prostrate,
Ab Angelo confortate,
In agonia sanguineo sudore perfuse,
Osculo a Juda tradite,

Jesu,
A ministris ligate,
A discipulis derelicte,
Annæ et Caiphæ præsentate,
Alapa a ministro percusse,
A falsis testibus accusate,
Reus mortis judicate,
In faciem conspute,
Oculis velate,
Colaphis cæse,
A Petro ter negate,
Vinctus Pilato tradite,
Ab Herode sprete et illuse,
Veste alba indute,
Barabbæ postposite,
Flagellis cæse,
Propter scelera nostra attrite,
Quasi leprosus reputate,
Veste purpurea indute,
Spinis coronate,
Arundine percusse,
A Judæis ad Crucem postulate,
Morte turpissima condemnate,
Voluntati Judæorum tradite,
Crucis pondere gravate,
Tamquam ovis ad occisionem ducte,
Vestibus exute,
Miserere nobis.

Jesu,
Clavis in Cruce confixe,
Propter iniquitates nostras vulnerate,
Pro inimicis Patrem deprecate,
Cum iniquis reputate,
In cruce blasphemate et illuse,
A latrone conviciis lacessite,
Latroni pœnitenti Paradisum pollicite,
Qui Joannem Matri tuæ in filium commendasti,
Te a Patre derelictum attestate,
Felle et aceto in siti potate,
Consummata omnia de te scripta testate,
Spiritum in manus Patris commendans,
Usque ad mortem crucis obediens facte,
Lancea transfixe,
Propitiatio nobis facte,
De Cruce deposite,
Gloriose a mortuis resurgens,
In cœlum elevate,
Noster apud Patrem advocate,
Spiritum Paraclitum discipulis elargite,
Miserere nobis.

Jesu, Matrem super choros Angelorum exaltans, miserere nobis.

Jesu vivos et mortuos judicature, miserere nobis.

Propitius esto, parce nobis, Domine.

Propitius esto, exaudi nos, Domine.

Ab omni malo, libera nos, Domine.

Ab omni peccato,

Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,

A peste, fame et bello,

A cunctis mentis et corporis periculis,

A morte perpetua,

Per mundissimam conceptionem tuam,

Per miraculosam nativitatem tuam,

Per humilem circumcisionem tuam,

Per baptismum et sanctum jejunium tuum,

Per labores et vigilias tuas,

Per dolorosam flagellationem et coronationem tuam,

Per sitim, lacrymas et nuditatem tuam,

Per pretiosam mortem et Crucem tuam,

Per gloriosam resurrectionem et ascensionem tuam,

Per missionem Spiritus sancti Paracliti,

In die judicii,

Libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos.

Ut nobis parcas,

Ut nobis indulgeas,

Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,

Ut gratiam sancti Spiritus cordibus nostris clementer infundere digneris,

Ut Ecclesiam tuam sanctam defendere et propagare digneris,

Ut societates in tuo sancto nomine congregatas conservare et amplificare digneris,

Ut nobis veram pacem, humilitatem et charitatem largiri digneris,

Ut in gratia et sancto servitio tuo perseverantiam nobis dare digneris,

Ut nos ab immundis cogitationibus et dæmonum tentationibus, et damnatione perpetua liberare digneris,

Ut nos collegio Sanctorum tuorum sociare digneris,

Ut nos exaudire digneris,

Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per S. Crucem tuam redemisti mundum.

℣. Reminiscere miserationum tuarum, Domine.

℟. Et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

℣. Vide humilitatem meam et laborem meum.

℟. Et dimitte universa delicta mea.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et Clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes, ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

## ORATIONES VARIÆ DE PASSIONE DOMINI.

### ORATIO DE SINGULIS ARTICULIS PASSIONIS.

Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari. Tu Domine, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam Crucem et mortem tuam, libera me a pœnis inferni, et perducere digneris quo

perduxisti latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

PIÆ SALUTATIONES AD SEPTEM EFFUSIONES SANGUINIS CHRISTI, CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

I. *In circumcisione, contra luxuriam.*

Ave, Jesu, qui cruorem
Tener fundis, et laborem
Subis ab infantia:
Ut servemur a peccatis,
Cor, os, sensus puritatis
Fac ornari gratia.

II. *In agonia, contra superbiam.*

Ave, Jesu, quo sudore
Mades orans, quo pavore
Nostra luis vitia!
Fac non altum sapiamus,
Sed et casum timeamus
Junctum cum superbia.

III. *In flagellatione, contra iram.*

Ave, Jesu, laniatus
Diris flagris, nil turbatus,
Stas profusus sanguine;
O fac nobis crux dulcescat,
Vincens iram mens mitescat,
Sævo vacans crimine.

IV. *In coronatione, contra gulam.*

Ave, Jesu, coronatus,
Heu quam larga purpuratus
Stas cruoris copia?
Trahat sursum spiritalis
Nos voluptas, non carnalis
Ventris ad obsequia.

V. *In vestium detractione, contra avaritiam.*

Ave, Jesu, dum nudaris,
Refricatis cruentaris
Graviter vulneribus:
Christe, tibi fac jungamur,
Nudi nudum te sequamur
Liberis affectibus.

VI. *In crucifixione, contra acediam.*

Ave, Jesu, qui transfossis
Cruce membris, plenis fossis
Sacrum fundis sanguinem:
Ardor tui fac amoris
Urat nos, et vi fervoris
Arceat torpedinem.

VII. *In lateris apertione, contra invidiam.*

Ave, Jesu, qui sacratum
Cor das nobis dilatatum,
Fontem pandens gratiæ,
Aqua lavet, Sanguis ornet,
Et nos duplex amor formet,
Nescios invidiæ.

ORATIONES SANCTI GREGORII DE PASSIONE CHRISTI.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce pendentem, et coronam spineam in capite portantem: deprecor te, ut me tua Crux li-

beret ab angelo percutiente. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te in Cruce vulneratum, felle et aceto potatum: deprecor te, ut vulnera tua sint remedium animæ meæ. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, propter illam amaritudinem, quam pro me miserrimo sustinuisti in Cruce, maxime in illa hora, quando nobilissima anima tua egressa est de benedicto corpore tuo: deprecor te, miserere animæ meæ in egressu suo, et perduc eam in vitam æternam. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te descendentem ad inferos, et liberantem captivos: deprecor te, ne permittas me illuc introire. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te resurgentem a mortuis, ascendentem ad cœlos, sedentemque ad dexteram Patris: deprecor te, ut illuc te sequi, et tibi præsentari merear. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, Pastor bone, justos conserva, peccatores justifica, omnibus fidelibus miserere, et propitius esto mihi maximo peccatori. Amen.

Pater noster.

O Domine Jesu Christe, adoro te in sepulchro positum, myrrha et aromatibus conditum: deprecor te, ut tua mors sit vita mea. Amen.

Pater noster.

---

# PIA EXERCITATIO

## ERGA CHRISTUM CRUCIFIXUM, ET QUINQUE EJUS VULNERA.

### ORATIO PRÆPARATORIA.

En, amantissime Jesu, qui sponsus sanguinum mihi esse voluisti, ad pedes tuos me prosterno, ut meum in te amorem, debitamque gratitudinem contester. Sed quid rependam tibi, mi Jesu, qui usque in finem dilexisti me manibusque ac pedibus, imo et cordi tuo inscripsisti me, magno sane et conspicuo charactere?

Quis mihi hoc tribuat, ut sicut tu me, ita et ego te cordi meo inscriptum circumferam, et sicut mei memoria tibi, sic tui mihi nunquam excidat? O Jesu, quam profuso me charitatis affectu complexus es, qui non tantum manus ac pedes, verum et opulentissimum pectus mihi aperire voluisti, ut inexhausta bonorum cœlestium affluentia desiderium meum expleas! Suscipe hæc mea, quæ colendis sacris tuis quinque vulneribus vota persolvo: aditum, spero, ad optatissimos hos vitæ fontes misero non intercludes.

### ORATIO AD S. VULNUS PEDIS SINISTRI.

Salve, o benedictum vulnus sinistri pedis tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sanctissimi vulneris merito evellas pedes meos a laqueo, quem statuerunt mihi inimici mei, et a lapsu animam meam præserves. Non veniat mihi pes superbiæ, nec ambulem in mirabilibus super me; sed in animo contrito, et spiritu humilitatis a te suscipiar.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono et offero omnem afflictionem meam: ut hanc cum cruce et passione tua conjungas, gratiamque largiaris, qua omnes adversitates et miserias amore tui superem, tuæque me semper voluntati conformem. Amen.

Pater noster.

### ORATIO AD S. VULNUS PEDIS DEXTERI.

Salve, o benedictum vulnus dexteri pedis tui, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi vulneris merito dirigas pedes meos ad currendam viam mandatorum tuorum, ut transeam de virtute in virtutem, donec videam te Deum ac Dominum meum in Sion.

Ad hoc sanctum vulnus tuum depono et offero omnem fortunam ac felices successus meos; quos mihi divinæ providentiæ tuæ dispositio clementer indulsit; ne illorum insolentia elatus animus te summum bonum meum ad iram umquam provocet. Amen.

Pater noster.

### ORATIO AD S. VULNUS MANUS SINISTRÆ.

Salve, o benedictum vulnus sinistræ manus tuæ, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex

animo rogans, ut hujus tui sacratissimi vulneris merito, miserearis fragilitatis et inconstantiæ meæ; et in omni bono proposito me confirmes, tantumque insuper mihi amorem præstes, ut dicere queam: Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono omnia peccata mea, quæ aut ignorans, aut sciens, volens, umquam commisi. Tu, mi Jesu, pretiosissimo tuo sanguine illa abluere digneris, ne coram justissimo tribunali tuo æternæ damnationis sententiam contra me exposcant. Amen.

Pater noster.

### ORATIO AD S. VULNUS MANUS DEXTERÆ.

Salve, o benedictum vulnus dexteræ manus tuæ, mi Jesu, quod in spiritu reverenter exosculor, te ex animo rogans, ut hujus tui sacratissimi vulneris merito, uberem mihi gratiam et opem contra hostium meorum visibilium et invisibilium conatus largiaris, et in novissimo die ad dexteram tuam statuas, ubi lætus audiam: Venite, benedicti.

Ad sacrum hoc vulnus tuum depono et offero tibi omnia bona opera mea, imo tua, quia tuæ gratiæ omnia, ut debeo, adscribo, cum humillima obsecratione, ut ea tuis sanctissimis operibus unita, æterno Patri offerre, meamque inopiam tuis infinitis meritis supplere digneris. Amen.

Pater noster.

### ORATIO AD S. VULNUS LATERIS CHRISTI.

Salve, o benedictum vulnus lateris tui, mi Jesu! Salve, o fons amoris, o thesaure inæstimabilis, o requies animæ meæ! Ausimne, benignissime Jesu, ad sacram hanc aram, ad hoc Sanctum Sanctorum accedere, ardensque amore cor tuum deosculari? Per infinitam bonitatem tuam oro te, mi Jesu, ne hoc solatio me privare, nec ab hac unici mei refugii domo arcere velis. Eia, anima mea, accurre cum fiducia ac thalamum suavissimi sponsi tui, hic te omnibus molestiis tuis ac curis, quibus opprimeris, exonera; hic desideria tua et cupiditates exple: hic in optatissima pace conquiesce. Videor mihi, o Jesu, amore tuo duce, per amabilissimum sacri lateris tui vulnus ad cor tuum intromitti. Hic te cum profun-

dissima humilitate, o Jesu, oro, ut ignoscas, quidquid umquam corde, ore aut opere in te peccavi. Hoc sacro sanguinis tui balneo munda cor meum, et benedicti cordis tui formam ac speciem imprime, tuique amoris igne accende, ne quidquam imposterum præter te amem aut desiderem.

Ad sacratissimum hoc cordis tui vulnus, mi Jesu, omnia cordis mei vota ac desideria pono. Ita, oro, cor meum cordi tuo adstringe, ut nullo umquam tempore ab invicem avellantur, ut vere cum Apostolo exclamem: Quis nos separabit a charitate Christi? tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius? Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque instantia, neque futura, neque ulla creatura poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. *Rom. 8.*

Pater noster.

---

## ALIÆ SALUTATIONES

### AD QUINQUE VULNERA CHRISTI, PRO IMPETRANDIS TOTIDEM VIRTUTIBUS.

I. AD DEXTERI PEDIS VULNUS, PRO IMPETRANDA HUMILITATE.

Salve, vulnus gratiosum,
Christi fluens sanguine,
Mihi da cor fructuosum,
Vacans omni crimine,
Simplex, humile, zelosum,
Imo gaudens ordine.
Pater noster.

II. AD SINISTRI PEDIS VULNUS, PRO IMPETRANDA CASTITATE.

Salve, stillans pedis vena,
Hominum solatio:
Per te fiat in me plena
Carnis castigatio:
Casto tibi mens serena
Jungat se consortio.
Pater noster.

III. AD MANUS DEXTERÆ VULNUS, PRO IMPETRANDA OBEDIENTIA.

Salve, rubens præ cruore
Jesu plaga dexteræ:
O fac tua cum fervore
Jussa quæram propere,
Geram corde, promam ore,
Præstem promptus opere.
Pater noster.

IV. AD MANUS SINISTRÆ VULNUS, PRO IMPETRANDA MANSUETUDINE.

Salve, lævæ vulnus Christi
Sanguine purpureum,
Fac me quovis casu tristi
Mitem et pacificum:
Cunctis, quos tu redemisti,
Lenem ac benevolum.
Pater noster.

V. AD CORDIS VULNUS, PRO IMPETRANDA CHARITATE.

Salve, scissum cum tremore
Jesu cor dulcissimum:
Nobis patens ex amore,
Præsta cordis gaudium:
Det virtutum cum splendore
Charitas incendium.
Pater noster.

ALIA ORATIO AD VULNERA CHRISTI.

Rogo te, Domine Jesu, per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in Cruce pro salute nostra, e quibus emanavit ille pretiosus sanguis quo sumus redempti: vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es: vulnera eam igneo et potentissimo telo tuæ nimiæ charitatis. Confige cor meum jaculo tui amoris, ut dicat tibi anima mea: Charitate tua vulnerata sum; ita ut ex ipso vulnere amoris tui uberrimæ fluant lacrymæ die ac nocte. Percute, Domine, percute, obsecro, hanc durissimam mentem meam pia et valida cuspide dilectionis tuæ, et altius ad intima penetra potenti virtute. Qui vivis et regnas cum Deo Patre.

SEPTEM VERBA A CHRISTO IN CRUCE PROLATA.

1. Ave, Jesu, qui mactaris,
Sed tortorum deprecaris
Patrem culpæ parcere:
Prompte fac nos indulgere,
Nec vindictam exercere,
Corde, verbis, opere.

2. Ave, Jesu, qui latroni
Pœnitenti summi boni
Promisisti gratiam:
Tali nos contritione,
Nunc et mortis in agone
Fac mereri veniam.

3. Ave, Jesu, qui præsentem
Cruci Matrem, heu, dolentem
Commendas discipulo:
Pari nos tuere cura,
Per te constet mens secura
Quovis in periculo.

4. Ave, Jesu, qui dixisti:
Pater, quid me reliquisti
Tantis in suppliciis?
Ne nos linquas, ut ruamus;
Semper tecum persistamus,
Fortes in angustiis.

5. Ave, Jesu, qui testaris
Sitim, felle sed potaris,
Tu, qui pascis omnia:
Fac æterna nos sitire;
Mundi, carnis, fastidire
Fugitiva gaudia.

6. Ave, Jesu, consummasti
Jussa Patris, et donasti
Tua nobis merita:
Bene fac nos inchoare,
Sed et plene consummare
Tua beneplacita.

7. Ave, Jesu, qui sermonem
Morte claudens et agonem,
Patri tradis animam:
O mors tua nos emundet,
Vitam bonis fac fecundet,
Mortem det tutissimam.

### ORATIO DE SEPTEM VERBIS CHRISTI.

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui in Cruce pendens dixisti: Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt: fac ut ego amore tui parcam cunctis mihi mala facientibus. Et qui dixisti latroni: Hodie mecum eris in paradiso; fac me ita vivere, ut in hora mortis meæ dicas mihi: Hodie mecum eris in paradiso. Et qui dixisti Matri tuæ: Mulier, ecce Filius tuus: deinde discipulo: Ecce Mater tua; fac ut Matri tuæ me societ amor tuus, et charitas vera. Et qui dixisti: *Eli, Eli, lamma sabacthani?* hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? fac me dicere in omni tribulatione et angustia mea: Pater mi, Domine mi, miserere mihi peccatori, et adjuva me, rex meus, et Deus meus, qui tuo proprio sanguine redemisti me. Et qui dixisti: Sitio; fac ut semper sitiam te fontem aquæ vivæ. Et qui dixisti: Pater, in manus tuas commendo spiritum meum; suscipe me redeuntem ad te. Qui dixisti: Consummatum est; fac ut audire merear illam dulcissimam vocem tuam, scilicet: Veni, amica mea, dilecta mea, sponsa mea, veni ut mecum conscendas cum Angelis et Sanctis meis in regno meo epulari, jucundari et commorari, per infinita sæculorum sæcula. Amen.

### SALUTATIONES AD OMNIA MEMBRA CHRISTI, ET SUI IPSIUS OMNIUMQUE AMICORUM AD CHRISTUM COMMENDATIO.

Salve, tremendum cunctis potestatibus caput Domini nostri Jesu Christi, Salvatoris nostri, pro nobis spinis coronatum, et arundine percussum. Salve, speciosissima Salvatoris nostri Jesu Christi facies, pro

nobis sputis et alapis cæsa. Salvete, benignissime Domini Jesu Christi Salvatoris nostri oculi, pro nobis lacrymis perfusi. Salve, mellifluum os, gutturque suavissimum Domini nostri Jesu Christi, pro nobis felle et aceto potatum. Salvete, aures nobilissimæ Domini Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis contumeliis et opprobriis affectæ. Salve, collum humile Jesu Christi pro nobis colaphizatum, dorsumque sanctissimum pro nobis flagellatum. Salvete, venerabiles Domini nostri Jesu Christi manus et brachia, pro nobis in Cruce extensa. Salve, pectus mitissimum Domini nostri Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis in passione conturbatum. Salve, latus gloriosum Domini nostri Jesu Christi, pro nobis lancea militis perforatum. Salvete, Domini Jesu Christi Salvatoris nostri sacra misericordiæ genua, pro nobis in orationibus flexa. Salvete, Domini Jesu Christi Salvatoris nostri pedes adorandi, pro nobis clavis affixi. Salve, totum corpus Jesu Christi, pro nobis in Cruce suspensum, vulneratum, mortuum et sepultum. Salve, sanguis pretiosissime de corpore Domini Jesu Christi Salvatoris nostri, pro nobis effuse. Salve, sanctissima Domini nostri Jesu Christi anima, in Cruce pro nobis in manus Patris commendata.

In eadem commendatione tibi commendo, hodie et quotidie, animam meam, vitam meam, cor et corpus meum, omnes sensus et actus meos, omnes amicos, benefactores, filios, et consanguineos meos, animas parentum, fratrum, sororum, et omnium amicorum ac inimicorum meorum: ut nos protegere, liberare et defendere digneris ab omnibus insidiis inimicorum nostrorum, visibilium et invisibilium: et nunc, et in perpetuum. Amen.

PETITIO BENEDICTIONIS.

Amantissime Jesu, qui expansis in Cruce brachiis ad amplexum me invitas, et inclinato capite osculum mihi offers; en accurro, gratiamque oblatam admitto. Sed non dimittam te, nisi benedixeris mihi, sicuti famulæ tuæ sanctæ Hedwigi, te in Cruce veneranti, manu dextera clavo exempta (cruce illam in modum bene precantis signando) benedixisti.

## MODUS PIE RECITANDI CORONAM

### QUINQUE SS. VULNERUM CHRISTI.

I. AD CRUCEM DIC:

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Credo in Deum.

II. AD FACIEM CHRISTI (QUÆ EST IN LOCO GRANI MAJORIS) DIC:

Protector noster, aspice, Deus, et respice in faciem Christi tui.

Pater noster.

*Ad tria minora grana dic:* Ave Maria, *in honorem Clavorum quibus Christi manus ac pedes perforati sunt. Post tertium* Ave *adde:*

Eja, Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

III. AD S. VULNUS LATERIS CHRISTI, PETE LOCUM HABITATIONIS IN EO, ET AMOREM JESU ET MARIÆ, DICENDO:

O bone Jesu, exaudi me: Intra tua vulnera absconde me.

Pater noster.

*Ad quinque sequentia grana dic:* Ave Maria. *Post quintum* Ave *repete:*

Eja, Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

IV. AD S. VULNUS SINISTRI PEDIS, PETE VERAM CONTRITIONEM ET PECCATORUM CONDONATIONEM, REPETENDO:

O bone Jesu, exaudi me: Intra tua vulnera absconde me.

Pater noster.

*Ad quinque sequentia grana dic:* Ave, Maria. *Post quintum* Ave *repete:*

Eja, Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

V. AD S. VULNUS DEXTERI PEDIS, PETE CUM PROPOSITO EMENDATIONIS GRATIAM RESISTENDI TENTATIONIBUS, ET IN VIRTUTIBUS PROGREDIENDI, REPETENDO:

O bone Jesu, exaudi me: Intra tua vulnera absconde me.

Pater noster.

*Ad quinque sequentia grana dic:* Ave, Maria. *Post quintum* Ave *repete:*

Eja, Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

VI. AD S. VULNUS SINISTRÆ MANUS, PETE DEI TIMOREM ET LIBERATIONEM AB ÆTERNA DAMNATIONE, REPETENDO.

O bone Jesu, exaudi me: Intra tua vulnera absconde me.

Pater noster.

*Ad quinque sequentia grana dic:* Ave, Maria, *Post quintum* Ave *repete:*

Eja, Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

VII. AD S. VULNUS DEXTERÆ MANUS, PETE UT ÆTERNAM BEATITUDINEM CONSEQUARIS, REPETENDO:

O bone Jesu, exaudi me: Intra tua vulnera absconde me.

Pater noster.

*Ad quinque sequentia grana dic:* Ave, Maria. *Post quintum* Ave *repete:*

Eja, Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.

*Sic redis ad sacrum Latus et Cor Jesu, ubi dicitur:* En redit, mi Jesu, anima mea velut altera Noe columba, ad arcam suam: ubi enim pedem securius figat? Redit, inquam, anima mea, columba tua a te in terras missa, ad foramina petræ, ad cavernam maceriæ.

*Habes, pie lector, etiam in numero* Orationum Dominicarum *et* Salutationum Angelicarum *hujus coronæ annos Christi honoratos, qui mortem Crucis subiit anno ætatis suæ trigesimo quarto vertente.*

---

## LITANIÆ SANCTISSIMI CORDIS JESU.

*Has Litanias, quæ quotidie usu venient, præsertim vero post Missæ celebrationem, speciatim pro feria sexta assignamus, propterea quod tam suaviter Passionis Domini nostri Jesu Christi memoria in iis recolitur, atque Ecclesia eodem ipso die festum sanctissimi Cordis celebrat.*

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.

Spiritus sancte Deus,
Sancta Trinitas unus Deus,
Cor Jesu, Verbo Dei substantialiter unitum,
Cor Jesu divinitatis sanctuarium,
Cor Jesu, sanctæ Trinitatis templum,
Cor Jesu, sapientiæ abyssus,
Cor Jesu, bonitatis oceanus,
Cor Jesu, misericordiæ thronus,
Cor Jesu, thesaurus numquam deficiens,
Cor Jesu, de cujus plenitudine omnes nos accepimus,
Cor Jesu, pax et reconciliatio nostra,
Cor Jesu, virtutum omnium exemplar,
Cor Jesu, infinite amans et infinite amandum,
Cor Jesu, fons aquæ salientis in vitam æternam,
Cor Jesu, in quo sibi Pater bene complacuit,
Cor Jesu propitiatio pro peccatis nostris,
Cor Jesu, propter nos amaritudine repletum,
Cor Jesu, usque ad mortem in horto tristissimum,
Cor Jesu, opprobriis saturatum,

Miserere nobis.

Cor Jesu, amore vulneratum,
Cor Jesu, lancea perforatum,
Cor Jesu, in Cruce sanguine exhaustum,
Cor Jesu, attritum propter scelera nostra,
Cor Jesu, etiamnum ab ingratis hominibus in sacrosancto amoris Sacramento dilaceratum,
Cor Jesu, refugium peccatorum,
Cor Jesu, fortitudo debilium,
Cor Jesu, consolatio afflictorum,
Cor Jesu, perseverantia justorum,
Cor Jesu, salus in te sperantium,
Cor Jesu, spes in te morientium,
Cor Jesu, cultorum tuorum dulce præsidium,
Cor Jesu, deliciæ Sanctorum omnium,
Cor Jesu, adjutor noster in tribulationibus quæ invenerunt nos nimis,

Miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis,

Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

℣. Jesu, mitis et humilis corde.

℟. Fac cor meum secundum Cor tuum.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, præcipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur et fructu. Per eumdem Dominum.

# XXI.

## DIE SABBATI.

## *(Ind.)* OFFICIUM DE IMMACULATA

## CONCEPTIONE BEATÆ MARIÆ.

*Hoc Officium, prout in hac editione legitur, omnes in partes congruit Officio quod anno 1838, a S. Congregatione S. Officii approbatum, Romæ e Typographia Rev. Cam. Apost. prodiit. In fine istius Officii additur :* Sanctitas Sua concessit tercentum dies indulgentiæ, quotiescumque recitetur hoc Officium, vivæ vocis oraculo. *Hujus Officii recitationem admodum placere Beatæ Virgini, atque utilissimam esse ad obtinendam castitatem, piorum usu et innumeris experientiæ argumentis comprobatum est.*

### AD MATUTINUM.

Eja, mea labia, nunc annuntiate
Laudes et præconia Virginis beatæ.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Salve, mundi Domina,
Cœlorum Regina:
Salve, Virgo virginum,
Stella matutina.
Salve, plena gratia,
Clara luce divina:
Mundi in auxilium,
Domina, festina.
Ab æterno Dominus
Te præordinavit
Matrem unigeniti
Verbi, quo creavit.
Terram, pontum, æthera:
Te pulchram ornavit
Sibi sponsam, quæ in
Adam non peccavit.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

℣. Domina, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Sancta Maria, Regina cœlorum, Mater Domini nostri Jesu Christi et mundi Domina, quæ nullum derelinquis, et nullum despicis; respice me, Domina, clementer oculo pietatis, et impetra mihi apud tuum dilectum Filium cunctorum veniam peccatorum: ut qui nunc tuam sanctam et immaculatam conceptionem devoto affectu recolo, æternæ in futurum beatitudinis bravium capiam, ipso quem Virgo peperisti, donante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et sancto Spiritu vivit et regnat, in Trinitate perfecta Deus in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domina, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

## AD PRIMAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, Virgo sapiens,
Domus Deo dicata,
Columna septemplici
Mensaque exornata.
Ab omni contagio
Mundi præservata:
Ante sancta in utero
Parentis, quam nata.
Tu Mater viventium,
Et porta es Sanctorum:
Nova stella Jacob,
Domina Angelorum:
Zabulo terribilis,
Acies castrorum:

Portus et refugium
Sis Christianorum. Amen.
℣. Ipse creavit illam in Spiritu sancto.
℟. Et effudit illam inter omnia opera sua.
℣. Domina, exaudi, etc. *cum Oratione, ut supra,* *pag. 236.*

## AD TERTIAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.
℟. Me de manu hostium potenter defende.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Salve, arca fœderis,
Thronus Salomonis,
Arcus pulcher ætheris,
Rubus visionis:
Virga frondens germinis:
Vellus Gedeonis:
Porta clausa Numinis,
Favusque Samsonis.
Decebat tam nobilem
Natum præcavere
Ab originali
Labe Matris Evæ
Almam, quam elegerat,
Genitricem vere,
Nulli prorsus sinens
Culpæ subjacere. Amen.

℣. Ego in altissimis habito.
℟. Et thronus meus in columna nubis.
℣. Domina, exaudi, etc., *cum Oratione, ut supra,* *pag. 236.*

## AD SEXTAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.
℟. Me de manu hostium potenter defende.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Salve, Virgo puerpera,
Templum Trinitatis,
Angelorum gaudium,
Cella puritatis:
Solamen mœrentium,
Hortus voluptatis:
Palma patientiæ,
Cedrus castitatis.
Terra es benedicta
Et sacerdotalis,
Sancta et immunis
Culpæ originalis.
Civitas altissimi,
Porta orientalis:
In te est omnis gratia,
Virgo singularis.
Amen.

℣. Sicut lilium inter spinas.
℟. Sic amica mea inter filias Adæ.
℣. Domina, exaudi, etc., *cum Oratione, ut supra,* *pag. 236.*

## AD NONAM.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.
℟. Me de manu hostium potenter defende.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, urbs refugii,
Turrisque munita
David, propugnaculis
Armisque insignita.
In conceptione
Charitate ignita,
Draconis potestas
Est a te contrita.
O Mulier fortis,
Et invicta Judith!
Pulchra Abisag virgo,
Verum fovens David!
Rachel curatorem
Ægypti gestavit:
Salvatorem mundi
Maria portavit. Amen.

℣. Tota pulchra es, amica mea.

℟. Et macula originalis numquam fuit in te.

℣. Domina, exaudi, etc., *cum Oratione, ut supra, pag. 236.*

## AD VESPERAS.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, horologium,
Quo retrogradiatur
Sol in decem lineis
Verbum incarnatur.
Homo ut ab inferis
Ad summa attollatur,
Immensus ab Angelis
Paulo minoratur.
Solis hujus radiis
Maria coruscat;
Consurgens aurora
In conceptu micat.
Lilium inter spinas,
Quæ serpentis conterat
Caput: pulchra ut luna
Errantes collustrat. Amen.

℣. Ego feci in cœlis, ut oriretur lumen indeficiens.

℟. Et quasi nebula texi omnem terram.

℣. Domina, exaudi, etc., *cum Oratione, ut supra, pag. 236.*

## AD COMPLETORIUM.

℣. Convertat nos, Domina, tuis precibus placatus Jesus Christus Filius tuus.

℟. Et avertat iram suam a nobis.

℣. Domina, in adjutorium meum intende.

℟. Me de manu hostium potenter defende.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Salve, Virgo florens,
Mater illibata,
Regina clementiæ,
Stellis coronata.
Super omnes Angelos
Pura, immaculata,
Atque ad Regis dexteram
Stans veste deaurata.
Per te, Mater gratiæ,
Dulcis spes reorum.
Fulgens stella maris,
Portus naufragorum.

Patens cœli janua.
Salus infirmorum,
Videamus Regem
In aula Sanctorum. Amen.

℣. Oleum effusum, Maria, nomen tuum.

℟. Servi tui dilexerunt te nimis.

℣. Domina, exaudi, etc., *cum Oratione, ut supra, pag. 236.*

COMMENDATIO.

Supplices offerimus
Tibi, Virgo pia,
Hæc laudum præconia;
Fac nos ut in via
Ducas cursu prospero;
Et in agonia
Tu nobis assiste,
O dulcis Maria.
Amen.

℟. Deo gratias.

*Centum dies indulgentiæ quotiescumque sequens oratio jaculatoria corde contrito devote recitabitu, concessit Pius Papa VI, 21. nov. 1793.*

*(Ind.)* In conceptione tua, Virgo Maria, immaculata fuisti; ora pro nobis Patrem, cujus Filium Jesum de Spiritu sancto conceptum peperisti.

---

## LITANIÆ LAURETANÆ.

Kyrie, eleison, etc. *Vide pag. 170.*

ANTIPHONA.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta, domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repræsenta.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde: ut qui, Angelo nuntiante, Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

---

## ORATIONES VARIÆ AD BEATAM VIRGINEM.

### ORATIO S. AUGUSTINI AD BEATAM VIRGINEM.

O beata Maria! quis tibi digne valeat jura gratiarum ac laudum præconia rependere, quæ singulari tuo assensu mundo succurristi perdito? Quas tibi laudes fragilitas humani generis persolvat, quæ solo tuo commercio recuperandi aditum invenit? Accipe igitur quascumque exiles, quascumque meritis tuis impares gratiarum actiones, et cum susceperis vota, culpas nostras orando excusa. Admitte nostras preces intra sacrarium exauditionis, et reporta nobis antidotum reconciliationis. Sit per te excusabile, quod per te ingerimus: fiat impetrabile, quod fida mente poscimus. Accipe quod offerimus: redona quod rogamus: excusa quod timemus; quia tu es spes unica peccatorum: per te speramus veniam delictorum, et in te, beatissima, nostrorum est expectatio præmiorum. Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Assiste parata votis poscentium, et repende omnibus optatum effectum. Sint tibi studia assidue orare pro populo Dei, quæ meruisti benedicta Redemptorem ferre mundi, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

### ORATIO S. BERNARDI AD DEIPARAM VIRGINEM.

Per te accessum habeamus ad Filium, o benedicta inventrix gratiæ, genitrix vitæ, Mater salutis, ut per te nos suscipiat, qui per te datus est nobis. Excuset apud ipsum integritas tua culpam nostræ corruptionis, et humilitas tua Deo tam grata nostræ veniam impetret vanitati ac superbiæ. Copiosa charitas tua nostrorum cooperiat multitudinem peccatorum, et fecunditas tua gloriosa fecunditatem nobis conferat meritorum. Domina nostra, mediatrix nostra, advocata nostra, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos repræsenta. Fac, o benedicta, per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis et miseriæ nostræ, te quoque intercedente participes faciat nos beatitudinis et gloriæ suæ, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Amen.

### ALIA ORATIO AD B. VIRGINEM.

Memorare, o piissima, etc. *Vide pag. 57.*

### TRINA SALUTATIO B. VIRGINIS A S. MECHTILDE USURPATA PRO IMPETRANDA FELICI MORTE.

Ave, Maria.

O Domina mea, S. Maria, sicut Deus Pater per omnipotentiam suam te potentissimam effecit: ita mihi, quæso, adsis in hora mortis, omnemque mihi contrariam potestatem a me potenter averte.

Ave, Maria.

O Domina mea, S. Maria, sicut Filius Dei divina scientia et sapientia te replevit; ita, quæso, animam meam lumine fidei in hora mortis illustra et corrobora, ut nullo errore aut ignorantia pervertatur, et in perditionem seducatur.

Ave, Maria.

O Domina mea, S. Maria, sicut Spiritus sanctus suum amorem plene tibi infudit; ita tu in morte divini amoris dulcedinem mihi instilla, per quem omnis angor et amaritudo tollatur, et cor meum cœlesti consolatione recreetur.

### ORATIO QUA B. VIRGO IN PATRONAM ELIGITUR.

Sanctissima Virgo, Mater Dei Maria, ego N. licet undecumque, qui recipiar in numerum tuorum servorum, indignissimus, fretus tamen

tua pietate admirabili, et impulsus tibi serviendi, desiderio, eligo te hodie, coram castissimo Sponso tuo Josepho, et Angelo meo Custode, universaque curia cœlesti, in meam peculiarem Dominam, Patronam et Matrem, firmiterque propono te imposterum sequi, tibi famulari, atque curare, ut ab aliis quoque tibi servitium exhibeatur. A te igitur, Mater clementissima, per sacratissimum, quem pro me Jesus Christus Filius tuus sanguinem fudit, peto suppliciter, ut me in numerum filiorum tuorum admittere digneris, et mihi a Deo gratiam impetres, ut in cunctis meis cogitationibus, verbis et operibus ita me habeam, ut nihil umquam in me, neque Dei neque tuis displiceat oculis, sisque memor mei in hora mortis meæ.

Amen.

---

# EXERCITIUM

## SINGULARIS DEVOTIONIS ERGA BEATAM VIRGINEM.

### I. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave, Maria, cœli terræque Regina, quæ a Deo in Matrem es electa ante omnia sæcula. Tu es illa beata Mulier, de qua Dominus noster Jesus Christus, ut genus humanum redimeret, carnem voluit assumere. Per te cœlum terræ jungitur, et summa imis cumulantur. Tu es dux vitæ nostræ, tu porta divinæ gratiæ. Tu es securus hujus procellosi mundi portus, tu lætitia cœli, tu exultatio terræ, tu peccatorum tutissimum asylum, tu certissimum præsidium omnium te invocantium. Ego tali animatus fiducia, ad te venio; ne averseris miserum, o misericordiæ Mater, qui misericordia tua fretus de miserorum numero in filiorum tuorum sortem transire cupio. Fateor quidem me sæpe ac graviter dilectissimum Filium tuum peccatis meis offendisse, atque idcirco et ipsius, et tua gratia indignum esse; sed ex intimo corde nunc doleo, quod summum illud bonum, Dominum ac Redemptorem meum Jesum Christum, quem super omnia amo, umquam offenderim, et coram te ejusdem dilectissima Matre emendationem, et satisfactionem polliceor. Obsecro itaque te, Domina, ut

mihi veniam peccatorum meorum gratiamque impetres. Tuæ enim est pietatis, Virgo benedicta, ipsam, quam apud Deum invenisti gratiam, notam facere mundo. Amen.

II. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave, Maria, Domina post Deum potentissima, Redemptoris nostri Genitrix admiranda, quem virginítate materna, et maternitate virginali, mirabiliter peperisti, tota obstupescente natura. Ave, sacrarium Spiritus sancti. Ave, Virgo gloriosa, quæ tamquam aurora coruscans es, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis dæmonibus, et tamquam acies castrorum bene ordinata, Angelorum hominumque laudibus dignissima, sanctos omnes supergrediens. Ave, post Deum unigenitum Filium tuum et justitiæ solem potens auxiliatrix mortalium, certa spes et firmum solamen miserorum, humani generis gloria, ornamentum totius universitatis. Omnia sæcula, omnes generationes tibi benedicant. Omnes, o Domina, ad te confugimus, tuam imploramus opem; o benignissima Mater, oculos misericordiæ tuæ ad nos miseros in hac lacrymarum valle converte. Monstra, o Mater, dilectissimo Filio tuo ubera quibus eum nutrivisti; ostende brachia, quibus eum amplexata es: enumera omnes labores et dolores quos pro eo sustinuisti: tuum illi cor totum amoris igne flagrans exhibe, ut his commotus nostri misereatur, omnibusque malis, quibus undique circumdamur, incolumes eripiat. Amen.

III. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave, Maria, lætitia cœli et exultatio terræ. Tu es illa serenissima luminis Mater, quæ animas omnium amantium te illuminas. Tu es illa dulcissima pietatis Mater, quæ fideles tuos famulos ad gloriosa cœli feliciter perducis habitacula. Tu es illa columba formosa, quæ juxta aquarum fluenta sedes, cujus vestimenta incredibilem spirant odoris suavitatem. Ad te faciem meam levo, cœli Regina, ad te oculi cordis mei suspiciunt: in te confidit anima mea. Tu es arx fortissima, in qua securi sunt omnes ad te confugientes. Tu es fidelissima propugnatrix omnium te laudantium. Tu es illa clavis, quæ portas Paradisi reserat. Laudo et glorifico te, Virgo gloriosa, colo et veneror humillime intemerata illa et intacta tua viscera. Concede

mihi, obsecro, ut tribulationibus et miseriis hujus vitæ oppressus, in maternæ pietatis tuæ sinu locum inveniam: fac ut sim in numero eorum, quos tu amas, et in tuo castissimo pectore adscriptos habes, quos tu doces, dirigis et defendis in omni necessitate. Amen.

### IV. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave, Maria, æterni Regis Mater millies felix et beata: tu post unigenitum Filium tuum omnibus rebus dominaris. Tibi omnes ætates et generationes caput inclinant; tuis pedibus se terrarum substernit ambitus. Post ineffabilem enim et summam Trinitatem nil dignius te, nil pulchrius habet cœleste palatium. Tu Mater, tu Filia, tu Sponsa es Dei Altissimi. Tota pulchra, tota formosa es. Ad tuum nomen dæmones contremiscunt: cum splendor tuus se prodit tenebræ diffugiunt, portæque cœli ad nutum tuum aperiuntur. Tu es vera spes Christianorum post Jesum Christum Filium tuum. Tu es Regina misericordiæ, tu vitæ nostræ dulcedo. Omnes ad te clamant, et tu respondes omnibus, intercedis pro omnibus. Auxilium tuum ne auferas a me: pietas tua non desit mihi, nec memoria tui in me umquam intermoriatur. Si tu me, Domina, derelinquas, quis me suscipiet? Si tu obliviscaris mei, quis mei recordabitur? Si tu, o stella maris, et peccatorum dux, me non illumines, quo tandem vadam? Quid de me fiet, si a te excludar? Audi ergo, o Mater, audi miserum ad te clamantem: recordare, obsecro, quod propter nos peccatores Dei Filius te in Matrem elegerit. Idcirco ad te confugio, ut per te, o Mater mea, misericordiam inveniam apud Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis, Filium tuum Dominum ac Redemptorem nostrum, et Spiritum sanctum. Amen.

### V. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave, Maria, ave, inter Sanctos post Deum sanctissima et potentissima Domina. O Mater! o Virgo! quibus te laudibus efferam nescio; omnia gloriosa sunt in te. Beatam merito te dicunt omnes generationes. Dei Genitrix. Domina mundi, Regina cœli, quæ omnibus generationibus vitam et gloriam genuisti. In te Angeli lætitiam justi gloriam peccatores veniam inveniunt. Merito in te respiciunt oculi totius creaturæ, quia per te et in te, et de te benigna

manus Omnipotentis quidquid creavit, recreavit. Tu vere urbs refugii, portus naufragantium, et solatium omnium in te sperantium. Tu ornamentum es totius universitatis. Tu Domina es, nos servi tui. Tu Regina, nos clientes tui. Tu spes universæ terræ es. Ad tui memoriam recreantur et hilarescunt fideles animæ. Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri. Multæ filiæ congregaverunt divitias; tu Mater es pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. Tu, velut Esther Assuerum, Deum Patrem placasti, et invenisti gratiam in oculis ejus. Tu, velut Judith Holofernem, diabolum superasti. O Maria! deest mihi vox et spiritus, quo te condigne laudem. Vos ergo, o sancti Angeli et Electi Dei, Mariæ laudes pro me in æternum decantate. O quando illud tempus veniet, quo et mihi vobiscum liceat Dei et Mariæ laudes sine fine in cœlesti gloria prædicare! Hoc tuis in primis, o potentissima Domina, vestrisque, o SS. Angeli et Electi Dei, precibus mihi, oro, apud Deum impetrate.

### VI. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave, Maria, sole clarior, luna pulchrior. Ave, splendidissima stella, de qua natus est sol justitiæ Christus Deus noster. Tu es Virgo super omnem pulchritudinem formosa: tu Mater super omnem honestatem gloriosa, quæ benignissimis oculis sanctissimam Filii tui Ecclesiam, quacumque in mundi parte illa sit, intueris. Dulce tuum nomen reficit laborantes: serena lux hilarat justos, et benedictus fructus ventris tui Jesus beatos exsatiat. Tu post Deum prima laudem omnium hominum et Angelorum mereris. Dominus te creavit Virginem sine macula. Dominus te amavit super omnes creaturas. Tu generis humani gloria. Tu super omnes choros Angelorum es exaltata. Tu pulchritudo et ornamentum es totius universi. Ne avertas faciem tuam a me peccatore: quis enim umquam te invocavit, et exauditus non est? Quis a te quidquam petivit, quod non impetravit? Quis umquam servivit tibi, quem non liberaliter et magnifice remunerasti? Sileat misericordiam tuam, Virgo Beata, si quis est, qui invocatam te in necessitatibus suis meminerit defuisse. Obsecro itaque, o potentissima Domina, impetra mihi a Filio tuo

veram cordis contritionem; et fac, ut, spretis omnibus blanditiis et cupiditatibus, in Christo Jesu teque benedicta ejus Matre omnis mea sit voluptas. Amen.

VII. ORATIO AD B. VIRGINEM.

Ave, Maria, Mater misericordiæ. Ave, reparatrix gratiæ et veniæ; quis te non amet? Quis te non honoret? Quis se tibi non commendet? Tu es lux nostra in rebus dubiis, in mœstis consolatio, in angustiis recreatio, in periculis et tentationibus fidele auxilium. Tu es post unigenitum Filium tuum certa salus et spes nostra. Beati qui te amant, et per sanctitatem vitæ familiares tibi fiunt, et devoti famuli. Beati quos tu singulariter tibi commendatos habes. O sapientissima Mater! suscipe me in clientulum tuum. In benedictas manus tuas, et in sinum misericordiæ tuæ animam et corpus meum cum filiali fiducia nunc et in hora mortis meæ commendo. Rege, doce, dirige et defende me in omnibus secundum tuam voluntatem. Respice, o Domina, ad servi tui, licet indignissimi, preces; respice ad omnes necessitates meas. Ad te ego velut unicum asylum meum confugio: sub pallio maternæ protectionis tuæ absconde me. Noli me a te, Mater misericordiæ, repellere; nam sine te vivere non potest anima mea. Amen.

SEPTEM GAUDIA B. VIRGINIS.

I. Gaude, Virgo, Mater Christi,
Quia Jesum concepisti,
Gabriele nuntio.
Fac, o Mater, ut salvemur;
Nam, quod Matrem te fatemur,
Recta poscit ratio.
Ave, Maria.

II. Gaude, Mater, Deo plena,
Novo gignens sine pœna
Fœtum puerperio.
Eia, Virgo peramœna,
Casto Natum mens serena
Stringat desiderio.
Ave, Maria.

III. Gaude, quod ab Oriente
Magi, stella prælucente,
Dona ferunt Filio.
Fac donemur pietate,
Fide, Spe et Charitate,
Pudorisque lilio.
Ave, Maria.

IV. Gaude, quia dulcis Nati,
Quem vidisti mortem pati,
Fulget resurrectio.
Fac ab imo vitiorum
Surgat mens et supernorum
Gustum spiret actio.
Ave, Maria.

V. Gaude, cœlos ascendente
Nato, vides quem repente
Ferri motu proprio.
Via vitæ restituta,
Quam post Natum tu secuta,
Fac sequamur serio.
Ave, Maria.
VI. Gaude, quia Paracletus,
Missus cœlo novos fœtus
Igne format entheo.
Igne sacri nos amoris
Fac accendi, ne laboris
Capiamur tædio.
Ave, Maria.
VII. Gaude, quæ post Christum scandis
Astra cœli, nuncque pandis
Aditum ad æthera.
O fac, fructu ventris tui
Per te nobis detur frui
In cœlesti gloria. Amen.
Ave, Maria.

*Septem dolores B. Virginis, vide feria VI. sequentis septimanæ.*

## ORATIO

### PRO PERSEVERANTIA IN CULTU B. VIRGINIS IMPETRANDA.

Deus, qui nos sub alis sanctissimæ Matris Filii tui constitutos, ad bravium supernæ vocationis accendis, pectoribus nostris purificandis illabere, et gratiam nobis, qua in tuo et ejusdem sacratissimæ Virginis Mariæ servitio perseveremus, infunde; ut protectionis tantæ muniti præsidiis, quod te Domine, donante concepimus, impleamus, et nostri propositi executores effecti, ad ea, quæ perseverantibus in te promittere dignatus es, pertingamus. Per eumdem Dominum nostrum.

### COMMENDATIO SUI AD BEATAM VIRGINEM.

O Domina mea, sancta Maria, me in tuam benedictam fidem, ac singularem custodiam, et in sinum misericordiæ tuæ, hodie et quotidie, et in hora exitus mei, animam meam et corpus meum tibi commendo; omnem spem meam et consolationem meam, omnes angustias et miserias meas, vitam et finem vitæ meæ tibi committo; ut per tuam sanctissimam intercessionem, et per tua merita, omnia mea dirigantur et disponantur opera, secundum tuam tuique Filii voluntatem. Amen.

### PETITIO BENEDICTIONIS.

Eia, anima mea, prosterne te ad pedes Matris tuæ Mariæ, nec ante recede, quam illa tibi benedixerit. O benedicta a Deo et omnibus benedictionibus cumulata, benedic, pro tua cle-

mentia et pietate, afflictæ animæ meæ, uberemque gratiam mihi a dilectissimo Filio tuo impetra, ita ipsi tibique hic in terra serviendi, nt æternæ gloriæ particeps efficiar.

℟. Amen.

---

## *(Ind.)* MODUS PIE RECITANDI ROSARIUM.

*Integrum Rosarium quindecim constat decadibus. Hoc autem pietatis exercitium optime inchoatur ab Oratione* Veni sancte, etc., pag. 170. *Tum ad crucem dicitur* Credo; *ad majora grana,* Pater noster; *ad minora,* Ave, Maria. *Ante Orationem Dominicam semper dicitur:* Gloria Patri. *Rosarium sæpe dividitur, in tres partes, quarum prima vocatur* Rosarium gaudiosum; *secunda,* dolorosum; *tertia,* gloriosum. *Ad singula minora grana quinque decadum expendi possunt totidem mysteria, insertis post nomen* JESUS *sequentibus verbis:*

I. PRO ROSARIO GAUDIOSO.

*In 1. Decade.* Quem Virgo concepisti.

*In 2.* Quem visitando Elisabeth portasti.

*In 3.*Quem Virgo genuisti.

*In 4.* Quem in Templo præsentasti.

*In 5.* Quem in Templo invenisti.

II. PRO ROSARIO DOLOROSO.

*In* 1. *Decade.* Qui pro nobis sanguinem sudavit.

*In 2.* Qui pro nobis flagellatus est.

*In 3.* Qui pro nobis spinis coronatus est.

*In 4.* Qui pro nobis crucem bajulavit.

*In 5.* Qui pro nobis crucifixus est.

III. PRO ROSARIO GLORIOSO.

*In 1. Decade.* Qui resurrexit a mortuis.

*In 2.* Qui in cœlum ascendit.

*In 3.* Qui Spiritum sanctum misit.

*In 4.* Qui te assumpsit.

*In 5.* Qui te in cœlis coronat.

*Rosario sic recitato, dicitur Oratio:* Sub tuum etc. pag. 6.

*Plurimi sequentem modum pie et attente expendendi quindecim Mysteria priori anteponendum censent, eorumque sententia minime est*

*improbanda, cum modus ille sit multo facilior, ususque ejus frequentissimus. Ea meditandi ratio in eo consistit, ut ad singula majora grana, ante Orationem Dominicam, semel tantum in memoriam revocetur Mysterium, quod orantium meditationi considerandum proponitur. Hunc modum vide infra ubi de* Rosario perpetuo *agitur.*

*Perspicuum est, quæ hactenus diximus, ea de Rosario ordinario quindecim decadum, sive etiam de tertia ejus parte esse intelligenda. Cum vero non pauci reperiantur fideles, quibus per tempus vix licet tam longas preces quotidie peragere, Beatissimus Pater noster* Gregorius Papa XVI, *die 27. Jan. anni 1832 approbavit, commendavit, indulgentiisque ditavit pium exercitium, hodieque adeo pervulgatum nomine:* Rosarium perpetuum *seu* vivens. *Hoc vero exercitium in eo consistit: 1. ut fideles quindeni ineant societatem, simul statuant singuli singulas Rosarii decades quotidie recitare: 2. ut singulis mensibus, stata die, jam memorata quindecim Mysteria inter se sorte distribuant, singulique suam decadem, hoc est semel Orationem Dominicam et decies Salutationem Angelicam quotidie recitent in honorem illius Mysterii quod sors eis dedit. Rosarium perpetuum ideo vel maxime Sanctitas Sua commendavit, quod nova hac facilitate Rosarii recitationem magis etiam frequentandam putat atque e conjunctis plurium supplicationibus novam sane vim, Deoque peramœnam, huic tam pio exercitio accedere novit. Necesse autem est, ut ante recitationem decadis paulisper pia mente consideres Mysterium, quod honorandum accepisti.*

*Ut Rosarii perpetui vere sis membrum, eaque lege innumeras indulgentias ei annexas lucrari queas, necessario requiritur: 1° ut inter quindecim socios alicubi sis adscriptus; 2° ut quotidie tuam decadem recites, pia mente paulisper considerando Mysterium tibi sorte assignatum; 3° ut stato tempore honorandum Mysterium sorte mutetur. Eorum omnium unus e quindecim sociis curam habet, qui propterea* Zelator *nuncupatur. Ut nihil ad exercitium illud rite peragendum desiderari possit, hic quindecim mysteria, fructusque eis congruentes paucis transcribimus.*

PRIMUM MYSTERIUM.
(1. Gaudiosum.)

ANNUNTIATIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS ET VERBI INCARNATIO. *Fructus Mysterii:* Humilitas.

Credo, Pater. Ave *(ter). Tum* Gloria Patri, Pater, *et decies :* Ave Gloria Patri.

SECUNDUM MYSTERIUM.
(2. Gaudiosum.)

VISITATIO B. MARIÆ VIRGINIS APUD SANCTAM ELISABETH. *Fructus Mysterii :* Amor proximi.

Pater. *Decies :* Ave. Gloria Patri.

TERTIUM MYSTERIUM.
(3. Gaudiosum.)

NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. *Fructus Mysterii :* Paupertas.

Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

QUARTUM MYSTERIUM.
(4. Gaudiosum.)

PRÆSENTATIO JESU IN TEMPLO. *Fructus Mysterii:* Obedientia.

Pater. *Decies :* Ave. Gloria Patri.

QUINTUM MYSTERIUM.
(5. Gaudiosum.)

INVENTIO JESU IN TEMPLO. *Fructus Mysterii:* Jesu amica quæsitio et consecratio.

Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

SEXTUM MYSTERIUM.
(1. Dolorosum.)

JESUS IN HORTO OLIVARUM. *Fructus Mysterii:* Contritio.

Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

SEPTIMUM MYSTERIUM.
(2. Dolorosum.)

FLAGELLATIO. *Fructus Mysterii:* Amor pœnitentiæ.

Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

OCTAVUM MYSTERIUM
(3. Dolorosum.)

JESUS SPINIS CORONATUS. *Fructus Mysterii:* Mortificatio amoris proprii.

Pater. *Decies :* Ave. Gloria Patri.

NONUM MYSTERIUM.
(4. Dolorosum.)

BAJULATIO CRUCIS. *Fructus Mysterii:* Patientia in malis vitæ tolerandis.

Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

DECIMUM MYSTERIUM.
(5. Dolorosum.)

JESUS CRUCI AFFIXUS. *Fructus Mysterii :* Amor Jesu et Mariæ.

Pater. *Decies :* Ave. Gloria Patri.

UNDECIMUM MYSTERIUM.

(1. Gloriosum.)

RESURRECTIO. *Fructus Mysterii:* Conversio cordis. Pater. *Decies :* Ave. Gloria Patri.

DUODECIMUM MYSTERIUM

(2. Gloriosum.)

ASCENSIO. *Fructus Mysterii :* Desiderium cœli. Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

DECIMUM TERTIUM MYSTERIUM.

(3. Gloriosum.)

SPIRITUS SANCTUS IN APOSTOLOS DESCENDENS. *Fructus Mysterii :* Mentis ad divina applicatio, animique puritas.
Pater. *Decies :* Ave. Gloria Patri.

DECIMUM QUARTUM MYSTERIUM.

(4. Gloriosum.)

ASSUMPTIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. *Fructus Mysterii:* Gratia sancte moriendi.
Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

DECIMUM QUINTUM MYSTERIUM.

(5. Gloriosum.)

MARIA VIRGO IN CŒLIS CORONATA. *Fructus Mysterii:* Fiducia erga B. M. V.
Pater. *Decies:* Ave. Gloria Patri.

*Cum toties fiat mentio Coronæ B. M. V. seu Rosarii sanctæ Birgittæ, quale illud sit, non abs re erit sincero Mariæ cultori exponere. Illud Rosarium sex constat decadibus et tribus aliis parvis granis, hoc est, septem majoribus et sexaginta tribus minoribus granis, in honorem sexaginta trium annorum, quos, e communi opinione, pia Jesu Mater in terris vixit. Septem granis majoribus, septem ejus dolores septemque gaudia recoluntur. Huic Rosario innumeræ annexæ sunt indulgentiæ, quæ tamen omnes Rosariis nostris ordinariis quinque decadum annecti possunt et solent.*

---

## MODUS BENEDICENDI CRUCES VEL NUMISMATA.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens Deus, qui Crucis signum pretioso Filii tui sanguine dedicasti, quique per eamdem Crucem mundum redimere voluisti, et per virtutem ejusdem venerabilis Crucis humanum genus ab antiqui hostis chirographo liberasti, te suppliciter exoramus, ut digneris has cruces (hæc numismata, *vel* hanc crucem, *aut* hoc numisma) paterna pietate bene ✠ dicere, et cœlestem eis virtutem et gratiam impertiri, ut quicumque eas (ea, *aut* illud) in passionis et Crucis Unigeniti tui signum ad tutelam corporis et animæ super se gestaverint, cœlestis gratiæ plenitudinem in eis et munimen valeant tuæ benedictionis accipere. Quemadmodum virgam Aaron ad rebellium perfidiam repellendam benedixisti, ita et hæc signa tua dextera bene ✠ dic, et contra omnes diabolicas fraudes virtutem eis tuæ defensionis impendas; ut portantibus illa animæ pariter et corporis prosperitatem conferant salutarem, et spiritualia in eis dona multiplicent. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

*Deinde aspergit aqua benedicta, dicens :*

In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus sancti.

℟. Amen.

---

## MODUS BENEDICENDI ROSARIA VEL CORONAS.

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.

℟. Qui fecit cœlum et terram.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Omnipotens et misericors Deus, qui propter eximiam charitatem tuam, qua dilexisti nos, Filium tuum unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum de cœlis in terram descendere, et de beatissimæ Virginis

Mariæ Dominæ nostræ utero sacratissimo, Angelo nuntiante, carnem suscipere, et mortem subire, et tertia die gloriose a mortuis resurgere voluisti, ut nos eriperes de potestate tenebrarum; obsecramus immensam clementiam tuam, ut has coronas (hanc coronam) in honorem et laudem ejusdem Genitricis Filii tui, ab Ecclesia tua fideli dicatas (dicatam) bene ✠ dicas, et sancti ✠ fices, eisque (eique) tantam infundas virtutem Spiritus sancti, ut quicumque harum quamlibet (hanc) secum portaverit, atque in domo sua reverenter habuerit, et in ea te devote oraverit, salubri et perseverante devotione abundet, sitque consors et particeps omnium gratiarum, privilegiorum et indulgentiarum, quæ ejusdem coronæ recitationi per sanctam Sedem apostolicam concessa fuerunt; ab omni hoste visibili et invisibili, semper et ubique, in hoc et in futuro sæculo liberetur, et in exitu suo ab ipsa beatissima Virgine Maria Dei Genitrice tibi plenus bonis operibus præsentari mereatur. Per Christum Dominum nostrum. ℞. Amen.

*Deinde aspergit aqua benedicta, dicens :*

In nomine Patris ✠, et Filii, et Spiritus sancti ℞. Amen.

## ALIA PER HEBDOMADEM PIETATIS EXERCITIA,

QUÆ, UT ORANS GRATAM HABEAT PRECUM VARIETATEM, ALTERNIS SEPTIMANIS RECITARI POTERUNT.

## XXII.

### DIE DOMINICA.

# OFFICIUM PARVUM

### DE OMNIBUS SANCTIS.

### AD MATUTINUM.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

*Ad B. Virginem Reginam Sanctorum omnium.*

O Mater! o senatus
Regina cœlici,
Thronusque præparatus
In orbe Numini!
Te nominat parentem
Creator omnium;
Te prædicat potentem
Caterva supplicum.
Te, Mater, opto mille
Laudare vocibus,
Et mille, mille, mille
Amare cordibus.
Cor millies renatum
Si, Mater, impetres,
Cor millies dicatum,
O Mater, auferes.

*Ant.* Beatam te dicent omnes generationes: quia fecit tibi magna, qui potens est, et sanctum nomen ejus. *Luc. 1, 48, 49.*

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

OREMUS.

Omnipotens æterne Deus, qui beatissimam Virginem Mariam innumeris donis et gratiis exornatam, in Matrem unigeniti Filii tui elegisti, et super omnes Angelos et electos in regno tuo exaltasti: concede propitius; ut qui eam in terris colimus, ejusdem patrocinio æternam gloriam consequamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

AD LAUDES.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

*Ad SS. Angelos.*

O candidæ cohortes
  Stellantis ætheris!
Prompte referte sortes
  Et fata Numinis:
Vos ore triplicato,
  Ternoque carmine,
Ter Sanctum ordinato
  Cantatis agmine.
Ah! possit esse mima
  Vox nostra cœlitum,
Ut summa vox et ima
  Det suave canticum!
Fovete mille corda,
  Ut inde cœlicæ
Fiat vel una chorda
  Aptanda musicæ.

*Ant.* In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus: adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor Nomini tuo. *Ps. 137. 2.*

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

OREMUS.

Omnipotens æterne Deus, qui et majestatem tuam in numero et sanctitate Angelorum ostendis; et nobis eosdem Custodes, et Magistros tribuisti: concede propitius; ut eorum exemplo tibi ita serviamus in terris, ut æternum cum iisdem te laudare mereamur in cœlis. Per Dominum nostrum.

℣. Domine, exaudi, *supra.*

AD PRIMAM.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

*Ad SS. Patriarchas.*

Spectabilis senecta,
Salvete, principes,
Quos vita mensque recta
Fecere cœlites.
Vos terra Patriarchas
Ducesque nuncupat;
Sed rectius monarchas
Vos æther prædicat.
Spes vestra nascituro
Parente Virgine,
Ceu firmiore muro
Est visa surgere.
Et nostra spes in isto
Suspensa cardine,
Unique nixa Christo
Stat firma numine.

*Ant.* In te speraverunt Patres nostri: speraverunt et liberasti eos; ad te clamaverunt et salvi facti sunt. *Ps. 21, 4, 5.*

℣. Notas mihi fecisti vias vitæ.

℟. Adimplebis me lætitia cum vultu tuo.

OREMUS.

Omnipotens æterne Deus, qui sanctos Veteris Testamenti Patriarchas propter constantem mandatorum tuorum observantiam, et fiduciam in promissum Unigenitum tuum mundi Redemptorem, regni tui participes esse voluisti: concede propitius; ut simili constantia et fiducia in via præceptorum tuorum persistamus, et demum ad conspectum divinæ Majestatis tuæ admitti mereamur. Per Dominum nostrum.

℣. Domine, exaudi. *p. 255.*

AD TERTIAM.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

*Ad SS. Prophetas.*

O sancta turba Patrum,
Quæ mente provida
Producis in theatrum
Ventura tempora,
Arcana multa pandens
De prole Numinis,
Per dura multa scandens
Ad limen ætheris!
In orbe vos labores
Pressere ferrei:
In axe nunc honores
Redduntur aurei.
Juvate, sic fideli
Sequemur orbita,
Donec superna cœli
Intremus atria.

*Ant.* Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, et lapidas eos, qui ad te missi sunt! quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti! *Matth. 32, 37.*

℣. Da mercedem sustinentibus te.

℟. Ut prophetæ tui fideles inveniantur.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Prophetas tuos, sancti Spiritus gratia illuminatos et confortatos, per plurimas hujus vitæ adversitates ad æternum gloriæ tuæ lumen perduxisti : concede propitius; ut nos eodem sancti tui Spiritus lumine illustrati, te Deum verum, et quem misisti, Dominum Jesum Christum, ita in terris agnoscamus et colamus, ut in cœlis clare intueri, et perfecte possidere mereamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℣. Domine, exaudi. *p. 255.*

AD SEXTAM.

Laudate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in firmamento virtutis ejus.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

*Ad SS. Apostolos.*

O ordo nuntiorum,
O clara lumina,
Et orbis et polorum
Bis sena sidera!
Vobis ad astra clavis
Est certa tradita,
Ecclesiæque navis
In orbe credita.
Quæ sacra seminastis
Ubique semina,
Et voce prædicastis
Factisque dogmata.
Ah! impetrate lumen,
Ut corde impleam;
Ah! invocate Numen,
Factis ut exprimam.

*Ant.* Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede Majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. *Matth. 19. 28.*

℣. Nimis honorificati sunt amici tui, Deus.

℟. Nimis confortatus est principatus eorum.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui novam charitatis legem pectoribus nostris per beatos Apostolos tuos infudisti : horum nobis, quæsumus, intercessione concede; ut suave hoc Novæ Legis tuæ jugum prompta voluntate amplectamur, et opere perfecto expleamus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domine. *pag. 255.*

AD NONAM.

Laudate Dominum in Sanctis ejus : laudate eum in

firmamento virtutis ejus.
℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

*Ad SS. Martyres.*

O turba laureata,
O agmen inclytum,
Christique purpurata
Caterva Martyrum!
Athletico duella
Agressa robore,
Et gloriosa bella
Edocta vincere.
Da bella sic capessam,
Quæ semper ingruunt,
Hostesque sic lacessam,
Qui semper impetunt,
Ut victor in superna
Theatra transferar,
Lauroque sempiterna
Tecum revinciar!

*Ant.* Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, et laverunt stolas suas, et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Ideo sunt ante thronum Dei, et serviunt ei die ac nocte in templo ejus. *Apoc. 7. 14. 15.*

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, cujus acerbissimæ passionis et mortis meritis omnes Martyres abundantem gratiam consecuti sunt, ut pro confessione nominis tui sanguinem suum fuderint: concede propitius; ut et nos eorumdem meritorum abundantia, et Martyrum tuorum intercessione, constanter fidem tuam profiteri, et semper mortificationem tuam, o Jesu, in corpore nostro circumferre valeamus. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi. *pag. 255.*

AD VESPERAS.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.
℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

*Ad SS. Confessores.*

O casibus probati
Heroes arduis,
Ad multa dura nati
In rebus asperis!
Vos mille jactitavit
Sors dura fluctibus,
Crebrisque cor probavit
Tentator ictibus.
Tulistis illa læto
Firmoque pectore,
Dum staret inquieto
Carina littore.
Cor impetrate forte,
Ut dura perferam,
Contentus esse sorte
Quacumque gaudeam.

*Ant.* Stabunt justi in magna constantia adversus eos,

qui se angustiaverunt, et qui abstulerunt labores eorum. *Sap. 5. 1.*

℣. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei.

℟. Et inter Sanctos sors illorum est.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, cujus doctrina et exemplo Confessores tui mites et humiles facti, et requiem animabus suis in hac et in altera vita consecuti sunt: da nobis gratiam eorumdem vestigiis devote ita hic insistere; ut demum ad æternæ quietis locum pervenire feliciter mereamur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi. *pag. 255.*

## AD COMPLETORIUM.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: laudate eum in firmamento virtutis ejus.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

*Ad SS. Virgines.*

O digna lilietis
  Caterva cœlicis!
Quæ vivis in viretis,
  Sponsique pascuis!
Nix cana liliorum
  Albente vellere,
Et lac eburque florum
  Te vestit undique.
Tu carmen innocenti
  Scis ore fundere,
Quod cœlites silenti
  Mirantur æthere.
Valete, vah! valete,
  Impura basia,
Mihi nec invidete
  Hæc casta gaudia.

*Ant.* Cantabant quasi canticum novum, et nemo poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt: hi sequuntur Agnum quocumque ierit. *Apoc. 14. 3. 4.*

℣. Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo et agno.

℟. Et in ore eorum non est inventum mendacium.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, sponse et singularis amator castarum animarum, quas præ cæteris Sanctis in regno tuo peculiari laureola condecoras, largire nobis gratiam ut earumdem vestigiis insistentes, eadem quoque præmia consequamur. Qui vivis.

℣. Domine, exaudi. *pag. 255.*

OBLATIO.

O cœlici quirites
 Tonantis aulici,
Post bella postque lites
 In axe fulgidi!
Clientuli precantis
 Ne vota spernite,
Servique vos vocantis
 Ne verba temnite.
Adeste quando vitæ
 Est lapsa clepsydra,
Ad vota tunc venite,
 O viva sidera!
Tunc transitum parate
 Ad celsa limina,
Terrisque me vocate
 Ad vestra gaudia.

ORATIO S. AUGUSTINI AD OMNES SANCTOS.

O felices Sancti Dei omnes, qui jam transiistis hujus mortalitatis pelagum, et pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis, securitatis et pacis : securi et tranquilli, semperque festivi atque gaudentes estis. Obsecro vos per vestram charitatem, qui securi estis de vobis, solliciti estote de nobis; securi estis de vestra immarcescibili gloria, solliciti estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum vos rogo, qui vos elegit, qui vos tales fecit, de cujus pulchritudine jam satiamini, de cujus immortalitate jam immortales facti estis, de cujus beatissima visione semper gaudetis. Amen.

ORATIO AD S. PATRONUM, CUJUS QUIS NOMEN HABET.

O sancte N. qui in sacro baptismatis fonte mihi in Patronum datus es, in te singularem auxilii spem colloco. Dirige, obsecro, pedes meos in viam virtutis; ut ad vitæ tuæ exemplar digne vocatione mea ambulem. Doce, et guberna me in periculis tum animæ, tum corporis; potissimum vero in extremo mortis articulo succurre, et adjuva, ut tecum, et cum omnibus Sanctis, partem aliquam æternæ gloriæ obtinere merear in cœlis. Per Dominum.

---

## ORATIONES COMMUNES DE SANCTIS.

*In Vigiliis Apostolorum.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati N. Apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas et de-

votionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

*Pro festo Mart. et Pont.*

ORATIO.

Infirmitatem nostram respice, omnipotens Deus; et quia pondus propriæ actionis gravat, beati N. Martyris tui atque Pontificis intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

ALIA.

Deus, qui nos beati N. Martyris tui atque Pontificis annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum.

*Pro festo Martyris tantum.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut qui beati N. Martyris tui natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per Dominum.

ALIA.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus : ut intercedente beato N. Martyre tuo, et a cunctis adversitatibus liberemur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

*Pro festo plurimorum Martyrum et Pontificum.*

ORATIO.

Beatorum Martyrum, pariterque Pontificum N. et N. nos, quæsumus, Domine, festa tueantur, et eorum commendet oratio veneranda. Per Dominum.

*Martyrum tantum.*

ORATIO.

Deus, qui nos concedis sanctorum Martyrum tuorum N. et N. natalitia colere: da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

ALIA.

Deus, qui nos annua sanctorum Martyrum tuorum N. et N. solemnitate lætificas : concede propitius; ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

*Pro festo Conf. Pont.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus : ut beati N. Confessoris tui atque Pontificis veneranda solemnitas, et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

ALIA.

Exaudi, quæsumus, Domine, preces nostras, quas

in beati N. Confessoris tui atque Pontificis solemnitate deferimus : et qui tibi digne meruit famulari, ejus intercedentibus meritis ab omnibus nos absolve peccatis. Per Dominum.

*Confessoris tantum.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati N. Confessoris tui annua solemnitate lætificas : concede propitius; ut cujus natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum.

ALIA.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, quas in beati N. Confessoris tui solemnitate deferimus : ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, ejus, qui tibi placuit, precibus adjuvemur. Per Dominum.

*Si fuerit Abbas.*

ORATIO.

Intercessio nos, quæsumus, Domine, beati N. Abbatis commendet : ut quod nostris meritis non valemus ejus patrocinio assequamur. Per Dominum.

*Pro festo Doctoris.*

ORATIO.

Deus, qui populo tuo æternæ salutis beatum N. ministrum tribuisti: præsta, quæsumus; ut quem Doctorem vitæ habuimus in terris intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

*Pro festo Virg. et Mart.*

ORATIO.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam Martyrii contulisti : concede propitius; ut qui beatæ N. Virginis et Martyris tui natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

ALIA.

Indulgentiam nobis, quæsumus, Domine, beata N. Virgo et Martyr imploret : quæ tibi grata semper extitit et merito castitatis, et tuæ professione virtutis. Per Dominum.

*Virginis tantum.*

ORATIO.

Exaudi nos, Deus, salutaris noster : ut sicut de beatæ N. Virginis tuæ festivitate gaudemus; ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

*Plurimarum Virg. et Mart.*

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Virginum et Martyrum

N. et N. palmas incessabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

*Pro festo unius Martyris, non Virginis.*

ORATIO.

Deus, qui inter cætera potentiæ tuæ miracula, etiam in sexu fragili victoriam Martyrii contulisti: concede propitius; ut qui beatæ N. Martyris tuæ natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

*Plurimarum Mart. non Vir.*

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum Martyrum N. et N. palmas incessabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominum.

*Nec Virginis nec Martyris.*

ORATIO.

Exaudi nos, Deus salutaris noster; ut sicut de beatæ N. festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

# XXIII.

## FERIA II, SEU DIE LUNÆ.

# OFFICIUM PARVUM PRO DEFUNCTIS.

### AD MATUTINUM.

Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni, et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum; sed signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam, quam olim Abrahæ promisisti, et semini ejus.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

HYMNUS.

O vos, fideles animæ
In Christo defunctorum,
Sed merito prohibitæ
Ab aditu cœlorum:
Quam velim vobis dexteram,
Opemque præsentare;
Ut hinc ad cœli gloriam
Possitis evolare!

*Ant.* Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.

℣. Si iniquitates observaveris, Domine.

℟. Domine, quis sustinebit?

OREMUS.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum: ut indulgentiam quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

AD PRIMAM.

Domine Jesu Christe, etc. *ut supra 263.*

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

HYMNUS.

O magne Pater, nomine
Misericordiarum,
Facturas tuas respice,
Sed immemor irarum.
Pœnas sunt quidem meritæ,
Te tamen non negarunt;
Hinc locus sit clementiæ:
Ignosce, quod peccarunt.

*Ant.* Illuminare his, etc. *cum Oratione, ut supra.*

AD TERTIAM.

Domine Jesu, etc. *p. 263.*

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

HYMNUS.

O Jesu clementissime,
O optime Salvator,
Tuo redemptis sanguine
Sis mitis liberator.
Indulge te amantibus
Tuam benignitatem,
Pœnamque deprecantibus
Ostende bonitatem.

*Ant.* Illuminare his, etc. *cum Oratione, ut supra.*

AD SEXTAM.

Domine Jesu, etc. *p. 263.*

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

HYMNUS.

O consolator optime,

O dulcis Paraclete,
Hos tu desertos respice,
Et indigos quiete
In æstu hoc temperiem,
Veræque pacis bona,
Et post laborem requiem
Æternam iis dona.

*Ant.* Illuminare his, etc. *cum Oratione, pag. 264.*

## AD NONAM.

Domine Jesu, etc. *p. 263.*

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

### HYMNUS.

O dulcis mater gratiæ,
Solatrix afflictorum,
Vim cohibe justitiæ,
Rigorem tormentorum.
Flammam voracem tempera,
Et mitiga dolores,
Incendium refrigera,
Et fini hos angores.

*Ant.* Illuminare his, etc. *cum Oratione, pag. 264.*

## AD VESPERAS.

Domine Jesu, etc. *p. 263.*

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

### HYMNUS.

Vos, tutelares genii,
Quorum sunt hi clientes,
Quantum vestri subsidii
Sunt ipsi indigentes!
Piorum desideria
Et vestrum excitate:
Optata refrigeria
Clientibus curate.

*Ant.* Illuminare his, etc. *cum Oratione, pag. 264.*

## AD COMPLETORIUM.

Domine Jesu, etc. *p. 263.*

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

### HYMNUS.

Vos omnes quoque cœlites,
In regno triumphante,
Solamini hos milites,
In flamma hac purgante.
Vestri in terris socii
Cum fuerint laborum,
Nunc et beati otii
Sors vocat et bonorum.

*Ant.* Illuminare his, etc. *cum Oratione, pag. 264.*

### OBLATIO.

O fons misericordiæ,
Summæque bonitatis,
Prosint piorum lacrymæ
Hoc igne cruciatis.
Locum tuæ justitiæ
Agnoscimus infernum,
Laudes tuæ clementiæ
Hi cantent in æternum.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

### ADHORTATIO.

Quot usquam estis Numini

Et superis devoti,
Audite quid rogemini,
Ut sitis Dei toti:
Hæc charitatis viscera
Fraternæ explicate:
Vices rependet misera
Hæc turba liberata.
Amen.

## LITANIÆ PRO FIDELIBUS DEFUNCTIS.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.
Spiritus sancte Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere omnium fidelium defunctorum.
Sancta Maria, ora pro fidelibus defunctis.
Sancta Dei Genitrix, ora
Sancta Virgo virginum, ora
Sancte Michael, ora
Omnes SS. Angeli et Archangeli, orate
Omnes SS. beatorum Spirituum ordines, orate
S. Joannes baptista, ora
S. Joseph, ora
Omnes SS. Patriarchæ et Prophetæ, orate
Pro fidelibus defunctis.

S. Petre, ora pro fidelibus defunctis.
S. Paule, ora
S. Joannes, ora
Omnes SS. Apostoli et Evangelistæ, orate
S. Stephane, ora
S. Laurenti, ora
Omnes SS. Martyres, orate
S. Gregori, ora
S. Ambrosi, ora
S. Augustine, ora
S. Hieronyme, ora
Omnes SS. Pontifices et Confessores, orate
Omnes SS. Doctores, orate
Omnes SS. Sacerdotes et Levitæ, orate
Omnes SS. Monachi et Eremitæ, orate
S. Maria Magdalena, ora
S. Catharina, ora
S. Barbara, ora
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate
Pro fidelibus defunctis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro eis.
Propitius esto, parce eis, Domine.

Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera eos, Domine.
Ab ira tua,
A rigore justitiæ tuæ,
A potestate diaboli,
A rodente verme conscientiæ,
A diuturna tristitia,
A crudelibus flammis,
Ab intolerabili frigore,
Ab horrendis tenebris,
A terribili planctu et ejulatu,
Per admirabilem conceptionem tuam,
Per sanctam nativitatem tuam,
Per dulcissimum nomen tuum,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per profundissimam humilitatem tuam,
Per promptam obedientiam tuam,
Per infinitum amorem tuum,
Per angores et molestias tuas,
Per sanguineum sudorem tuum,
Per captivitatem tuam,
Per flagellationem tuam,
Per coronationem tuam,
Per bajulationem crucis tuæ,
Per amaram mortē tuam,
Per sanctissima vulnera tua,
Per crucem et acerbissimam passionem tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus sancti paracliti,
In die judicii,

*Libera eos, Domine.*

Peccatores, te rogamus, audi nos.
Qui Mariam absolvisti, et latronem exaudisti,
Qui salvandos salvas gratis,
Qui claves habes mortis et inferni,
Ut parentes, propinquos et benefactores nostros a pœnis inferni eripere digneris,
Ut omnes fideles defunctos ab æterna damnatione liberare digneris,
Ut illorum, quorum specialis in terra memoria non habetur, misereri digneris,
Ut eis omnibus parcere et indulgere digneris,
Ut desideria ipsorum adimplere digneris,
Ut in electorum consortium eos recipere digneris,
Rex tremendæ majestatis,
Fili Dei,

*Te rogamus, audi nos.*

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona eis requiem sempiternam.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Animabus, quæsumus, Domine, famulorum famularumque tuarum misericordiam concede perpetuam: ut eis proficiat in æternum, quod in te speraverunt et crediderunt. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

---

## SUPPLICATIONES SEPTENÆ

### PRO DEFUNCTIS, PER ACERBISSIMAM PASSIONEM ET MORTEM CHRISTI.

I. O Jesu, vita et resurrectio nostra, qui discedens ex hoc mundo, tuam nobis carnem et sanguinem in cibum et potum reliquisti! Per infinitum hunc amorem tuum supplex oro, miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Deduc eos ad vitæ fontes, et fac, ut mox tecum edant et bibant super mensam tuam in regno tuo. *Luc. 22.*

Pater noster.

II. O Jesu, protectio et salus nostra, qui tantos nostri causa angores in horto sustinuisti, ut sudor tuus factus sit sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram! Per pretiosissimum hunc sanguinem tuum supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Libera eos ex omnibus angustiis suis, et absterge omnem lacrymam ab oculis eorum. *Apoc. 7.*

Pater noster.

III. O Jesu, Redemptor et Salvator noster, qui captus es in peccatis nostris! Per durissima illa vincula tua supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Solve omnia eorum vincula delictorum, quibus eos humana fragilitas in hac vita implicavit, ut læti sacrificent tibi hostiam laudis. *Ps. 115. 7.*

Pater noster.

IV. O Jesu, cordis nostri lætitia, qui benedictam faciem tuam, in quam desiderant Angeli prospicere, velari, conspui et colaphis cædi permisisti. Per incomprehensibilem hanc patientiam tuam te supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Admitte illos ad claritatem lucis tuæ, eosque adimple lætitia cum vultu tuo. *Ps. 15. 11.*

Pater noster.

V. O Jesu, corona gloriæ nostræ, qui flagellis cæsus, et spinis dire ignominioseque propter superbiam nostram coronatus es! Per summam istam humilitatem tuam te supplex oro : miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Concede propitius, ut coronam æternæ gloriæ mox consequantur; tu enim nos coronas in misericordia et miserationibus. *Ps. 102.*

Pater noster.

VI. O Jesu, advocate et judex noster, qui iniquissimo judicio ad mortem acerbissimam damnatus, nos ab æternæ damnationis reatu absolvisti! Per abyssum misericordiæ tuæ supplex te oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Audiant mox verbum illud consolationis: Dimissa est iniquitas vestra. *Isai. 40. 2.*

Pater noster.

VII. O Jesu, summum et unicum bonum nostrum, qui ipse peccata nostra in corpore tuo super lignum pertulisti! Per immensum hoc beneficium tuum te supplex oro: miserere omnium fidelium defunctorum, præsertim horum N. N. Aditus illis ad æternam gloriam mox reseretur, lætique audiant: Venite, benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. *Matth. 25. 34.*

Pater noster.

### INVOCATIO SANCTORUM PRO DEFUNCTIS.

O vos sancti Angeli, omnesque electi Dei, subvenite animabus fidelium defunctorum. Succurre præ

cæteris, tuumque benedictum Filium illis ostende, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria! Amen.

SEQUENTIA
EX MISSA DEFUNCTORUM.

Dies iræ, dies illa, etc. *Vide pag. 42.*

# XXIV.

## FERIA III, SEU DIE MARTIS.

## OFFICIUM PARVUM

## DE SS. JOACHIM ET ANNA,

### PARENTIBUS B. MARIÆ VIRGINIS.

### AD MATUTINUM.

Benedicti sint sancti Joachim et Anna, ex quibus benedicta Virgo Maria sine originali labe concepta et nata est.

℣. Domine, labia mea aperies.

℞. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℞. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

O bina conjugalis
Exempla fœderis!
O Joachime, qualis
Marite conjugis!
O Anna, quem nepotem,
Quam nacta filiam!
O Joachime, dotem
Quis optet alteram!

*Ant.* O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius, quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. *Sap. 4. 1.*

℣. Orate pro nobis, sancti Joachim et Anna.

℞. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui præ omnibus Sanctis tuis beatos Joachim et Annam genitricis Filii tui parentes esse voluisti: concede, quæsumus; ut quos devoto cultu veneramur in terris, eorum quoque patrocinia impetremus in cœlis. Per eumdem Dominum nostrum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

## AD PRIMAM.

Benedicti sint sancti Joachim, et Anna, ex quibus benedicta Virgo Maria sine originali labe concepta et nata est.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Connubii quieta
Ivere tempora,
Mens mansit usque læta
Vel inter aspera.
Dilata spes nepotum
Est visa pungere;
Sed inde nil remotum
Cor est ab æthere

*Ant.* Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *Cant. 8. 7.*

℣. Orate pro nobis. etc. *cum Oratione, pag. 270.*

## AD TERTIAM.

Benedicti sint sancti Joachim et Anna, ex quibus benedicta Virgo Maria sine originali labe concepta et nata est.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Tandem sereniori
Lux vecta phosphoro
Explevit ampliori
Utrumque gaudio.
Concepit Anna prolem
Stupente conjuge,
Cum vidit axe solem
Plaudente surgere.

*Ant.* Surrexerunt filii ejus, et beatissimam prædicaverunt. *Prov. 31. 28.*

℣. Orate pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 270.*

## AD SEXTAM.

Benedicti sint sancti Joachim et Anna, ex quibus benedicta Virgo Maria sine originali labe concepta et nata est.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Mox numini sacratur
Vix facta trimula,
Aræque dedicatur
Tenella victima;
Et prævolat parentum
Jam vota filia,
Et multa se sequentum
Invitat agmina.

*Ant.* Introibo in domum tuam in holocaustis: reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea. *Ps. 65. 12.*

℣. Orate pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 270.*

## AD NONAM.

Benedicti sint sancti Joachim et Anna, ex quibus benedicta Virgo Maria sine originali labe concepta et nata est.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Exinde quo labore
Educta Filia!
Quo cœlitum favore
Nutrita parvula!
Industriæ parentum
Fit axis æmulus,
Virgunculæque centum
Servit cohortibus.

*Ant.* Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. *Rom. 8. 28.*

℣. Orate pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 270.*

## AD VESPERAS.

Benedicti sint sancti Joachim et Anna, ex quibus benedicta Virgo Maria sine originali labe concepta et nata est.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

O Joachim, fidelis
Minister ætheris!
O Anna, nota cœlis
A Matre Numinis!
Uterque sanctitatis
Exemplar integræ:
Et me beatitatis
Donate lumine.

*Ant.* Justorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectam diem. *Prov. 4. 18.*

℣. Orate pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 270.*

## AD COMPLETORIUM.

Benedicti sint sancti Joachim et Anna, ex quibus benedicta Virgo Maria sine originali labe concepta et nata est.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Obtutibus sacratis
Jam nata cernitur,
Complexibus beatis
Perenne stringitur:
Reciproco tenetur,
Tenetque vinculo.
O parva pars daretur
Ex hocce gaudio!

*Ant.* Semen eorum et gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. *Eccl. 44. 13. 14.*

℣. Orate pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 270.*

OBLATIO

Vectigal noc amoris,
O bina sidera,
Pensum precantis oris,
O clara lumina,
Consigno dedicatum
Vestris amoribus,
Optoque consecratum
Vestris honoribus.
Amabo vos, amabo,
Dum vita permanet,
Magisque tunc amabo,
Cum vita desinet:
Cum vestra me levabit
In astra dextera,
Vobisque col igabit
Æterna gloria. Amen.

ORATIO AD S. JOACHIM.

O sancte Joachim, cui recte id nomen est inditum, quod præparationem Domini significat. Tu enim ad vivum Dei templum præparandum a Deo electus es, in quo Filio ejus Unigenito habitare placuit. O beatissime Pater, a quo processit illa filia, quæ in Dei Matrem, ac cœli terræque Reginam est assumpta! O quanto illam amore et reverentia excepisti! qua cura et sollicitudine enutrivisti! quam præclaro humilitatis, religionis ac pietatis exemplo, proli tuæ clarissimæ, cunctisque mortalibus præluxisti! Tuis me precibus, o S. Joachim, adjuva, ut et ego gratum Deò domicilium in corde meo præparem, constantique pietatis affectu illud exornem. Amen.

ORATIO AD S. MATREM ANNAM.

O gratiosa Domina, o benedicta Mater Anna! bene Annæ, hoc est gratiæ, tibi nomen obtigit; quia tibi cœlum vivum, omnibus cœlis majus, in benedicto utero tuo portare, et in hanc lucem edere a Deo concessum est; quem enim cœli cœlorum capere non poterant, Filia tua immaculato gremio suo conclusit. Tu es, o electa Mater, radix illa virgæ Jesse, ex qua flos pulcherrimus, fructusque vitæ no-

stræ dulcissimus Christus Jesus ascendit. Lætare, o Anna sterilis! quoniam ex Filia tua Filius natus est nobis, cujus nomen vocatum est magni consilii, hoc est, salutis totius mundi, Angelus. Fac me, o Mater benedicta, gratiæ, quam ex gratiarum fonte abunde hausisti, participem, ut in amore dilectissimi Nepotis tui Jesu, et protectione dulcissimæ Filiæ tuæ Mariæ vivam et moriar. Amen.

ORATIO AD AMBOS SS. JOACHIM ET ANNAM.

O castum ac beatum par turturum, Joachim et Anna, vobis omnis creatura obstricta est; per vos enim donum omnium donorum præstantissimum Creatori obtulit, nempe castam matrem, quæ sola Creatore digna erat. Vestra dignitas ex immaculato ventris vestri fructu cognoscitur, quem Dei perpetuo obsequio prompte consecrastis, cor meum, obsecro, junctam huic sacrificio hostiam manibus vestris Dei omnipotenti offerte omnesque hujus mei muneris defectus vestra, quam apud Deum invenistis, gratia compensate.

# XXV.

FERIA IV, SEU DIE MERCURII.

## OFFICIUM PARVUM DE S. IGNATIO,

FUNDATORE SOCIETATIS JESU,

ET

## S. FRANCISCO XAVERIO,

INDIARUM APOSTOLO.

### AD MATUTINUM.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua. *Eccli. 44. 1.*

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

O Ignati, militantis
Clara fax Ecclesiæ!
O Xaveri, deviantis
Sidus et lux Indiæ!
Vos honorent, quotquot ambit
Phœbus orbis climata,
Quaque pontum sero lambit,
Quaque tollit lumina.

*Ant.* Sapientiam ipsorum narrent populi, et laudem eorum nuntiet Ecclesia. *Eccli. 44. 15.*

℣. In omnem terram exivit sonus eorum.

℟. Et in fines orbis terræ verba eorum.

OREMUS.

Deus, qui glorificantes te glorificas, et in Sanctorum tuorum honoribus honoraris: concede propitius; ut qui beatorum Ignatii et Xaverii Confessorum tuorum gloriosa merita colimus, eorum pia apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

## AD PRIMAM.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Vera virtus cum ruebat
Pressa pravo dogmate,
Hanc Loïola fulciebat
Nixus uno Numine.
Sic, Xaveri, te docente,
Credit orbis Indicus:
Inde natum cum parente
Tollit æther laudibus.

*Ant.* Sit memoria illorum in benedictione, et ossa eorum pullulent de loco suo, et nomen eorum permaneat in æternum. *Eccli. 46.*

℣. In omnem terram, etc. *cum Oratione, ut supra.*

## AD TERTIAM.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia

HYMNUS.

Vos cubile solis orti
Et cadentis respicit;
Vestra duræ cura sorti
Quot clientes eripit!
Nos fovete, nos tenete,
Ne cadamus noxii,
Tramitemque nos docete,
Quem premamus integri.

*Ant.* Quasi stella matutina in medio nebulæ, et quasi luna plena in diebus suis lucet, et quasi sol refulgens; sic illi effulserunt in templo Dei. *Eccli. 50. 6.*

℣. In omnem terram, etc. *cum Oratione, pag. 275.*

## AD SEXTAM.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Sol nitente cum sorore
Jungat etsi lumina,
Aureoque clarus ore
Vibret axe spicula;
Cedit illi, quo sedetis
Inclyti subsellio,
Regiæque, quam tenetis
Axis in palatio.

*Ant.* Qui docti fuerunt, fulgebunt quasi splendor firmamenti; et qui ad justitiam erudiunt molles, quasi stellæ in perpetuas æternitates. *Dan. 12.3.*

℣. In omnem terram, etc. *cum Oratione, pag. 275.*

## AD NONAM.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Nulla duræ tela sortis,
Nulla fati vulnera,
Ipsa nec pericla mortis,
Nulla mundi munera,
Vos amore separarunt
Proximi vel Numinis,
Vos beatis avocarunt
Cœlitum commerciis.

*Ant.* In paucis vexati, in multis bene disponentur: quoniam Deus, tentavit eos, et invenit illos dignos se. *Sap. 3. 5.*

℣. In omnem terram, etc. *cum Oratione, pag. 275.*

## AD VESPERAS.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Quot nefandis explicastis
Criminum complexibus!
Quot beatis alligastis
Sanctitatis nexibus!
Trado vobis me regendum,
Ad salutem ducite,

Corpus et corda tuendum,
Oro, me defendite.

*Ant.* Illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt : cum semine eorum permanent bona. *Eccli. 44. 10. 11.*

℣. In omnem terram, etc. *cum Oratione, pag. 275.*

## AD COMPLETORIUM.

Laudemus viros gloriosos, et parentes nostros in generatione sua.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Vos polique, vos solique
Bina luminaria,
Infimique, maximique
Sicut exemplaria
Intuentur obstupentes:
Lumen, oro, spargite;
Ne premantur forte mentes
Criminum caligine.

*Ant.* Corpora eorum in pace sepulta sunt, et nomen eorum vivit in generationem et generationem. *Eccli. 44.14.*

℣. In omnem terram, etc. *cum Oratione, pag. 275.*

### OBLATIO.

O patroni, vos amore,
Vos honore prosequor :
Corde laudo vos et ore,
Voce, mente comprecor.
Vos faventi verba vultu
Comprecantem cernite,
Proque vestro vota cultu
Ne clientem spernite.
Vestra nobis impetrate
Nosse nos vestigia,
Vestra (Numen invocate)
Nos videre lumina.
O nitenti quando sole
Illa lux se proferet,
Corporisque quando mole
Illa sors nos eximet!
Amen.

---

# LITANIÆ IN HONOREM S. ALOYSII,

## AD OBTINENDAS OMNES VIRTUTES CHRISTIANO JUVENE DIGNAS, PRÆSERTIM DONUM CASTITATIS.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, Aloysii patrona, ora pro nobis.
Sancte Aloysi Gonzaga, ora pro nobis.

Sancte Aloysi, Ora pro nobis.

Dei benedictionibus dotate,
Spiritu sancto replete,
Christi confessor dignissime,
Eucharistiæ adorator devotissime,
Beatæ Virginis cliens addictissime,
Deliciarum mundi generose contemptor,
Exemplar humilitatis,
Paupertatis amator,
In obedientia consummate,
Patientia admirabilis,
In cœlis potentissime,
Fugator dæmonum,
Honor et gloria juventutis,
Omnium litteris incumbentium exemplum et patrone,
Vitæ evangelicæ imitator,
Speculum virginum,
Consolator afflictorum dulcissime,
Infirmorum salus certissima,
Societatis Jesu decus et ornamentum,
Præclarum Ecclesiæ lumen,
Plurimis insignite miraculis,

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.

℣. Ora pro nobis, sancte Aloysi Gonzaga.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Cœlestium donorum distributor Deus, qui in angelico juvene Aloysio miram vitæ innocentiam pari cum pœnitentia sociasti: ejus meritis et precibus concede; ut innocentem non secuti, pœnitentem imitemur. Per Christum Dominum nostrum.

Amen.

# XXVI.

## FERIA V, SEU DIE JOVIS.

# OFFICIUM PARVUM DE S. BARBARA,

## VIRGINE ET MARTYRE,

### AD IMPETRANDAM FELICEM MORTEM.

### AD MATUTINUM.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Fatalis o agonis
 Patrona Barbara,
Cœlestibus coronis,
 Gemmisque fulgida!
Me terret imminente
 Mors certa spiculo
Sed, Virgo, te favente,
 Sum par periculo.

*Ant.* Sponsabo te mihi in sempiternum; et sponsabo te mihi in justitia et judicio, et in misericordia, et in miserationibus. *Osee. 2. 19.*

℣. Ora pro nobis, sancta Virgo et Martyr Barbara.

℟. Ut felix nobis sit mortis hora.

OREMUS.

Intercessio, quæsumus, Domine, sanctæ virginis et martyris tuæ Barbaræ nos adjuvet: ut qui ejus patrocinium in angustiis et necessitatibus nostris imploramus, auxilium quoque in hora potissimum mortis experiamur. Per Dominum nostrum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

## AD PRIMAM.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Tu vincis innocenti
  Candore lilia,
Per prata quæ nitenti
  Stant lacte turgida.
Da candido nitore
  Ut, Virgo, fulgeam,
Castoque fac amore
  Ut purus ardeam.

*Ant.* Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, nec flumina obruent illam. *Cant. 8. 7.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 279.*

## AD TERTIAM.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Dum proprio cruore
  Aspersa pingeris,
Vincis rosas rubore,
  Quæ stant in hortulis.
O cœlico vireto
  Plantate floscule!
Hoc orbis in vepreto,
  Me, quæso, respice.

*Ant.* Hæc est quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum. *Sap. 3. 13.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 279.*

## AD SEXTAM.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ut axe sunt sereno
  Nocturna sidera,
Ut vere sunt amœno
  Jucunda flumina;
Sic, Virgo, charitatis
  Es luce fulgida,
Sic, Virgo, puritatis
  Es rore limpida.

*Ant.* O quam pulchra est casta generatio cum claritate! immortalis est enim memoria illius; quoniam et apud Deum nota est, et apud homines. *Sap. 4. 1.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 279.*

## AD NONAM.

Diffusa est gratia in labiis tuis: propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Te sentiunt patronam
Quos morbus opprimit,
Te sublevare pronam
Quos cura deserit.
Angore cum supremo
Me morbus opprimet;
Succurre, quando nemo
Levamen adferet.

*Ant.* Liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui de manibus quærentium animam meam, et de portis tribulationum, quæ circumdederunt me. *Eccli. 51. 4.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 279.*

## AD VESPERAS.

Diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Cum ferreo sopore
Mors membra vinciet,
Et tartarus furore
Bacchante sæviet:
Dum Judicis severi
Tribunal horreo,
Tum, Virgo, me tueri
Ne differ, obsecro.

*Ant.* Media nocte clamor factus est : Ecce sponsus venit, exite obviam ei. *Matth. 25. 6.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 279.*

## AD COMPLETORIUM.

Diffusa est gratia in labiis tuis : propterea benedixit te Deus in æternum.

v. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

v. Deus, in adjutorium.

v. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Amabo te, sanabo,
Dum vita manserit,
Magisque prædicabo,
Cum vita cesserit:
Interque lilieta
Cum me receperis,
Queis gaudiis repleta,
O Virgo, pasceris.

*Ant.* Jam hiems transiit, imber abiit et recessit: Surge, amica mea, speciosa mea, et veni. *Cant. 2. 11, 13.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 279.*

OBLATIO.

Admitte nostra vota,
O sancta Barbara,
Profecta mente tota,
Patrona maxima:
Exopto te videre,
Cum cesso vivere;
Tunc, oro, me tuere,
Cœloque suscipe.
Amen.

## SEPTEM PETITIONES PER PATROCINIUM S. BARBARÆ.

I. *Ad contemnendas mundi vanitates.*

O gratiosa virgo, S. Barbara, quæ in primæ ætatis tuæ flore, spretis omnibus mundi deliciis et vanitatibus, te totam virtutis studio tradidisti; ora pro me ut et ego animum a noxiis hujus mundi studiis avocem. Christique servitio me totum impendam. Amen.

Pater noster.

II. *Ad donum castitatis impetrandum.*

O dilecta Christi sponsa, S. Barbara, quæ virginalem castitatem Jesu Christo in sempiternum obsequium obtulisti : ora pro me, ut et ego eidem Domino meo Jesu Christo casto semper corpore, et mundo corde placere studeam. Amen.

Pater noster.

III. *Ad cognitionem Dei impetrandam.*

O virgo sapiens et prudens, S. Barbara, quæ singularem sanctissimæ Trinitatis cognitionem a Deo es adepta, eamdemque infidelibus communicasti; ora pro me, ut et ego pariter in eadem Dei cognitione ad ipsius gloriam, meamque salutem magis in dies proficiam. Amen.

Pater noster.

IV. *Ad impetrandam constantiam in virtutibus.*

O clara virtute martyr, S. Barbara, quæ in fide, spe et charitate constans ad mortem usque perstitisti : ora pro me, gratiamque constantiæ in tam salutarium virtutum exercitio impetra: donec me Deus ex instabili hujus vitæ cursu in regnum suum transferat. Amen.

Pater noster.

V. *Ad impetrandam opem in morbis.*

O electa Christi famula, S. Barbara, cujus lethalia vulnera Jesus in carcere attactu manuum suarum curavit: ora pro me, ut et idem Salvator meus Jesus me in infirmitatibus meis invisere, omniaque tam corporis, quam animæ vulnera curare dignetur. Amen.

Pater noster.

VI. *Ad impetrandam fortitudinem in adversis.*

O Ecclesiæ heroïna, S. Barbara, quæ virili fortitudine probra, cruciatus et tormenta omnia amore Christi subiisti: ora pro me, ut et ego omnes hujus vitæ ærumnas æquo semper animo excipiam, patienterque perferam. Amen.

Pater noster.

VII. *Ad impetranda in extremis Sacramenta.*

O singulare morientium solatium, S. Barbara, cui præ reliquis Sanctis hæc a Deo gratia miseris in agone subveniendi concessa est: ora pro me, ut non nisi omnibus Ecclesiæ Sacramentis rite munitus, ex hac vita emigrare merear. Amen.

Pater noster.

# XXVII.

## FERIA VI, SEU DIE VENERIS.

# OFFICIUM PARVUM DE VII. DOLORIBUS

## BEATÆ VIRGINIS.

Gemitus Matris tuæ ne obliviscaris. *Eccli. 7. 29.*

### AD MATUTINUM.

I. DOLOR EX SIMEONIS VATICINIO.

*Luc. 2.*

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur :* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ cor tuum gladio
Transfigendum audis tristi
Senis vaticinio.
Tanti memor fac doloris,
Mihi sis præsidio,
Ut post vallem hanc mœroris
Cœli reddar gaudio.

*Ant.* Cui comparabo te vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? cui exæquabo te, et consolabor te, Virgo, filia Sion? magna est enim velut mare contritio tua. *Thren. 2. 13.*

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.

℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes. *Luc. 2. 35.*

OREMUS.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Domine Jesu Christe, nunc et in hora mortis nostræ apud tuam clementiam B. Virgo Maria, Mater tua, cujus sacratissimam animam in hora tuæ passionis doloris gladius pertransivit. Per te, Jesu Christe, Salvator mundi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas in sæcula sæculorum.
℟. Amen.

## AD PRIMAM.

II. DOLOR EX FUGA IN ÆGYPTUM.

Ave, Maria.
℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ præ regis furia
Sæviente, corde tristi,
Fugis exul patria.
O Regina beatorum,
Nostri spes exilii,
Fac, infractus vi malorum
Fiam consors Filii.

*Ant.* Vide, Domine, quoniam tribulor, conturbatus est venter meus; subversum est cor meum in memetipsa, quoniam amaritudine plena sum: foris interficit gladius, et domi mors similis est. *Thren. 2.*

℣. Domine, ante te omne desiderium meum.

℟. Et gemitus meus a te non est absconditus.

OREMUS.

Interveniat pro nobis, etc. *ut supra.*

## AD TERTIAM.

III. DOLOR EX AMISSO DUODENNI FILIO.

Ave, Maria.
℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Natum lugens inclytum:
O quam tristis quæsivisti
Triduo jam perditum!
Hujus memor o doloris,
Christum fac inveniam,
Et inventum per amoris
Nexum semper teneam.

*Ant.* Plorans ploravit in nocte, et lacrymæ ejus in maxillis ejus : non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus. *Thren.1. 2.*

℣. Posuisti me desolatam.

℟. Tota die mœrore confectam. *Thren.1. 13.*

OREMUS.

Interveniat, etc. *pag. 284.*

## AD SEXTAM.

IV. DOLOR EX CAPTIVITATE, FLAGELLATIONE, CORONATIONE ET BAJULATIONE CRUCIS CHRISTI.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ dilectum Filium
Capi, cædi, flens vidisti,
Manibus crudelium.
O per pœnas patientis,
Nobis sit impunitas:
Per amorem condolentis
Matris crescat charitas!

*Ant.* Vide, Domine, afflictionem meam, quoniam erectus est inimicus. Manum suam misit hostis ad omnia desiderabilia mea. *Thren.1. 9, 10.*

℣. Quia dabit capiti meo aquam, et oculis meis fontem lacrymarum.

℟. Et plorabo die ac nocte.

OREMUS.

Interveniat, etc. *pag. 284.*

## AD NONAM.

V. DOLOR EX CRUCIFIXIONE.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ sub Crucis arbore
Gemens, Natum morti tristi
Vides, heu! succumbere,
O per ensem hunc doloris,
Qui tunc scidit animam,
Fac me firmet vis amoris
Mortis ad victoriam.

*Ant.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor, sicut dolor meus. *Thren. 1. 12.*

℣. Plauserunt super te manibus omnes transeuntes per viam.

℟. Sibilaverunt et moverunt caput suum super filiam Jerusalem. *Thren. 2. 15.*

OREMUS.

Interveniat, etc. *pag. 284.*

## AD VESPERAS.

**VI. DOLOR EX CORPORIS E CRUCE SUBLATIONE.**

Ave, Maria.
℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi
Quæ de Cruce mortuum
Ulnis Natum suscepisti,
Madens unda fletuum.
Eja, præstet vis doloris,
Mater plena gratiæ,
Ut supremis server horis
Gremio clementiæ.

*Ant.* Ne vocetis me Noemi (id est pulchram), sed vocate me Mara (id est amaram), quia amaritudine valde me replevit Omnipotens. *Ruth. 1. 20.*

℣. Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi.

℟. Inter ubera mea commorabitur. *Cant. 1. 12.*

OREMUS.

Interveniat, etc. *pag. 284.*

## AD COMPLETORIUM.

**VII. DOLOR EX SEPULTURA.**

Ave, Maria.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ave, dulcis Mater Christi,
Quæ sepulchro conditum
Plangis Natum, heu! quam tristi
Mente volvens obitum.
In virtute tot dolorum,
Quos tulisti fortiter,
Omnem contra vim malorum
Stare nos viriliter,
Demum sorte beatorum
Fac gaudere jugiter.

*Ant.* Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas : quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. *Thr. 1. 16.*

℣. Defecerunt præ lacrymis oculi mei.

℟. Conturbata sunt viscera mea. *Thren. 2. 11.*

OREMUS.

Interveniat, etc. *pag. 284.*

COMMENDATIO.

Has horas canonicas cum devotione,
Tibi, Virgo, recolo pia ratione,
Ut materni pectoris ex compassione,
Mihi sis auxilio mortis in Agone.
Amen.

## LITANIÆ DE SEPTEM DOLORIBUS B. V. MARIÆ.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Mater dolorosa, ora pro nobis.
Cui in diversorio non fuit locus,
Quæ in stabulum divertere coacta es,
Quæ primogenitum tuum in præsepio collocasti,
Quæ circumcisionem Filii tui commiserata aspexisti,
Quæ Filium tuum in signum, cui contradicetur, esse positum audivisti,
Quæ tuam animam gladio transfodiendam audivisti,
Quæ cum Filio in Ægyptum fugere debuisti,
Quæ cæde Innocentium doluisti,
Quæ duodennem Filium in templo amissum, triduo dolens quæsivisti,

Ora pro nobis.

Quæ constans Judæorum in Filium tuum odium sensisti,
Quæ in die ultimæ cœnæ Filio Hierosolymam ad passionem eunti tristissimum vale dixisti,
Quæ Filium a Juda porditum, et captivum abductum cognovisti,
Quæ Filium tamquam facinorosum principibus Sacerdotum traditum vidisti,
Quæ Filium falso accusatum audivisti,
Quæ benedictam Filii faciem terribili alapa cæsam intellexisti,
Quæ Filium a Judæis et lictoribus crudelissime tractatum audivisti,
Quæ Filium Barabbæ postponi audivisti,
Quæ Filium flagellis cæsum et spinis coronatum conspexisti,
Quæ iniquissimam in Filium sententiam pronuntiari audivisti,
Quæ Filio crucis pondere onusto obviam ivisti,
Quæ benedictas Filii manus et pedes horrendis

Ora pro nobis.

clavis transfigi audivisti,
Quæ suprema Filii tui verba in cruce excepisti,
Quæ Filio in agone adstitisti,
Quæ exanime Filii corpus de cruce depositum materno gremio excepisti,
Quæ a sepulto Filio corpore tota tristis et desolata domum rediisti,
O regina martyrum,
O speculum afflictorum,
O solatium infirmorum,
O fortitudo pusillanimorum,
O refugium peccatorum,

Ora pro nobis.

Per amarissimam passionem et mortem Filii tui, libera nos, o Regina Martyrum.
Per acerbissimos dolores cordis tui,
Per summam tristitiam et desolationem tuam,
Per maximas angustias tuas,
Per gemitus et lacrymas tuas,
Per maternam compassionem tuam,
Per potentissimum patrocinium tuum,
Ab immoderata tristitia,
A pusillanimitate,
Ab omni occasione et periculo peccati,
Ab insidiis diaboli,
A duritia cordis,

Libera nos, o Regina Martyrum.

Ab impœnitentia, libera nos, o Regina Martyrum.
A subitanea et improvisa morte, libera nos, o Regina Martyrum.
Ab æterna damnatione, libera nos, o Regina Martyrum.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nos in vera fide, spe et charitate, patrocinio tuo conservare digneris,
Ut nobis a Filio tuo perfectum de peccatis dolorem et pœnitentiam impetrare digneris,
Ut invocantibus te consolationem et opem ferre digneris,
Ut in agone mortis nobis succurrere digneris,
Ut beatum nobis vitæ exitum impetrare digneris,

Te rogamus, audi nos.

Mater Dei,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie, eleison.
Pater noster. Ave, Maria.

℣. In omni tribulatione et angustia.

℟. Succurre nobis, beatissima Virgo Maria.

OREMUS.
Interveniat, etc. *pag. 284*

---

## PLANCTUS BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*(Ind.)* Stabat Mater dolorosa,
Juxta crucem lacrymosa,
Dum pendebat Filius.
Cujus animam gementem,
Contristatam et dolentem
Pertransivit gladius.
O quam tristis et afflicta
Fuit illa benedicta
Mater Unigeniti!
Quæ mœrebat, et dolebat,
Pia Mater dum videbat
Nati pœnas inclyti.
Quis est homo, qui non fleret,
Matrem Christi si videret
In tanto supplicio!
Quis non posset contristari,
Christi Matrem contemplari
Dolentem cum Filio?
Pro peccatis suæ gentis,
Vidit Jesum in tormentis,
Et flagellis subditum.
Vidit suum dulcem Natum,
Morientem, desolatum,
Dum emisit spiritum.
Eja, Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, ut tecum lugeam.
Fac ut ardeat cor meum
In amando Christum Deum
Ut sibi complaceam.
Sancta Mater, istud agas,
Crucifixi fige plagas
Cordi meo valide.
Tui Nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum divide.
Fac me tecum pie flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Juxta crucem tecum stare,
Et me tibi sociare
In planctu desidero.
Virgo virginum præclara,
Mihi jam non sis amara,
Fac me tecum plangere.
Fac ut portem Christi mortem,
Passionis fac consortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Fac me cruce inebriari,
Et cruore Filii.
Flammis ne urar succensus,
Per te, Virgo, sim defensus
In die judicii.
Christe, cum sit hinc exire,
Da per Matrem me venire
Ad palmam victoriæ.

Quando corpus morietur,
Fac ut animæ donetur
Paradisi gloria. Amen.

℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransibit.

℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.

OREMUS.

Interveniat, etc. *pag. 284.*

# XXVIII.

## DIE SABBATI.

# OFFICIUM PARVUM DE S. JOSEPHO,

## SPONSO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

### AD MATUTINUM.

Salve, Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, cui panem vitæ et frumentum electorum conservasti.

℣. Domine, labia mea aperies.

℟. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*A Septuagesima usque ad Pascha, loco* Alleluia, *dicitur:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

HYMNUS.

Magne Joseph, Fili David,
Custos date Virgini,
Quem et Virgo nuncupavit
Patrem Christi Domini:
Qui fidelis servus Dei
Datus es familiæ,
Precor, velis curam mei
Tamquam pater gerere.

*Ant.* Constituit eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. *Ps. 104. 20.*

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Sanctissimæ Genitricis tuæ Sponsi, quæsumus, Domine, meritis adjuvemur; ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis interces-

sione donetur. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

## AD PRIMAM.

Salve, Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, cui panem vitæ et frumentum electorum conservasti.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Cum ferentem castam Matrem,
Conspexisses uterum,
Et nescires tamen Patrem,
Cor gerebas anxium;
Sed de cœlo mox instructus,
Posuisti dubium,
Fac ut omnis meus luctus
Transeat in gaudium.

*Ant.* Joseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. *Matth. 1. 20.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 290.*

## AD TERTIAM.

Salve, Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, cui panem vitæ et frumentum electorum conservasti.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Dum in Bethlem profecturus
Pergeres cum Virgine,
Deus nobis par futurus,
Natus est in tempore.
Quem in fœno collocatum
Coluisti gnaviter,
Nunc in cœlo elevatum
Ora pro me jugiter.

*Ant.* Ascendit Joseph a Galilæa de Nazareth in Judæam in civitatem David, quæ vocatur Bethlehem, cum Maria desponsata sibi uxore prægnante. *Luc. 2. 4. 5.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 290.*

## AD SEXTAM.

Salve, Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, cui panem vitæ et frumentum electorum conservasti.

℣. Deus in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Vim Herodis evasisti,
Monitus ab Angelo,

In Ægyptum cum duxisti
Virginem cum parvulo:
Per mœrorem, quem tulisti
Isto in exilio,
Cum gravabor hora tristi,
Mihi sis auxilio.

*Ant.* Surge, et accipe puerum et Matrem ejus, et fuge in Ægyptum, et esto ibi, usque dum dicam tibi: futurum est enim, ut Herodes quærat puerum ad perdendum eum. *Matth. 2. 13.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 290.*

## AD NONAM.

Salve, Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, cui panem vitæ et frumentum electorum conservasti.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Ex Ægypto cum defessus
Galilæam peteres,
Es in Nazareth digressus,
Ut securus degeres
In florentis hortum mentis
Amas Jesum ducere:
Da, florescat et mitescat
Hortus meæ animæ.

*Ant.* Et consurgens ex Ægypto accepit puerum et Matrem ejus, et venit in terram Israel, et habitavit in civitate, quæ vocatur Nazareth. *Matth. 2. 21. 23.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 290.*

## AD VESPERAS.

Salve, Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, cui panem vitæ et frumentum electorum conservasti.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Quam dolebas, cum quærebas
Duodennem Jesulum!
Sed inventus, et retentus
Auxit ille gaudium.
Jesum, lumen oculorum,
Fac me nunquam perdere!
Semper puritate morum
Menti adsit integræ.

*Ant.* Fili, quid fecisti nobis sic! Ecce Pater tuus et ego dolentes quærebamus te. *Luc. 2. 48.*

V. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 290.*

## AD COMPLETORIUM.

Salve, Patriarcharum decus, et Ecclesiæ sanctæ Dei œconome, cui panem vitæ et frumentum electorum conservasti.

℣. Converte nos, Deus, salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Inter Jesu et Mariæ
Manus integerrimas,
Spiritum emittis pie,
Hinc ad sedes superas.
Eja, Jesu et Mariæ
Te conjunge tertium,
Quando me suprema die
Mors citabit anxium.

*Ant.* In pace in idipsum dormiam et requiescam: quoniam te, Domine, singulariter in spe constituisti me. *Ps. 4. 9.*

℣. Ora pro nobis, etc. *cum Oratione, pag. 290.*

COMMENDATIO.

Cliens tibi dedicatus
Solvit hoc officium;
Ejus votis tu vocatus
Redde beneficium;
Ut post hujus vitæ metam,
Tuo patrocinio,
Tecum vivam vitam lætam
Cœli in palatio.
Amen.

---

## LITANIÆ DE S. JOSEPHO.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas, unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, sponsa Joseph, ora pro nobis.

*Ora pro nobis.*

Sancte Joseph, sponse Mariæ Virginis,
Tutor et nutritie Jesu,
Vir secundum cor Dei,
Fidelis servus et prudens,
Custos virginitatis Mariæ,
Comes et solatium Mariæ,
In virginitate mundissime,
In humilitate profundissime,
In charitate ardentissime,
In contemplatione altissime,
Qui vir justus ipsius Spiritus sancti testimonio comprobatus es,
Qui in divinis mysteriis præ omnibus illuminatus fuisti,
Qui de sacro incarnati Verbi mysterio cœlitus edoctus es,

*Ora pro nobis.*

Qui cum Maria desponsata tibi conjuge prægnante in Bethlehem profectus es,
Qui non inveniens locum in diversorio, ad stabulum divertisti,
Qui Christo nascenti, positoque in præsepio adesse meruisti,
Qui Jesu sanguinem in circumcisione excepisti,
Qui puerum Jesum in templo cum Maria Matre Domino præsentasti,
Qui, Angeli monitu accepto, cum puero et Matre ejus in Ægyptum fugisti,
Qui, defuncto Herode, cum puero et Matre ejus in terram Israel rediisti,
Qui amissum in Jerusalem filium triduo cum Maria Matre ejus dolens quæsivisti,
Qui post triduum sedentem illum inter Doctores gaudens invenisti,
Qui Dominum dominantium tibi in terris subditum habuisti,
Cujus laus est in Evangelio : Vir Mariæ, de qua natus est Jesus,

Ora pro nobis.

Advocate noster, audi nos, S. Joseph.
Patrone noster, exaudi nos, S. Joseph.

In omnibus necessitatibus nostris, adjuva nos, S. Joseph.
In omnibus angustiis nostris,
In hora mortis nostræ,
Per castissimam desponsationem tuam,
Per paternam curam et fidem tuam,
Per labores et sudores tuos,
Per omnes virtutes tuas,
Per summum honorem et sempiternam beatitudinem tuam,
Per fidelem intercessionem tuam,

Adjuva nos, S. Joseph.

Clientes tui, te rogamus, audi nos.
Ut a Jesu peccatorum nostrorum veniam nobis impetrare digneris,
Ut Jesu et Mariæ fideliter nos commendare digneris,
Ut omnibus in virginali et conjugali statu viventibus, convenientem castitatem impetrare digneris,
Ut omnibus congregationibus perfectum amorem et concordiam impetrare digneris,
Ut præsidibus et prælatis omnibus in subditorum suorum gubernatione adesse digneris,

Te rogamus, audi nos.

Ut patribus familias in christiana liberorum educatione opitulari digneris,
Ut omnes de tuo patrocinio confidentes protegere digneris,
Ut congregationibus tuo nomine et patrocinio institutis paterno semper auxilio subvenire digneris,
Ut cum Jesu et Maria in extremo vitæ articulo nos invisere et præsto esse digneris,
Ut omnibus fidelibus defunctis intercessionis tuæ suffragio succurrere digneris,
O caste Mariæ sponse,
O fidelis Jesu nutritie,
Sancte Joseph,

Te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Jesu,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Jesu,
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis, Jesu.
Jesu Christe, audi nos.
Jesu Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Ora pro nobis, beatissime Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui S. Josephum in sponsum B. Mariæ semper Virginis, et Filii tui dilecti Domini nostri Jesu Christi tutorem et nutritium elegisti: te supplices exoramus, animæ et corporis puritatem ejus nobis patrocinio concede propitius; ut puri ab omni macula, et veste nuptiali ornati, ad cœli nuptias admittamur. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

## EXERCITIUM

### SINGULARIS DEVOTIONIS ERGA S. JOSEPHUM, CONSISTENS IN QUINQUE ORATIONIBUS.

#### I. ORATIO, QUA S. JOSEPH IN PATRONUM ELIGITUR.

O S. Joseph, Redemptoris mei Christi Jesu fidelis œconome ac nutritie, castissime Virginis Deiparæ sponse! Ego NN. te hodie in patronum et advocatum meum singularem eligo, firmiterque propono, me numquam te derelicturum, nec permissurum, ut a quoquam ex meis subditis aliquid contra tuum honorem agatur. A te igitur peto suppliciter, ut me in clientem perpetuum suscipere, in rebus dubiis instruere, in adversis solari, in hora denique mortis defendere ac protegere digneris. Amen.

#### II. ORATIO, AD IMPETRANDAM D. JOSEPHI INTERCESSIONE GRATIAM PIE COMMUNICANDI.

O beatissime Joseph, quanta tibi a Deo gratia concessa est, quod unigenitum ejus Filium in carne (quem tot reges videre frustra exoptarunt) non tantum videris, sed et brachiis paterno affectu amplexus fueris! Utinam ego hoc tuo exemplo inflammatus, et patrocinio adjutus, Dominum ac Redemptorem meum Christum Jesum simili amoris ac reverentiæ affectu complectar in sanctissimo Altaris Sacramento, quo merear eumdem posthac æternum complecti in cœlis. Amen.

#### III. ORATIO, UT S. JOSEPHUM IN VIA VITÆ HUJUS DUCEM ET COMITEM IMPETREMUS.

O S. Joseph, qui tamquam pater et manuductor Christum Jesum in pueritia et juventute per omnes peregrinationis humanæ vias fidelissime deduxisti: mihi, obsecro, in vitæ meæ peregrinatione tamquam comes et ductor assiste, nec umquam permitte, me a via mandatorum Dei declinare: sis in adversis præsidium, in ærumnis solatium; donec tandem ad terram viventium perveniam, ubi tecum et sanctissima sponsa tua Maria, omnibusque Sanctis æternum in Deo Jesu meo exultem. Amen.

IV. ORATIO, AD QUÆLIBET D. JOSEPHI INTERCESSIONE IMPETRANDA.

O S. Joseph, cui Jesus hic in terris sese subjecit, prompteque obedivit, quemque singulari semper honore et amore prosecutus est: quomodo idem in cœlis, ubi tua nunc remunerantur merita, quidquam tibi denegabit? Ora pro me, o S. Joseph, gratiamque impetra, imprimis ut peccata omnia serio detester et fugiam, præsertim ista NN., vitam in melius, emendem constanterque me virtutum studio impendam, præsertim istarum NN. Ab his NN. tentationibus et peccandi occasionibus, quibus anima mea in periculum damnationis induci posset, et ab afflictione ac miseria hac N. (nisi divinæ id voluntati, meæque saluti adversetur) liberer. In his tamen et aliis omnibus, totum me divino arbitrio et dispositioni, tuæque paternæ fidei, o S. Joseph, subjicio et committo. Amen.

V. ORATIO, PRO FELICI MORTE IMPETRANDA.

O S. Joseph, qui in suavissimo Jesu clientis tui, et dulcissimæ sponsæ tuæ Mariæ complexu ex hac vita emigrasti: succurre mihi, o S. Pater, cum Jesu et Maria, tunc potissimum, quando mors vitæ meæ finem imponet; illudque (quod unice peto) solatium mihi impetra, ut in iisdem sanctissimis Jesu et Mariæ brachiis expirem. In manus vestras vivens et moriens commendo spiritum meum, Jesu, Maria, Joseph. Amen.

COELESTE

# PALMETUM.

## PARS TERTIA.

EXERCITIA PIETATIS VARIA,

QUÆ VEL QUOTIDIE, VEL PRO DIVERSIS RERUM TEMPORIBUS, AUT SINGULARI FIDELIUM DEVOTIONE RECITARI CONSUEVERUNT.

## XXIX.

## *(Ind.)* OFFICIUM B. MARIÆ VIRGINIS

PER ANNUM.

*A prima die post Festum* Purificationis *usque ad primas Vesperas Adventus Officium dicitur ut infra. In festo* Annuntiationis *dicitur ut in Adventu.*

### AD MATUTINUM.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui Jesus. Sancta Maria, Mater Dei, ora pro nobis peccatoribus, nunc, et in hora mortis nostræ. Amen.

℣. Domine, labia mea aperies.

℞. Et os meum annuntiabit laudem tuam.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℞. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, et Filio et Spiritui sancto.

℞. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Alleluia.

*Loco* Alleluia *dicitur hic et in omnibus Horis, a primis Vesperis Dominicæ Septuagesimæ usque ad pri-*

*mas Vesperas Paschæ:* Laus tibi, Domine, Rex æternæ gloriæ.

INVITATORIUM.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.

REPETITIO.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.

*Tempore Paschali additur ad libitum huic Invitatorio, aliisque Antiphonis, Versiculis et Responsoriis:* Alleluia.

PS. 94. EXHORTATIO AD DEI LAUDES DECANTANDAS.

Venite, exultemus Domino, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: et altitudines montium ipse conspicit.

Dominus tecum.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus: Venite, adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri; probaverunt, et viderunt opera mea.

Dominus tecum.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: Semper hi errant corde: ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.

Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper, et in sæcula sæculorum. Amen. Dominus tecum. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum.

HYMNUS.

Quem terra, pontus, sidera
Colunt, adorant, prædicant,
Trinam, regentem machinam
Claustrum Mariæ bajulat.

Cui luna, sol, et omnia
Deserviunt per tempora,
Perfusa cœli gratia,
Gestant puellæ viscera.

Beata Mater, munere
Cujus supernus artifex,
Mundum pugillo continens,
Ventris sub arca clausus est.
Beata cœli nuntio,
Fœcunda sancto Spiritu,
Desideratus gentibus,
Cujus per alvum fusus est.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

*Tres sequentes Psalmi dicuntur ad Matutinum diebus Dominicis, Lunæ et Jovis.*

*Asteriscus* denotat pausam cantus in Choro.*

*Ant.* Benedicta tu.

PS. 8. LAUS DIVINÆ POTENTIÆ ET BONITATIS.

Domine Dominus noster,* quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Quoniam elevata est magnificentia tua: * super cœlos.

Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos: * ut destruas inimicum et ultorem.

Quoniam videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: * lunam et stellas, quæ tu fundasti.

Quid est homo, quod memor es ejus? * aut filius hominis, quoniam visitas eum?

Minuisti eum paulo minus ab Angelis, gloria et honore coronasti eum: * et constituisti eum super opera manuum tuarum.

Omnia subjecisti sub pedibus ejus: * oves et boves universas, insuper et pecora campi.

Volucres cœli, et pisces maris: * qui perambulant semitas maris.

Domine Dominus noster: * quam admirabile est nomen tuum in universa terra!

Gloria Patri.

*Ant.* Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui.

*Ant.* Sicut myrrha electa.

PS. 18. COGNITIO DEI EX ORNATU CŒLORUM.

Cœli enarrant gloriam Dei: * et opera manuum ejus annuntiat firmamentum.

Dies diei eructat verbum: * et nox nocti indicat scientiam.

Non sunt loquelæ, neque sermones: * quorum non audiantur voces eorum.

In omnem terram exivit sonus eorum: * et in fines orbis terræ verba eorum.

In sole posuit tabernaculum suum: * et ipse tamquam sponsus procedens de thalamo suo.

Exultavit ut gigas ad cur-

rendam viam : * a summo cœlo egressio ejus.

Et occursus ejus usque ad summum ejus :* nec est qui se abscondat a calore ejus.

Lex Domini immaculata, convertens animas : * testimonium Domini fidele, sapientiam præstans parvulis.

Justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda : * præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor Domini sanctus, permanens in sæculum sæculi:* judicia Domini vera, justificata in semetipsa.

Desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum multum : * et dulciora super mel et favum.

Etenim servus tuus custodit ea: * in custodiendis illis retributio multa.

Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me:* et ab alienis parce servo tuo.

Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero: * et emundabor a delicto maximo.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei : * et meditatio cordis mei in conspectu tuo semper.

Domine adjutor meus, * et redemptor meus.

Gloria Patri.

*Ant.* Sicut myrrha electa odorem dedisti suavitatis, sancta Dei Genitrix.

*Ant.* Ante torum.

PS. 23. GLORIA DEI, ET CHRISTI ASCENDENTIS.

Domini est terra et plenitudo ejus : * orbis terrarum, et universi qui habitant in eo.

Quia ipse super maria fundavit eum :* et super flumina præparavit eum.

Quis ascendet in montem Domini : * aut quis stabit in loco sancto ejus ?

Innocens manibus et mundo corde : * qui non accepit in vano animam suam, nec juravit in dolo proximo suo.

Hic accipiet benedictionem a Domino * et misericordiam a Deo salutari suo.

Hæc est generatio quærentium eum :* quærentium faciem Dei Jacob.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ: * Dominus fortis et potens, Dominus potens in prælio.

Attollite portas principes vestras, et elevamini portæ æternales : * et introibit Rex gloriæ.

Quis est iste Rex gloriæ:

* Dominus virtutum ipse est Rex gloriæ.

Gloria Patri.

*Ant.* Ante torum hujus virginis frequentate nobis dulcia cantica dramatis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

*Absolutio.* Precibus et meritis, etc. *ut infra, pag. 306. cum sequentibus lectionibus.*

*Tres Psalmi sequentes dicuntur ad Matutinum diebus Martis et Veneris.*

*Ant.* Specie tua.

PS. 44. EPITHALAMIUM CHRISTI ET ECCL. VEL B. M. V.

Eructavit cor meum verbum bonum : * dico ego opera mea Regi.

Lingua mea calamus scribæ, * velociter scribentis.

Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa est gratia in labiis tuis : * propterea benedixit te Deus in æternum.

Accingere gladio tuo super femur tuum : * potentissime.

Specie tua et pulchritudine tua : * intende, prospere procede, et regna.

Propter veritatem, et mansuetudinem, et justitiam : * et deducet te mirabiliter dextera tua.

Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadent : * in corda inimicorum Regis.

Sedes tua Deus in sæculum sæculi : * virga directionis virga regni tui.

Dilexisti justitiam, et odisti iniquitatem : * propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.

Myrrha, et gutta, et casia a vestimentis tuis, a domibus eburneis : * ex quibus delectaverunt te filiæ regum in honore tuo.

Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato : * circumdata varietate.

Audi, filia, et vide, et inclina aurem tuam : * et obliviscere populum tuum, et domum patris tui.

Et concupiscet Rex decorem tuum : * quoniam ipse est Dominus Deus tuus, et adorabunt eum.

Et filiæ Tyri in muneribus * vultum tuum deprecabuntur omnes divites plebis.

Omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus : * in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.

Adducentur Regi virgines post eam : * proximæ ejus afferentur tibi.

Afferentur in lætitia et exultatione : * adducentur in templum Regis.

Pro patribus tuis nati sunt

tibi filii : * constitues eos principes super omnem terram.

Memores erunt nominis tui : * in omni generatione et generationem.

Propterea populi confitebuntur tibi in æternum : * et in sæculum sæculi.

Gloria Patri.

*Ant.* Specie tua et pulchritudine tua intende, prospere procede, et regna.

*Ant.* Adjuvabit eam.

### PS. 45. FIRMITER IN ARDUIS DEO FIDENDUM.

Deus noster refugium et virtus: * adjutor in tribulationibus, quæ invenerunt nos nimis.

Propterea non timebimus dum turbabitur terra : * et transferentur montes in cor maris.

Sonuerunt, et turbatæ sunt aquæ eorum : * conturbati sunt montes in fortitudine ejus.

Fluminis impetus lætificat civitatem Dei: * sanctificavit tabernaculum suum Altissimus.

Deus in medio ejus, non commovebitur : * adjuvabit eam Deus mane diluculo.

Conturbatæ sunt gentes, et inclinata sunt regna: * dedit vocem suam, mota est terra.

Dominus virtutum nobiscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Venite et videte opera Domini, quæ posuit prodigia super terram : * auferens bella usque ad finem terræ.

Arcum conteret, et confringet arma, * et scuta comburet igni.

Vacate, et videte quoniam ego sum Deus : * exaltabor in gentibus, et exaltabor in terra.

Dominus virtutum nobiscum : * susceptor noster Deus Jacob.

Gloria Patri.

*Ant.* Adjuvabit eam Deus vultu suo: Deus in medio ejus, non commovebitur.

*Ant.* Sicut lætantium.

### PS. 86. LAUS URBIS SOLYMÆÆ ECCLESIÆ ET B. VIRGINIS.

Fundamenta ejus in montibus sanctis ; * diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob.

Gloriosa dicta sunt de te: * civitas Dei.

Memor ero Rahab , et Babylonis : * scientium me.

Ecce alienigenæ , et Tyrus, et populus Æthiopum: * hi fuerunt illic.

Numquid Sion dicet : Homo, et homo natus est in ea : * et ipse fundavit eum Altissimus.

Dominus narrabit in scri-

pturis populorum et principum, * horum, qui fuerunt in ea.

Sicut lætantium omnium * habitatio est in te.

Gloria Patri.

*Ant.* Sicut lætantium omnium nostrum habitatio est in te, sancta Dei Genitrix.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

*Absolutio.* Precibus et meritis. etc. *ut infra, pag. 306. cum sequentibus lectionibus.*

*Tres Psalmi sequentes dicuntur ad Matutinum diebus Mercurii et Sabbati.*

*Ant.* Gaude, Maria Virgo.

PS. 95. LAUDANDUS DEUS, QUI PER CHRISTUM NOS REDEMIT.

Cantate Domino canticum novum : * cantate Domino omnis terra.

Cantate Domino, et benedicite nomini ejus : * annuntiate de die in diem salutare ejus.

Annuntiate inter gentes gloriam ejus : * in omnibus populis mirabilia ejus.

Quoniam magnus Dominus, et laudabilis nimis : * terribilis est super omnes deos.

Quoniam omnes dii gentium dæmonia : * Dominus autem cœlos fecit.

Confessio et pulchritudo in conspectu ejus : * sanctimonia et magnificentia in sanctificatione ejus.

Afferte Domino, patriæ gentium, afferte Domino gloriam et honorem : * afferte Domino gloriam nomini ejus.

Tollite hostias, et introite in atria ejus : * adorate Dominum in atrio sancto ejus.

Commoveatur a facie ejus universa terra : * dicite in gentibus, quia Dominus regnavit.

Etenim correxit orbem terræ, qui non commovebitur : * judicabit populos in æquitate.

Lætentur cœli, et exultet terra, commoveatur mare, et plenitudo ejus : * gaudebunt campi, et omnia quæ in eis sunt.

Tunc exultabunt omnia ligna silvarum a facie Domini quia venit : * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terræ in æquitate : * et populos in veritate sua.

Gloria Patri.

*Ant.* Gaude, Maria Virgo; cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo.

*Ant.* Dignare me.

PS. 96. CHRISTI AD JUDICIUM EXTREMUM ADVENTUS.

Dominus regnavit, exultet terra : * lætentur insulæ multæ.

Nubes et caligo in circuitu ejus : * justitia et judicium correctio sedis ejus.

Ignis ante ipsum præcedet : * et inflammabit in circuitu inimicos ejus.

Illuxerunt fulgura ejus orbi terræ: * vidit, et commota est terra.

Montes sicut cera fluxerunt a facie Domini: * a facie Domini omnis terra.

Annuntiaverunt cœli justitiam ejus : * et viderunt omnes populi gloriam ejus.

Confundantur omnes qui adorant sculptilia : * et qui gloriantur in simulacris suis.

Adorate eum, omnes Angeli ejus : * audivit, et læta est Sion.

Et exultaverunt filiæ Judæ: * propter judicia tua, Domine.

Quoniam tu Dominus Altissimus super omnem terram : * nimis exaltatus es super omnes deos.

Qui diligitis Dominum, odite malum : * custodit Dominus animas Sanctorum suorum, de manu peccatoris liberabit eos.

Lux orta est justo : * et rectis corde lætitia.

Lætamini, justi, in Domino : * et confitemini memoriæ sanctificationis ejus.

Gloria Patri.

*Ant.* Dignare me laudare te, Virgo sacrata : da mihi virtutem contra hostes tuos.

*Ant.* Post partum.

PS. 97. PRÆDICANDA SALUS PER CHRISTUM OBTENTA.

Cantate Domino canticum novum : * quia mirabilia fecit.

Salvavit sibi dextera ejus. * et brachium sanctum ejus.

Notum fecit Dominus salutare suum : * in conspectu gentium revelavit justitiam suam.

Recordatus est misericordiæ suæ : * et veritatis suæ domui Israel.

Viderunt omnes termini terræ : * salutare Dei nostri.

Jubilate Deo omnis terra: * cantate, et exultate, et psallite.

Psallite Domino in cithara, in cithara et voce psalmi : * in tubis ductilibus, et voce tubæ corneæ.

Jubilate in conspectu Regis Domini : * moveatur mare, et plenitudo ejus; orbis terrarum, et qui habitant in eo.

Flumina plaudent manu, simul montes exultabunt a

conspectu Domini, * quoniam venit judicare terram.

Judicabit orbem terrarum in justitia : * et populos in æquitate.

Gloria Patri.

*Ant.* Post partum Virgo inviolata permansisti; Dei Genitrix, intercede pro nobis.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Pater noster.

ABSOLUTIO.

Precibus et meritis beatæ Mariæ semper Virginis, et omnium Sanctorum, perducat nos Dominus ad regna cœlorum. ℟. Amen.

℣. Jube, Domine, benedicere.

*Benedictio.* Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria. ℟. Amen.

LECTIO PRIMA. *Eccl. 24.*

In omnibus requiem quæsivi, et in hereditate Domini morabor. Tunc præcepit, et dixit mihi Creator omnium; et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dixit mihi : In Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Sancta et Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, et benedictus fructus ventris tui. Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Jube, Domine, benedicere.

*Benedictio.* Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

LECTIO SECUNDA.

Et sic in Sion firmata sum et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea. Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

℟. Beata es, Virgo Maria, quæ Dominum portasti Creatorem mundi : * Genuisti qui te fecit et in æternum permanes Virgo. ℣. Ave, Maria, gratia plena, Dominus tecum. Genuisti qui te fecit, et in æternum permanes Virgo.

*Quando dicitur* Te Deum laudamus, *additur in fine hujus Responsorii :*

℣. Gloria Patri, et Filio,

et Spiritui sancto. Genuisti qui te fecit et in æternum permanes Virgo.

℣. Jube, Domine, benedicere.

*Benedictio.* Per Virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem.

℟. Amen.

LECTIO TERTIA.

Quasi cedrus exaltata sum in Libano, et quasi cypressus in monte Sion : Quasi palma exaltata sum in Cades, et quasi plantatio rosæ in Jericho : Quasi oliva speciosa in campis, et quasi platanus exaltata sum juxta aquam in plateis. Sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans odorem dedi. Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. Tu autem, Domine, miserere nobis.

℟. Deo gratias.

*Sequens Responsorium omittitur, quando dicitur* Te Deum laudamus.

℟. Felix namque es, sacra Virgo Maria, et omni laude dignissima : * Quia ex te ortus est sol justitiæ: *Christus Deus noster. ℣. Ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu : sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam commemorationem. Quia ex te ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster. ℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Christus Deus noster.

*A Nativitate Domini usque ad Septuagesimam, et a Dominica Resurrectionis usque ad Adventum, dicitur ad libitum* Te Deum laudamus. *In Adventu autem, et a Septuagesima usque ad Pascha numquam dicitur, nisi in festis B. Mariæ tantum.*

HYMNUS

SS. AMBROSII ET AUGUSTINI.

Te Deum laudamus, etc. *Vide pag. 168.*

## AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.

℟. Sicut erat. Alleluia.

*Ant.* Assumpta est.

PS. 92. DEI GLORIA EX CŒLI ET TERRÆ CREATIONE.

Dominus regnavit, decorem indutus est : * indutus est Dominus fortitudinem, et præcinxit se.

Etenim firmavit orbem terræ : * qui non commovebitur.

Parata sedes tua ex tunc : * a sæculo tu es.

Elevaverunt flumina, Do

mine: * elevaverunt flumina vocem suam.

Elevaverunt flumina fluctus suos: * a vocibus aquarum multarum.

Mirabiles elationes maris: * mirabilis in altis Dominus.

Testimonia tua credibilia facta sunt nimis: * domum tuam decet sanctitudo, Domine, in longitudinem dierum.

Gloria Patri.

*Ant.* Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

*Ant.* Maria Virgo assumpta.

PS. 99. INVITATIO AD AGENDAS DEO GRATIAS.

Jubilate Deo, omnis terra: * servite Domino in lætitia.

Introite in conspectu ejus: * in exultatione.

Scitote quoniam Dominus ipse est Deus: * ipse fecit nos, et non ipsi nos.

Populus ejus, et oves pascuæ ejus: * introite portas ejus in confessione, atria ejus in hymnis, confitemini illi.

Laudate nomen ejus, quoniam suavis est Dominus, in æternum misericordia ejus, * et usque in generationem et generationem veritas ejus.

Gloria Patri, etc.

*Ant.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

*Ant.* In odorem.

PS. 62. PIÆ ANIMÆ SUSPIRIA ET AFFECTUS.

Deus, Deus meus, * ad te de luce vigilo.

Sitivit in te anima mea, * quam multipliciter tibi caro mea.

In terra deserta et invia, et inaquosa: * sic in sancto apparui tibi, ut viderem virtutem tuam, et gloriam tuam.

Quoniam melior est misericordia tua super vitas: * labia mea laudabunt te.

Sic benedicam te in vita mea: * et in nomine tuo lavabo manus meas.

Sicut adipe et pinguedine repleatur anima mea: * et labiis exultationis laudabit os meum.

Si memor fui tui super stratum meum, in matutinis meditabor in te: * quia fuisti adjutor meus.

Et in velamento alarum tuarum exultabo, adhæsit anima mea post te: * me suscepit dextera tua.

Ipsi vero in vanum quæsierunt animam meam, introibunt in inferiora terræ: * tradentur in manus gladii, partes vulpium erunt.

Rex vero lætabitur in Deo, laudabuntur omnes qui jurant in eo: * quia obstructum est os loquentium iniqua.

PS. 66. IMPLORATUR MISERICORDIA DEI, ET MESSIÆ ADVENTUS.

Deus misereatur nostri et benedicat nobis: * illuminet vultum suum super nos, et misereatur nostri.

Ut cognoscamus in terra viam tuam: * in omnibus gentibus salutare tuum.

Confiteantur tibi populi, Deus: * confiteantur tibi populi omnes.

Lætentur et exultent gentes: * quoniam judicas populos in æquitate, et gentes in terra dirigis.

Confiteantur tibi populi, Deus: confiteantur tibi populi omnes: * terra dedit fructum suum.

Benedicat nos Deus, Deus noster benedicat nos Deus: * et metuant eum omnes fines terræ.

Gloria Patri.

*Ant.* In odorem unguentorum tuorum currimus: adolescentulæ dilexerunt te nimis.

*Ant.* Benedicta filia.

CANTICUM TRIUM PUERORUM DEUM IN FORNACE BABYLONICA LAUDANTIUM. *Dan. 3.*

Benedicite, omnia opera Domini, Domino: * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicite, Angeli Domini, Domino: * benedicite, cœli, Domino.

Benedicite, aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino: * benedicite, omnes virtutes Domini, Domino.

Benedicite, sol et luna, Domino: * benedicite, stellæ cœli, Domino.

Benedicite, omnis imber et ros, Domino: * benedicite, omnes spiritus Dei, Domino.

Benedicite, ignis et æstus, Domino: * benedicite, frigus et æstus, Domino.

Benedicite, rores et pruina, Domino: * benedicite, gelu et frigus, Domino.

Benedicite, glacies et nives, Domino: * benedicite, noctes et dies, Domino.

Benedicite, lux et tenebræ, Domino: * benedicite, fulgura et nubes, Domino.

Benedicat terra Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, montes et colles, Domino: * benedicite, universa germinantia in terra, Domino.

Benedicite, fontes, Domino: * benedicite, maria et flumina, Domino.

Benedicite, cete, et omnia quæ moventur in aquis, Do-

mino: * benedicite, omnes volucres cœli, Domino.

Benedicite, omnes bestiæ et pecora, Domino; benedicite, filii hominum, Domino.

Benedicat Israel Dominum: * laudet et superexaltet eum in sæcula.

Benedicite, sacerdotes Domini, Domino: * benedicite, servi Domini, Domino.

Benedicite, spiritus et animæ justorum, Domino: * benedicite, sancti et humiles corde, Domino.

Benedicite, Anania, Azaria, Misael, Domino; * laudate et superexaltate eum in sæcula.

Benedicamus Patrem, et Filium cum sancto Spiritu: * laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

Benedictus es Domine in firmamento cœli: * et laudabilis, et gloriosus, et superexaltatus in sæcula.

*Hic non dicitur* Gloria Patri, *neque* Amen.

*Ant.* Benedicta filia tua Domino; quia per te fructum vitæ communicavimus.

*Ant.* Pulchra es.

PS. 148. OMNES CREATURÆ LAUDENT DEUM.

Laudate Dominum de cœlis; * laudate eum in excelsis.

Laudate eum, omnes Angeli ejus: * laudate eum, omnes virtutes ejus.

Laudate eum, sol et luna: * laudate eum, omnes stellæ et lumen.

Laudate eum cœli cœlorum: * et aquæ omnes quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.

Quia ipse dixit et facta sunt; * ipse mandavit, et creata sunt.

Statuit ea in æternum, et in sæculum sæculi: * præceptum posuit, et non præteribit.

Laudate Dominum de terra: * dracones et omnes abyssi.

Ignis, grando, nix, glacies, spiritus procellarum: * quæ faciunt verbum ejus.

Montes et omnes colles: * ligna fructifera, et omnes cedri.

Bestiæ, et universa pecora: * serpentes, et volucres pennatæ.

Reges terræ, et omnes populi: * Principes, et omnes judices terræ.

Juvenes, et virgines, senes cum junioribus laudent nomen Domini: * quia exaltatum est nomen ejus solius.

Confessio ejus super cœlum et terram: * et exaltavit cornu populi sui.

Hymnus omnibus Sanctis ejus: * filiis Israel, populo appropinquanti sibi.

PS. 149. INVITATUR POPULUS DEI AD GRATIARUM ACTIONEM.

Cantate Domino canticum novum: * Laus ejus in Ecclesia Sanctorum.

Lætetur Israel in eo, qui fecit eum: * et filii Sion exultent in rege suo.

Laudent nomen ejus in chora: * in tympano et psalterio psallant ei.

Quia beneplacitum est Domino in populo suo: * et exaltabit mansuetos in salutem.

Exultabunt sancti in gloria: * lætabuntur in cubilibus suis.

Exaltationes Dei in gutture eorum: * et gladii ancipites in manibus eorum.

Ad faciendam vindictam in nationibus: * increpationes in populis.

Ad alligandos reges eorum in compedibus: * et nobiles eorum in manicis ferreis.

Ut faciant in eis judicium conscriptum: * gloria hæc est omnibus sanctis ejus.

PS. 150. DEUS ETIAM LAUDANDUS IN INSTRUMENTIS MUSIC.

Laudate Dominum in Sanctis ejus: * laudate eum in firmamento virtutis ejus.

Laudate eum in virtutibus ejus: * laudate eum secundum multitudinem magnitudinis ejus.

Laudate eum in sono tubæ: * laudate eum in psalterio et cithara.

Laudate eum in tympano et choro; * laudate eum in chordis et organo.

Laudate eum in cymbalis benesonantibus: laudate eum in cymbalis jubilationis: * omnis spiritus laudet Dominum.

Gloria Patri.

*Ant.* Pulchra es et decora, filia Jerusalem: terribilis ut castrorum acies ordinata.

CAPITULUM. *Cant. 6.*

Viderunt eam filiæ Sion, et beatissimam prædicaverunt: et reginæ laudaverunt eam.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

O gloriosa Virginum,
Sublimis inter sidera!
Qui te creavit, parvulum
Lactente nutris ubere.

Quod Eva tristis abstulit,
Tu reddis almo germine;
Intrent ut astra flebiles,
Cœli recludis cardines.

Tu Regis alti janua,
Et aula lucis fulgida;
Vitam datam per Virginem
Gentes redemptæ plaudite.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

*Ant.* Beata Dei Genitrix.

*Tempore Paschali:*

*Ant.* Regina cœli.

CANTICUM ZACHARIÆ QUO GRATIÆ AGUNTUR PRO OBTENTO CHRISTI ADVENTU. *Luc. 1.*

Benedictus Dominus Deus Israel : * quia visitavit, et fecit redemptionem plebis suæ

Et erexit cornu salutis nobis : * in domo David pueri sui.

Sicut locutus est per os sanctorum, * qui a sæculo sunt, prophetarum ejus.

Salutem ex inimicis nostris, * et de manu omnium qui oderunt nos.

Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris,* et memorari testamenti sui sancti.

Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum : * daturum se nobis.

Ut sine timore, de manu inimicorum nostrorum liberati,* serviamus illi.

In sanctitate et justitia coram ipso:* omnibus diebus nostris.

Et tu, puer, Propheta Altissimi vocaberis : * præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.

Ad dandam scientiam salutis plebi ejus:* in remissionem peccatorum eorum.

Per viscera misericordiæ Dei nostri : * in quibus visitavit nos, oriens ex alto.

Illuminare his, qui in tenebris et in umbra mortis sedent: * ad dirigendos pedes nostros in viam pacis.

Gloria Patri.

*Ant.* Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo: ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu.

*Tempore Paschali:*

*Ant.* Regina cœli, lætare, Alleluia. Quia quem meruisti portare, Alleluia. Resurrexit, sicut dixit, Alleluia. Ora pro nobis Deum, Alleluia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante,

carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Am.

## PRO SANCTIS.

*Ant.* Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi.

℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

### OREMUS.

Protege, Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

Omnes Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique adjuvent, ut, dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter actus et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

*Si hic terminandum sit officium, dicuntur ea quæ sequuntur: alioquin si alia statim subsequatur Hora, in fine ultimæ Horæ dicitur:* Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Dominus det nobis suam pacem.

℟. Et vitam æternam. Amen.

*Deinde dicitur flexis genibus una ex infra scriptis Antiphonis; præterquam tempore Paschali. Tunc enim hic, uti et in fine Completorii, omnia stando dicuntur.*

*A festo Purificationis usque ad Completorium Sabbati sancti exclusive:*

### ANTIPHONA.

Ave, Regina cœlorum,
Ave, Domina Angelorum:
Salve, radix, salve, porta,
Ex qua mundo lux est orta.

Gaude, Virgo gloriosa,
Super omnes speciosa;
Vale, o valde decora.
Et pro nobis Christum exora.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

OREMUS.

Concede, misericors Deus, fragilitati nostræ præsidium; ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio, a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

*A Completorio Sabbati sancti usque ad Completorium Sabbati post Pentecosten exclusive:*

ANTIPHONA.

Regina cœli, lætare, Alleluia.
Quia quem meruisti portare, Alleluia.
Resurrexit sicut dixit, Alleluia.
Ora pro nobis Deum, Alleluia.

℣. Gaude et lætare, Virgo Maria, Alleluia.

℟. Quia surrexit Dominus vere, Alleluia.

OREMUS.

Deus, qui per resurrectionem Filii tui Domini nostri Jesu Christi mundum lætificare dignatus es: præsta, quæsumus; ut per ejus genitricem Virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

*A Completorio Sabbati post Pentecosten usque ad Advent.*

ANTIPHONA.

Salve, Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo et spes nostra, salve. Ad te clamamus exules, filii Evæ. Ad te suspiramus, gementes et flentes in hac lacrymarum valle. Eja ergo, advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et Jesum, benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria!

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus et animam ut dignum Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu sancto cooperante præparasti: da, ut cujus commemoratione lætamur, ejus pia interces-

sione ab instantibus malis, et a morte perpetua liberemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

*Deinde secreto.* Pater noster. Ave, Maria. Credo.

## AD PRIMAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria, Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.
Jesu, tibi, sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

*Ant.* Assumpta est.

### PS. 53. IMPLORATIO DIVINÆ OPIS.

Deus, in nomine tuo salvum me fac:* et in virtute tua judica me.

Deus, exaudi orationem meam : * auribus percipe verba oris mei.

Quoniam alieni insurrexerunt adversum me, et fortes quæsierunt animam meam : * et non proposuerunt Deum ante conspectum suum.

Ecce enim Deus adjuvat me :* et Dominus susceptor est animæ meæ.

Averte mala inimicis meis * et in veritate tua disperde illos.

Voluntarie sacrificabo tibi : * et confitebor nomini tuo, Domine, quoniam bonum est.

Quoniam ex omni tribulatione eripuisti me :* et super inimicos meos despexit oculus meus.

Gloria Patri.

### PS. 84. AD DEUM PLENE RECONCILIANDUM.

Benedixisti, Domine, terram tuam :* avertisti captivitatem Jacob.

Remisisti iniquitatem plebis tuæ : * operuisti omnia peccata eorum.

Mitigasti omnem iram tuam :* avertisti ab ira indignationis tuæ.

Converte nos, Deus salutaris noster : * et averte iram tuam a nobis.

Numquid in æternum irasceris nobis: * aut extendes iram tuam a generatione in generationem?

Deus, tu conversus vivificabis nos: * et plebs tua lætabitur in te.

Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam: * et salutare tuum da nobis.

Audiam quid loquatur in me Dominus Deus: * quoniam loquetur pacem in plebem suam.

Et super Sanctos tuos: * et in eos qui convertuntur ad cor.

Verumtamen prope timentes eum salutare ipsius: * ut inhabitet gloria in terra nostra.

Misericordia et veritas obviaverunt sibi: * justitia et pax osculatæ sunt.

Veritas de terra orta est: * et justitia de cœlo prospexit.

Etenim Dominus dabit benignitatem: * et terra nostra dabit fructum suum.

Justitia ante eum ambulabit: * et ponet in via gressus suos.

Gloria Patri.

PS. 116. UT OMNES GENTES DEUM LAUDENT.

Laudate Dominum, omnes gentes: * laudate eum, omnes populi.

Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: * et veritas Domini manet in æternum.

Gloria Patri.

*Ant.* Assumpta est Maria in cœlum, gaudent Angeli, laudantes benedicunt Dominum.

CAPITULUM. *Cant. 6.*

Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata?

℟. Deo gratias.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da, quæsumus; ut sua nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse commemorationi. Qui vivis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

## AD TERTIAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

### HYMNUS.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.

Maria, Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Ant.* Maria Virgo.

### PS. 119. QUERELÆ DE MALITIOSIS HOMINUM LINGUIS.

Ad Dominum, cum tribularer, clamavi : * et exaudivit me.

Domine, libera animam meam a labiis iniquis : * et a lingua dolosa.

Quid detur tibi, aut quid apponatur tibi : * ad linguam dolosam?

Sagittæ potentis acutæ: * cum carbonibus desolatoriis.

Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est: habitavi cum habitantibus Cedar : * multum incola fuit anima mea.

Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus: * cum loquebar illis, impugnabant me gratis.

Gloria Patri.

### PS. 120. A SOLO DEO AUXILIUM EXPECTANDUM.

Levavi oculos meos in montes: * unde veniet auxilium mihi.

Auxilium meum a Domino : * qui fecit cœlum et terram.

Non det in commotionem pedem tuum : * neque dormitet, qui custodit te.

Ecce non dormitabit, neque dormiet: * qui custodit Israel.

Dominus custodit te, Dominus protectio tua : * super manum dexteram tuam.

Per diem sol non uret te: * neque luna per noctem.

Dominus custodit te ab omni malo : * custodiat animam tuam Dominus.

Dominus custodiat introitum tuum, et exitum tuum: * ex hoc, nunc, et usque in sæculum.

Gloria Patri.

PS. 121. LAUS ET AMOR URBIS JERUSALEM.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi : * in domum Domini ibimus.

Stantes erant pedes nostri : * in atriis tuis, Jerusalem.

Jerusalem quæ ædificatur ut civitas : * cujus participatio ejus in idipsum.

Illuc enim ascenderunt tribus, tribus Domini : * testimonium Israel ad confitendum nomini Domini.

Quia illic sederunt sedes in judicio : * sedes super domum David.

Rogate quæ ad pacem sunt, Jerusalem, * et abundantia diligentibus te.

Fiat pax in virtute tua : * et abundantia in turribus tuis.

Propter fratres meos, et proximos meos : * loquebar pacem de te.

Propter domum Domini Dei nostri : * quæsivi bona tibi.

Gloria Patri.

*Ant.* Maria Virgo assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Et sic in Sion firmata sum, et in civitate sanctificata similiter requievi, et in Jerusalem potestas mea.

℟. Deo gratias.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fecunda, humano generi præmia præstitisti: tribue quæsumus, ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum. Qui tecum vivit.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

AD SEXTAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Maria, Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Am.

*Ant.* In odorem.

PS. 122. UT AB IMPIORUM LUDIBRIIS LIBEREMUR.

Ad te levavi oculos meos: * qui habitas in cœlis.

Ecce sicut oculi servorum: * in manibus dominorum suorum.

Sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ: * ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri.

Miserere nostri, Domine, miserere nostri: * quia multum repleti sumus despectione.

Quia multum repleta est anima nostra: * opprobrium abundantibus, et despectio superbis.

Gloria Patri.

PS. 123. GRATIÆ PRO LIBERATIONE AB HOSTIBUS.

Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel: * nisi quia Dominus erat in nobis.

Cum exurgerent homines in nos: * forte vivos deglutissent nos.

Cum irasceretur furor eorum in nos: * forsitan aqua absorbuisset nos.

Torrentem pertransivit anima nostra: * forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.

Benedictus Dominus: * qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.

Anima nostra sicut passer erepta est: * de laqueo venantium.

Laqueus contritus est: * et nos liberati sumus.

Adjutorium nostrum in nomine Domini: * qui fecit cœlum et terram.

Gloria Patri.

PS. 124. QUI DEO CONFIDUNT, STABILES SUNT.

Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion: * non commovebitur in æternum, qui habitat in Jerusalem.

Montes in circuitu ejus: * et Dominus in circuitu populi sui, ex hoc, nunc, et usque in sæculum.

Quia non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum: * ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.

Benefac, Domine, bonis: * et rectis corde.

Declinantes autem in obligationes, adducet Dominus cum operantibus iniquitatem: * pax super Israel.

Gloria Patri.

*Ant.* In odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulæ dilexerunt te nimis.

CAPITULUM. *Eccli. 24.*

Et radicavi in populo honorificato, et in parte Dei mei hæreditas illius, et in plenitudine Sanctorum detentio mea.

℟. Deo gratias.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Concede, misericors Deus fragilitati nostræ præsidium: ut qui sanctæ Dei Genitricis memoriam agimus, intercessionis ejus auxilio a nostris iniquitatibus resurgamus. Per eumdem Dominum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

AD NONAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.

Maria, Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Ant.* Pulchra es.

PS. 125. GAUDIUM LIBERATORUM A SERVITUTE PECCATI.

In convertendo Dominus captivitatem Sion: * facti sumus sicut consolati.

Tunc repletum est gaudio os nostrum: * et lingua nostra exultatione.

Tunc dicent inter gentes: * magnificavit Dominus facere cum eis.

Magnificavit Dominus facere nobiscum: * facti sumus lætantes.

Converte, Domine, captivitatem nostram: * sicut torrens in austro.

Qui seminant in lacrymis: * in exultatione metent.

Euntes ibant et flebant: * mittentes semina sua.

Venientes autem venient cum exultatione: * portantes manipulos suos.

Gloria Patri.

PS. 126. VANUS LABOR OMNIS EST SINE OPE DEI.

Nisi Dominus ædificaverit domum: in vanum laboraverunt qui ædificant eam.

Nisi Dominus custodierit civitatem: * frustra vigilat qui custodit eam.

Vanum est vobis ante lucem surgere: * surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.

Cum dederit dilectis suis somnum: * ecce hæreditas Domini, filii; merces fructus ventris.

Sicut sagittæ in manu potentis: * ita filii excussorum.

Beatus vir, qui implevit desiderium suum ex ipsis: * non confundetur, cum loquetur inimicis suis in porta.

Gloria Patri.

PS. 127. JUSTI MULTIS REPLENTUR BONIS.

Beati omnes qui timent Dominum: * qui ambulant in viis ejus.

Labores manuum tuarum quia manducabis: * beatus es, et bene tibi erit.

Uxor tua sicut vitis abundans: * in lateribus domus tuæ.

Filii tui sicut novellæ olivarum: * in circuitu mensæ tuæ.

Ecce sic benedicetur homo: * qui timet Dominum.

Benedicat tibi Dominus ex Sion: * et videas bona Jerusalem, omnibus diebus vitæ tuæ.

Et videas filios filiorum tuorum: * pacem super Israel.

Gloria Patri.

*Ant.* Pulchra es et decora, filia Jerusalem; terribilis ut castrorum acies ordinata.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

In plateis, sicut cinnamomum, et balsamum aromatizans, odorem dedi; quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris. ℟. Deo gratias.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Famulorum tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce; ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

## AD VESPERAS.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*Ant.* Dum esset rex.

PS. 109. GLORIA CHRISTI MESSIÆ CANITUR.

Dixit Dominus, etc. *Vide pag. 101.*

*Ant.* Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suavitatis.

*Ant.* Læva ejus.

PS. 112. INVITATIO AD LAUDANDUM DEUM.

Laudate, pueri, etc. *Vide pag. 102.*

*Ant.* Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me.

*Ant.* Nigra sum.

PS. 121. LAUS ET AMOR URBIS JERUSALEM.

Lætatus sum, etc. *Vide pag. 318.*

*Ant.* Nigra sum, sed formosa, filiæ Jerusalem; ideo dilexit me rex, et introduxit me in cubiculum suum.

*Ant.* Jam hiems transiit.

PS. 126. VANUS EST OMNIS LABOR SINE OPE DEI.

Nisi Dominus ædificaverit domum, etc. *Vide pag. 321.*

*Ant.* Jam hiems transiit, imber abiit et recessit: surge, amica mea, et veni.

*Ant.* Speciosa.

PS. 147. ADHORTATIO UT ECCLESIA LAUDET DEUM.

Lauda Jerusalem, Domi-

num: * lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum: * benedixit filiis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: * et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ, * velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam: * nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: * ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: * flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: * justitias et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: * et judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri.

*Ant.* Speciosa facta es, et suavis in deliciis tuis, sancta Dei Genitrix.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ab initio, et ante sæcula creata sum, et usque ad futurum sæculum non desinam, et in habitatione sancta coram ipso ministravi. ℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Ave, maris stella,
Dei Mater alma,
Atque semper Virgo,
Felix cœli porta.

Sumens illud Ave
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans Evæ nomen.

Solve vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce,

Monstra te esse Matrem:
Sumat per te preces
Qui, pro nobis natus,
Tulit esse tuus.

Virgo singularis,
Inter omnes mitis,
Nos culpis solutos,
Mites fac et castos.

Vitam præsta puram.
Iter para tutum,
Ut videntes Jesum
Semper collætemur.

Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor unus. Amen.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

*Ant.* Beata Mater.

*Tempore Paschali omissa prædicta Antiphona, dicitur:*

*Ant.* Regina cœli.

CANTICUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. *Luc. 1.*

Magnificat * anima, etc. *Vide pag. 104.*

*Ant.* Beata Mater, et intacta Virgo, gloriosa Regina mundi, intercede pro nobis ad Dominum.

*Tempore Paschali:*

*Ant.* Regina cœli, lætare, Alleluia. Quia quem meruisti portare, Alleluia. Resurrexit, sicut dixit, Alleluia. Ora pro nobis Deum, Alleluia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Concede nos famulos tuos, quæsumus, Domine Deus, perpetua mentis et corporis sanitate gaudere; et gloriosa beatæ Mariæ semper Virginis intercessione, a præsenti liberari tristitia, et æterna perfrui lætitia. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

## PRO SANCTIS.

*Ant.* Sancti Dei omnes, intercedere dignemini pro nostra omniumque salute.

℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi.

℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

OREMUS.

Protege, Domine, populum tuum, et Apostolorum tuorum Petri et Pauli, et aliorum Apostolorum patrocinio confidentem, perpetua defensione conserva.

Omnes Sancti tui, quæsumus, Domine, nos ubique adjuvent, ut dum eorum merita recolimus, patrocinia sentiamus: et pacem tuam nostris concede temporibus, et ab Ecclesia tua cunctam repelle nequitiam: iter, actus et voluntates nostras, et omnium famulorum tuorum, in salutis tuæ prosperitate dispone: benefactoribus nostris sempiterna bona retribue, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

## AD COMPLETORIUM.

Ave, Maria.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

PS. 128. GLORIATIO INVINCIBILIS ECCLESIÆ.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: * dicat nunc Israel.

Sæpe expugnaverunt me a juventute mea: * etenim non potuerunt mihi.

Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores: * prolongaverunt iniquitatem suam.

Dominus justus concidit cervices peccatorum; * confundantur et convertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.

Fiant sicut fœnum tectorum: * quod priusquam evellatur, exaruit.

De quo non implevit manum suam qui mettit: * et sinum suum, qui manipulos colligit.

Et non dixerunt qui præteribant, benedictio Domini super vos: * benediximus vobis in nomine Domini.

Gloria Patri.

PS. 129. UT A CULPA ET PŒNA LIBEREMUR.

De profundis, etc. *p. 79.*

PS. 130. HUMILIATIO ET DIFFIDENTIA SUI.

Domine, non est exaltatum cor meum: * neque elati sunt oculi mei.

Neque ambulavi in magnis: * neque in mirabilibus super me.

Si non humiliter sentiebam: * sed exaltavi animam meam.

Sicut ablactatus est super matre sua: * ita retributio in anima mea.

Speret Israel in Domino: * ex hoc, nunc, et usque in sæculum.

Gloria Patri.

HYMNUS.

Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.

Maria, Mater gratiæ,
Dulcis parens clementiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et mortis hora suscipe.

Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Am.

CAPITULUM. *Eccl. 24.*

Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei.

℟. Deo gratias.

℣. Ora pro nobis, sancta Dei Genitrix.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

*Ant.* Sub tuum præsidium.
*Tempore Paschali:*
*Ant.* Regina cœli.

CANTICUM SIMEONIS, VISO MESSIA MORI PETENTIS. *Luc. 2.*

Nunc dimittis servum, etc. *Vide pag. 108.*

*Ant.* Sub tuum præsidium coufugimus, sancta Dei Genitrix : nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

*Tempore Paschali:*

*Ant.* Regina cœli, lætare, Alleluia. Quia quem meruisti portare, Alleluia. Resurrexit, sicut dixit, Alleluia. Ora pro nobis Deum, Alleluia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Beatæ et gloriosæ semper Virginis Mariæ, quæsumus, Domine, intercessio gloriosa nos protegat, et ad vitam perducat æternam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℞. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℞. Deo gratias.

BENEDICTIO.

Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. ℞. Am.

*Deinde flexis genibus dicitur una ex Antiphonis de B. M. V. pro tempore, ut illud reperitur pag. 313. In fine additur secreto :* Pater noster. Ave Maria. Credo.

# OFFICIUM B. MARIÆ VIRGINIS,

## IN ADVENTU.

*A primis Vesperis Dominicæ primæ adventus, usque ad primas Vesperas Nativitatis Domini, et in die Annuntiationis B. Mariæ.*

### AD MATUTINUM.

*Omnia dicuntur, uti in præced. Matutino, a pag.* 298. *ad pag.* 306. *Solæ lectiones, quæ hic sequuntur, differunt.*

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Nos cum prole pia benedicat Virgo Maria.

LECTIO PRIMA. *Luc.* 1.

Missus est angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, et nomen virginis Maria. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Missus est Gabriel angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei Verbum: et expavescit Virgo de lumine. Ne timeas, Maria: invenisti gratiam apud Dominum: * Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius. ℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in æternum. * Ecce concipies, et paries, et vocabitur Altissimi Filius.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Ipsa Virgo virginum intercedat pro nobis ad Dominum. ℟. Amen.

LECTIO SECUNDA.

Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus: et cogitabat qualis esset ista salutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas, Maria, invenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in utero, et paries filium, et vocabis nomen ejus Jesum. Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur: et dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis. Tu

autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Ave, Maria, gratia plena : Dominus tecum : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei. ℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? * Et respondens Angelus dixit ei ; Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Jube domne benedicere.

*Benedictio.* Per virginem Matrem concedat nobis Dominus salutem et pacem. ℟. Amen.

LECTIO TERTIA.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei : Spiritus sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi : ideoque et quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Et ecce Elisabeth, cognata tua, et ipsa concepit filium in senectute sua : et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis; quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria : Ecce ancilla Domini : fiat mihi secundum verbum tuum. Tu autem, Domine, miserere nobis. ℟. Deo gratias.

℟. Suscipe verbum, Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum transmissum est : concipies, et paries Deum pariter et hominem : ut benedicta dicaris inter omnes mulieres. ℣. Paries quidem filium, et virginitatis non patieris detrimentum : efficieris gravida, et eris Mater semper intacta. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

## AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*Ant.* Missus est.

*Ps.* Dominus regnavit, etc. *pag.* 307.

*Ant.* Missus est Gabriel angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Ant.* Ave, Maria.

*Ps.* Jubilate, etc. *p.* 308.

*Ant.* Ave, Maria, gratia plena : Dominus tecum : be-

nedicta tu in mulieribus. Alleluia.

*Ant.* Ne timeas.

*Ps.* Deus, Deus meus, etc. *cum seq. Ps. p.* 308 *et* 309.

*Ant.* Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies, et paries filium. Alleluia.

*Ant.* Dabit ei Dominus.

*Cant.* Benedicite omnia opera, etc. *pag.* 309.

*Non dicitur* Gloria Patri, *neque* Amen.

*Ant.* Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, et regnabit in æternum.

*Ant.* Ecce ancilla Domini.

*Ps.* Laudate Dominum, etc. *cum duobus seqq. Psalmis pag.* 310 *et* 311.

*Ant.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

CAPITULUM. *Isaiæ* 11.

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

O gloriosa, etc. *pag.* 311.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

*Ant.* Spiritus sanctus.

CANTICUM ZACHARIÆ.

Benedictus, etc. *pag.* 312.

*Ant.* Spiritus sanctus in te descendet, Maria; ne timeas, habebis in utero Filium Dei. Alleluia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

## PRO SANCTIS.

*Ant.* Ecce Dominus veniet, et omnes Sancti ejus cum eo: et erit in die illa lux magna. Alleluia.

℣. Ecce apparebit Dominus super nubem candidam.

℟. Et cum eo Sanctorum millia.

OREMUS.

Conscientias nostras, quæsumus, Domine, visitando

purifica : ut veniens Jesus Christus Filius tuus Dominus noster cum omnibus Sanctis paratam sibi in nobis inveniat mansionem. Qui tecum vivit.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

*Si hic terminetur Officium, dicuntur ea quæ sequuntur; si vero continuetur, dicuntur tantum in fine illius Horæ, ubi terminatur Officium.*

Pater noster, *secreto.*

℣. Dominus det nobis suam pacem.

℟. Et vitam æternam. Amen.

*Deinde dicitur sequens Antiphona flexis genibus; sed a primis usque ad 2. Vesperas cujuscumque Dominicæ inclusive stando.*

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli
Porta manes et stella maris: succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem,
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu sancto.

OREMUS.

Gratiam tuam, quæsumus, Domine, mentibus nostris infunde : ut qui Angelo nuntiante Christi Filii tui incarnationem cognovimus, per passionem ejus et crucem ad resurrectionis gloriam perducamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

*Deinde secreto:* Pater noster. Ave Maria. Credo.

## AD PRIMAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, etc. *pag. 325.*

*Ant.* Missus est.

*Ps.* Deus in nomine, etc. *cum duob. seqq. Ps. pag. 315.*

*Ant.* Missus est Gabriel angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

CAPITULUM. *Isaiæ 7.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum.

℟. Deo gratias.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ Mariæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per eumdem Dominum nostrum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

## AD TERTIAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, etc. *pag. 325.*

*Ant.* Ave, Maria.

*Ps.* Ad Dominum, etc. *cum duob. seqq. Ps. pag. 317 et 318.*

*Ant.* Ave, Maria, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus. Alleluia.

CAPITULUM. *Isaiæ 11.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ, etc. *ut supra.*

## AD SEXTAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, etc. *pag. 325.*

*Ant.* Ne timeas Maria.

*Ps.* Ad te levavi, etc. *cum duobus seqq. Ps. pag. 319.*

*Ant.* Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies, et paries filium. Alleluia.

CAPITULUM. *Luc. 1.*

Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus: et regnabit in domo Jacob in æternum, et regni ejus non erit finis.

℟. Deo gratias.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ, etc. *pag. 331.*

## AD NONAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, rerum Conditor, etc. *pag. 325.*

*Ant.* Ecce ancilla Domini.

*Ps.* In convertendo, etc. *cum duob. seqq. Ps. pag 320.*

*Ant.* Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum.

CAPITULUM. *Isaiæ 7.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum, et eligere bonum.

℟. Deo gratias.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritus sancto.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ, etc. *pag. 331.*

## AD VESPERAS.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri, Alleluia.

*Ant.* Missus est.

*Ps.* Dixit Dominus, etc. *pag. 101.*

*Ant.* Missus est Gabriel angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

*Ant.* Ave, Maria.

*Ps.* Laudate, pueri, Dominum, etc. *pag. 102.*

*Ant.* Ave, Maria, gratia plena : Dominus tecum : benedicta tu in mulieribus. Alleluia.

*Ant.* Ne timeas.

*Ps.* Lætatus, etc. *p. 318.*

*Ant.* Ne timeas, Maria, invenisti gratiam apud Dominum. Ecce concipies, et paries filium. Alleluia.

*Ant.* Dabit ei Dominus.

*Ps.* Nisi Dominus ædificaverit, etc. *pag. 321.*

*Ant.* Dabit ei Dominus sedem David patris ejus et regnabit in æternum.

*Ant.* Ecce ancilla Domini.

*Ps.* Lauda, Jerusalem, etc. *pag. 322.*

*Ant.* Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

CAPITULUM. *Isaiæ 11.*

Egredietur virga de radice Jesse, et flos de radice ejus ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

CANTICUM.

Magnificat, etc. *p. 104.*

*Ant.* Spiritus sanctus in te descendet, Maria : ne timeas, habebis in utero Filium Dei. Alleluia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus qui de beatæ, etc. *pag. 331.*

## PRO SANCTIS.

*Ant.* Ecce Dominus veniet, etc. *pag. 329.*

## AD COMPLETORIUM.

Ave, Maria.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri, Alleluia.

*Ps.* Sæpe expugnaverunt, etc. *cum duobus seqq. Ps. pag. 325.*

HYMNUS.

Memento, etc. *pag. 325.*

CAPITULUM. *Isaiæ 7.*

Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel. Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum. ℟. Deo gratias.

℣. Angelus Domini nuntiavit Mariæ.

℟. Et concepit de Spiritu sancto.

*Ant.* Spiritus sanctus.

CANTICUM SIMEONIS.

Nunc dimittis, etc. *p. 108.*

*Ant.* Spiritus sanctus in te descendet, Maria : ne timeas, habebis in utero Filium Dei. Alleluia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui de beatæ, etc. *pag. 331.*

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

*Benedictio.* Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. ℟. Amen.

*Ant.* Alma Redemptoris, etc. *pag. 330.*

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Pater noster. Ave, Maria Credo, *secreto.*

---

# OFFICIUM B. MARIÆ VIRGINIS,

## POST ADVENTUM.

*A primis Vesperis Nativitatis Domini, usque ad Vesperas Purificationis inclusive.*

### AD MATUTINUM.

*Omnia dicuntur ut in Officio per annum, pag. 298.*

### AD LAUDES.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*Ant.* O admirabile commercium!

*Ps.* Dominus regnavit, etc. *pag. 307.*

*Ant.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Ant.* Quando natus es.

*Ps.* Jubilate, etc. *p. 308.*

*Ant.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum, te laudamus, Deus noster.

*Ant.* Rubum, quem viderat Moyses.

*Ps.* Deus, Deus meus, etc. *cum seqq. Ps. pag. 308 et 309.*

*Ant.* Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix, intercede pro nobis.

*Ant.* Germinavit radix Jesse.

CANTICUM 3. PUERORUM.

Benedicite, etc. *pag. 309.*

*Ant.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.

*Ant.* Ecce Maria.

*Ps.* Laudate Dominum de cœlis, etc. *cum duob. seqq. Ps. pag. 310 et 311.*

*Ant.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns exclamavit, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

*Capitulum et Hymnus hic dicuntur uti pag. 311.*

*Ant.* Mirabile mysterium.

CANTICUM ZACHARIÆ.

Benedictus, etc. *p. 312.*

*Ant.* Mirabile mysterium declaratur hodie, innovantur naturæ: Deus homo factus est; id quod fuit, permansit; et quod non erat, assumpsit; non commixtionem passus, neque divisionem.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, etc. *infra pag. 336.*

PRO SANCTIS.

*Ant.* Sancti Dei, etc. 313.

*Si hic terminandum sit*

*Officium, dicuntur ea quæ sequuntur: si vero continuetur, dicuntur tantum in fine illius Horæ, ubi terminatur Officium.*

Pater noster, *secreto.*

℣. Dominus det nobis suam pacem.

℟. Et vitam æternam. Amen.

*Deinde dicitur sequens Antiphona flexis genibus; sed a primis usque ad secundas Vesperas cujuscumque Dominicæ inclusive stando.*

Alma Redemptoris Mater, quæ pervia cœli
Porta manes et stella maris: succurre cadenti,
Surgere qui curat, populo: tu quæ genuisti,
Natura mirante, tuum sanctum Genitorem,
Virgo prius ac posterius, Gabrielis ab ore
Sumens illud Ave, peccatorum miserere.

℣. Post partum Virgo inviolata permansisti.

℟. Dei Genitrix, intercede pro nobis.

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, etc. *ut infra.*

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

*Deinde secreto:* Pater noster. Ave, Maria. Credo.

*Pro Ant. præcedenti dicitur in ipso Purificationis die ad Completorium Ant.* Ave, Regina, etc. *pag. 313.*

## AD PRIMAM.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, etc. *pag. 325.*

*Ant.* O admirabile commercium!

*Ps.* Deus, in nomine, etc. *cum duobus seqq. Ps. p. 315.*

*Ant.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Capit. Versic. et Resp. uti pag. 316.*

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ Virginitate fecunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum. ℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.
℞. Deo gratias.
℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.
℞. Amen.

## AD TERTIAM.

Ave, Maria.
℣. Deus, in adjutorium meum intende.
℞. Domine, ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, etc. *pag. 325.*
*Ant.* Quando natus es.
*Ps.* Ad Dominum, etc. *cum seqq. duobus. Ps. pag. 317.*
*Ant.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.
*Capitul. Versic. et Resp. uti pag. 318.*

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, etc. *ut supra. 336.*

## AD SEXTAM.

Ave, Maria.
℣. Deus, in adjutorium meum intende.
℞. Domine, ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, rerum Conditor, etc. *pag. 325.*
*Ant.* Rubum, quem viderat Moyses.
*Ps.* Ad te levavi, etc. *cum duob. seqq. Ps. pag. 319.*
*Ant.* Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix, intercede pro nobis.
*Capitul. Versic. et Resp. uti pag. 320.*

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, etc. *pag. 336.*

## AD NONAM.

Ave, Maria.
℣. Deus, in adjutorium meum intende.
℞. Domine, ad adjuvandum me festina.
℣. Gloria Patri. Alleluia.

HYMNUS.

Memento, rerum Conditor, etc. *Vide pag. 325.*
*Ant.* Ecce Maria.
*Ps.* In convertendo, etc. *cum duob. seqq. Ps. pag. 320.*
*Ant.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei,

ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

*Capitulum, Versiculus et Resp. uti pag. 321.*

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, etc. *pag. 336.*

AD VESPERAS.

Ave, Maria.

℣. Deus, in adjutorium meum intende.

℟. Domine, ad adjuvandum me festina.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

*Ant.* O admirabile commercium!

*Ps.* Dixit Dominus, etc. *pag. 101.*

*Ant.* O admirabile commercium! Creator generis humani, animatum corpus sumens, de Virgine nasci dignatus est: et procedens homo sine semine, largitus est nobis suam Deitatem.

*Ant.* Quando natus es.

*Ps.* Laudate, pueri, etc., *pag. 102.*

*Ant.* Quando natus es ineffabiliter ex Virgine, tunc impletæ sunt Scripturæ: sicut pluvia in vellus descendisti, ut salvum faceres genus humanum: te laudamus, Deus noster.

*Ant.* Rubum, quem viderat Moyses.

*Ps.* Lætatus, etc. *pag. 318.*

*Ant.* Rubum, quem viderat Moyses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem: Dei Genitrix, intercede pro nobis.

*Ant.* Germinavit radix Jesse.

*Ps.* Nisi Dominus, etc. *pag. 321.*

*Ant.* Germinavit radix Jesse, orta est stella ex Jacob, Virgo peperit Salvatorem: te laudamus, Deus noster.

*Ant.* Ecce Maria.

*Ps.* Lauda Jerusalem, Dominum, etc. *pag. 322.*

*Ant.* Ecce Maria genuit nobis Salvatorem, quem Joannes videns, exclamavit dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Alleluia.

*Capitulum, Hymnus etc. uti per annum pag. 323.*

*Ant.* Magnum hæreditatis mysterium.

CANT. B. MARIÆ.

Magnificat, etc. *pag. 104.*

*Ant.* Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nesciens virum: non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, etc. *pag. 336.*

## PRO SANCTIS.

*Ant.* Sancti, etc. *pag. 324.*

## AD COMPLETORIUM.

Ave, Maria.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

℣. Deus, in adjutorium.

℣. Gloria Patri. Alleluia.

Sæpe expugnaverunt, etc. *cum Psalmis, Hymno, Capitulo, Vers. et Resp. ut pag. 325.*

*Ant.* Magnum hæreditatis mysterium.

CANTICUM SIMEONIS.

Nunc dimittis, etc. *pag. 108.*

*Ant.* Magnum hæreditatis mysterium: templum Dei factus est uterus nesciens virum; non est pollutus ex ea carnem assumens: omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui salutis æternæ, etc. *pag. 336.*

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

*Benedictio.* Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

℟. Amen.

*Ant.* Alma Redemptoris *cum Oratione, pag. 330.*

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum. ℟. Amen.

Pater. Ave. Credo, *secreto.*

# XXX.

# PSALMI GRADUALES PŒNITENTIALES

## ET LITANIÆ OMNIUM SANCTORUM.

---

### *(1. Ind.)* PSALMI GRADUALES.

*Hi XV. Psalmi, qui incipiunt a Psalmo 119 et finiunt Psalmo 133. dicuntur* Cantica Graduum, seu Ascensionum, *vel ex eo quod clariore voce, vel quod festis diebus a Levitis in ascensione quindecim graduum Templi Salomonis canerentur. Quindecim enim fuisse gradus docet S. Augustinus, quos beata Virgo tremula, se ipsam Deo offerens, traditur ascendisse. Putant alii cum Theodoreto et Euthymio, cantica ista spiritu prophetico a Davide scripta esse pro ascensione Judæorum ex captivitate Babylonica in Jerusalem. Sit ut sit, hoc certum est, ascensiones istas sive de Babylone in Jerusalem, sive per gradus Templi Salomonis, figuras fuisse ascensionis electorum, qui per gradus virtutum, ac præcipue charitatis, de valle lacrymarum ad cælestem Jerusalem ascendunt. Proinde usus horum Psalmorum familior esse deberet cuilibet christiano, qui se peregrinum in hoc mundo agnoscit, et nunc ærumnas exilii sui deflet, nunc ad quietem cœlestis patriæ aspirat; semper autem se ad ascendendum et in via Domini progrediendum accendit. Ad quæ congruos affectus hi Psalmi abunde suppeditant.* S. PIUS V. *legentibus hos Psalmos indulgentias XL. dierum concessit.*

PSALMI GRADUALES.

*Incipiunt absolute sine Antiphona.*

PSALMUS 119.

Ad Dominum, cum tribularer, etc. *pag. 317.*

*Neque in fine hujus, neque in fine ullius ex quatuor seqq. Psalmis dicitur* Gloria Patri *aut* Requiem, *sed tantum in fine quinti Psalmi dicitur* Requiem.

Levavi oculos, etc. *pag. 317.*

Lætatus sum, etc. *p. 318.*
Ad te levavi, etc. *p. 319.*
Nisi quia Dominus, etc. *pag. 319.*

*Deinde dicitur flexis genibus :*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Absolve, quæsumus, Domine, animas famulorum famularumque tuarum, et omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum : ut in resurrectionis gloria, inter Sanctos et electos tuos resuscitati, respirent. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Et statim dicuntur quinque sequentes Psalmi.*

Qui confidunt, etc. *p. 319.*

*In fine hujus, et singulorum sequentium Psalmorum dicitur* Gloria Patri.

In convertendo, etc. *p. 320.*
Nisi Dominus, etc. *p. 321.*
Beati omnes, etc. *p. 321.*
Sæpe expugnaverunt me, etc. *pag. 325.*

*Deinde dicitur flexis genibus :*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Memento congregationis tuæ.

℟. Quam possedisti ab initio.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram : ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Am.

*Et statim dicuntur quinque sequentes Psalmi.*

De profundis, etc. *p. 79.*

*In fine hujus, et seq. Ps. dicitur* Gloria Patri.

Domine, non est, etc. *p. 325.*

PS. 131. ORATIO EST, UT DEUS TEMPLUM (ANIMAM) INHABITET.

Memento, Domine, Da-

vid: * et omnis mansuetudinis ejus.

Sicut juravit Domino: * votum vovit Deo Jacob.

Si introiero in tabernaculum domus meæ: * si ascendero in lectum strati mei.

Si dedero somnum oculis meis: * et palpebris meis dormitationem.

Et requiem temporibus meis, donec inveniam locum Domino: * tabernaculum Deo Jacob.

Ecce audivimus eam in Ephrata: * invenimus eam in campis silvæ.

Introibimus in tabernaculum ejus: * adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.

Surge, Domine, in requiem tuam: * tu et arca sanctificationis tuæ.

Sacerdotes tui induantur justitiam: * et Sancti tui exultent.

Propter David servum tuum: * non avertas faciem Christi tui.

JuravitDominusDavid veritatem, et non frustrabitur eam: * de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.

Si custodierint filii tui testamentum meum: * et testimonia mea hæc, quæ docebo eos.

Et filii eorum usque in sæculum: * sedebunt super sedem tuam.

Quoniam elegit Dominus Sion: * elegit eam in habitationem sibi.

Hæc requies mea in sæculum sæculi: * hic habitabo, quoniam elegi eam.

Viduam ejus benedicens benedicam: * pauperes ejus saturabo panibus.

Sacerdotes ejus induam salutari: * et Sancti ejus exultatione exultabunt.

Illuc producam cornu David: * paravi lucernam Christo meo.

Inimicos ejus induam confusione, * super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea.

Gloria Patri.

PS. 132. COMMENDATUR CONCORDIA FRATRUM.

Ecce quam bonum, et quam jucundum: * habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite: * quod descendit in barbam, barbam Aaron.

Quod descendit in oram vestimenti ejus: * sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.

Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem: * et vitam usque in sæculum.

Gloria Patri.

PS. 133. LAUDENT OMNES DEUM, ET BENEDICANTUR.

Ecce nunc benedicite, etc. *Vide pag. 107.*

*Deinde dicitur flexibus genibus:*

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Prætende, Domine, famulis et famulabus tuis dexteram cœlestis auxilii: ut te toto corde perquirant, et quæ digne postulant, consequi mereantur. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

---

## 2. *(Ind.)* SEPTEM PSALMI PŒNITENTIALES.

### CUM ORATIONIBUS CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

### PSALMUS I. PŒNIT.

*Ant.* Ne reminiscaris.

PS. 6. EST PIA PŒNITENTIS PRECATIO.

Domine, ne in furore tuo arguas me, * neque in ira tua corripias me.

Miserere mei, Domine, quoniam infirmus sum: * sana me, Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea.

Et anima mea turbata est valde: * sed tu, Domine, usquequo?

Convertere, Domine, et eripe animam meam: * salvum me fac propter misericordiam tuam.

Quoniam non est in morte, qui memor sit tui? * in inferno autem quis confitebitur tibi?

Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum: * lacrymis meis stratum meum rigabo.

Turbatus est a furore oculus meus: * inveteravi inter omnes inimicos meos.

Discedite a me, omnes qui operamini iniquitatem; * quoniam exaudivit Dominus vocem fletus mei.

Exaudivit Dominus deprecationem meam: * Dominus orationem meam suscepit.

Erubescant et conturbentur vehementer omnes ini-

mici mei: * convertantur et erubescant valde velociter.

Gloria Patri.

ORATIO CONTRA SUPERBIAM.

Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: et ego vilissimus terræ vermiculus, ego pulvis et cinis, ego peccatorum maximus, qui millies infernum merui, non verear me animo efferre? Propitius esto mihi, Domine: agnosco et detestor execrabilem arrogantiam meam. Ne, obsecro, cum superbo Lucifero ejusque asseclis, in gehennæ barathrum me deturbes: convertere et eripe animam meam: adjuva me, et salvum me fac propter misericordiam tuam. Elegi in posterum abjectus esse in domo Dei mei, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum. *Ps. 83. 11.*

## PSALMUS II. PŒNIT.

### PS. 31. BEATUS, QUI A PECCATO LIBER EST.

Beati, quorum remissæ sunt iniquitates: * et quorum tecta sunt peccata.

Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: * nec est in spiritu ejus dolus.

Quoniam tacui, inveteraverunt ossa mea: * dum clamarem tota die.

Quoniam die ac nocte gravata est super me manus tua: * conversus sum in ærumna mea, dum configitur spina.

Delictum meum cognitum tibi feci: * et injustitiam meam non abscondi.

Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam Domino: * et tu remisisti impietatem peccati mei.

Pro hac orabit ad te omnis Sanctus: * in tempore opportuno.

Verumtamen in diluvio aquarum multarum, * ad eum non approximabunt.

Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me: * exultatio mea, erue me a circumdantibus me.

Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac, qua gradieris: * firmabo super te oculos meos.

Nolite fieri sicut equus et mulus, * quibus non est intellectus.

In camo et fræno maxillas eorum constringe, * qui non approximant ad te.

Multa flagella peccatoris: * sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.

Lætamini in Domino, et

exultate, justi: * et gloriamini, omnes recti corde.

Gloria Patri.

ORATIO CONTRA AVARITIAM.

Quid mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum? Non satiatur oculus visu, nec auris impletur auditu: satiabor, cum apparuerit gloria tua. Eheu, quod tanto hactenus studio mammonæ servivi! Et quid mihi proderit, si universum mundum lucratus fuero, animæ vero meæ detrimentum patiar? Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum, et nihil invenerunt in manibus suis. Confitebor adversum me injustitiam meam Domino, et tu remittes, ut spero, impietatem peccati mei. Pauperis in posterum miserebor, male parta restituam, et tuo me servitio ferventius impendam. Tu, Domine, adjuva me, qui reples in bonis desiderium meum. *Psalm. 102. 5.*

## PSALMUS III. PŒNIT.

PS. 37. DESCRIBITUR MISERIA PECCATORIS.

Domine, ne in furore tuo arguas me: * neque in ira tua corripias me.

Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi, * et confirmasti super me manum tuam.

Non est sanitas in carne mea a facie iræ tuæ: * non est pax ossibus meis a facie peccatorum meorum.

Quoniam iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum: * et sicut onus grave gravatæ sunt super me.

Putruerunt, et corruptæ sunt cicatrices meæ, * a facie insipientiæ meæ.

Miser factus sum, et curvatus sum usque in finem: * tota die contristatus ingrediebar.

Quoniam lumbi mei impleti sunt illusionibus, * et non est sanitas in carne mea.

Afflictus sum, et humiliatus sum nimis: * rugiebam a gemitu cordis mei.

Domine, ante te omne desiderium meum: * et gemitus meus a te non est absconditus.

Cor meum conturbatum est, dereliquit me virtus mea, * et lumen oculorum meorum et ipsum non est mecum.

Amici mei et proximi mei: * adversum me appropinquaverunt, et steterunt.

Et qui justa me erant, de longe steterunt: * et vim faciebant qui quærebant animam meam.

Et qui inquirebant mala mihi, locuti sunt vanitates, * et dolos tota die meditabantur.

Ego autem tamquam surdus non audiebam, * et sicut mutus non aperiens os suum.

Et factus sum sicut homo non audiens,* et non habens in oro suo redargutiones.

Quoniam in te, Domine, speravi: * tu exaudies me, Domine Deus meus.

Quia dixi: Nequando supergaudeant mihi inimici mei: * et dum commoventur pedes mei, super me magna locuti sunt.

Quoniam ego in flagella paratus sum, * et dolor meus in conspectu meo semper.

Quoniam iniquitatem meam annuntiabo, * et cogitabo pro peccato meo.

Inimici autem mei vivunt, et confirmati sunt super me: * et multiplicati sunt qui oderunt me inique.

Qui retribuunt mala pro bonis, detrahebant mihi: * quoniam sequebar bonitatem.

Ne derelinquas me, Domine Deus meus: * ne discesseris a me.

Intende in adjutorium meum, * Domine Deus salutis meæ.

Gloria Patri.

### ORATIO CONTRA IRAM.

Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam! In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur! Quis exorabit pro delictis illius? His verbis mihi, Domine Deus, loqueris per servum tuum filium Sirach. Et ego posthac iram aut odium contra quemquam fovere audeam! Parce, Domine, parce malitiæ et pertinaciæ meæ, in qua huc usque perseveravi. Ex anima nunc ignosco et remitto quidquid ullus umquam in me peccavit; supplexque oro, Domine, ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Utinam tamquam surdus in posterum non audiam, et sicut mutus non aperiam os meum, quando inimici mei contra me insurgunt, et vim faciunt, qui quærunt animam meam. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me: quoniam tu es patientia mea. *Ps. 70. 6.*

## PSALMUS IV. PŒNIT.

### PS. 50. EST PIA DAVIDIS PŒNITENTIS ORATIO.

Miserere mei, Deus, etc. *Vide pag. 43.*

ORATIO CONTRA LUXURIAM.

Pater, peccavi in cœlum et coram te, et jam non sum dignus vocari filius tuus. Quid faciam, miser? Non enim permanebit spiritus tuus in homine, quia caro est. Ah! miserere mei, miserere. Quod cum tot reproborum millibus, quos hodiedum abominanda luxuriæ pestis in gehennam præcipitat, raptus non sim, infinitæ tuæ bonitati adscribo. Ergone iterum peccabo? Iterumne pretiosissimum sanguinem tuum, o Jesu, in ablutionem scelerum meorum effusum, amore bestialium voluptatum conculcabo? Absit, o Jesu, absit! Obsecro te, o Fili castissimæ Virginis Mariæ, a spiritu fornicationis libera me. Amplius, amplius lava me ab iniquitate mea, et a peccato meo munda me. Ne projiciat me a facie tua, et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

## PSALMUS V. PŒNIT.

PS. 101. ORATIO EST AD AVERTENDA PECCATI MALA.

Domine, exaudi orationem meam, * et clamor meus ad te veniat.

Non avertas faciem tuam a me: * in quacumque die tribulor, inclina ad me aurem tuam.

In quacumque die invocavero te, * velociter exaudi me.

Quia defecerunt sicut fumus dies mei, * et ossa mea sicut cremium aruerunt.

Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum: * quia oblitus sum comedere panem meum.

A voce gemitus mei * adhæsit os meum carni meæ.

Similis factus sum pelicano solitudinis: * factus sum sicut nycticorax in domicilio.

Vigilavi: * et factus sum sicut passer solitarius in tecto.

Tota die exprobrabant mihi inimici mei, * et qui laudabant me, adversum me jurabant.

Quia cinerem tamquam panem manducabam, * et potum meum cum fletu miscebam.

A facie iræ et indignationis tuæ: * quia elevans allisisti me.

Dies mei sicut umbra declinaverunt, * et ego sicut fœnum arui.

Tu autem, Domine, in æternum permanes, * et memoriale tuum in generationem et generationem.

Tu exurgens misereberis Sion: * quia tempus miserendi ejus, quia venit tempus.

Quoniam placuerunt servis tuis lapides ejus, * et terræ ejus miserebuntur.

Et timebunt gentes nomen tuum, Domine, * et omnes reges terræ gloriam tuam.

Quia ædificavit Dominus Sion: * et videbitur in gloria sua.

Respexit in orationem humilium, * et non sprevit precem eorum.

Scribantur hæc in generatione altera: * et populus qui creabitur, laudabit Dominum.

Quia prospexit de excelso sancto suo: * Dominus de cœlo in terram aspexit.

Ut audiret gemitus compeditorum, * ut solveret filios interemptorum.

Ut annuntient in Sion nomen Domini, * et laudem ejus in Jerusalem.

In conveniendo populos in unum; * et reges ut serviant Domino.

Respondit ei in via virtutis suæ: * paucitatem dierum meorum nuntia mihi.

Ne revoces me in dimidio dierum meorum: * in generationem et generationem anni tui.

Initio tu, Domine, terram fundasti, * et opera manuum tuarum sunt cœli.

Ipsi peribunt, tu autem permanes: * et omnes sicut vestimentum veterascent.

Et sicut opertorium mutabis eos, et mutabuntur: * tu autem idem ipse es, et anni tui non deficient.

Filii servorum tuorum habitabunt, * et semen eorum in sæculum dirigetur.

Gloria Patri.

ORATIO CONTRA GULAM.

Me miserum! qui te, Dominum Deum, fontem aquæ vivæ reliqui, et mihi fodi cisternas delectationum terrenarum, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Vere oblitus sum comedere panem meum, panem vitæ, omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem; ventremque porcorum siliquis implere studui. Adhuc escæ erant olim in ore filiorum Israel, cum ira Dei descenderet super eos: et mihi toties est parcitum, qui cibi potusque intemperantia tuam, Deus, imaginem et similitudinem brutis non raro similem feci! Utinam in posterum cinerem tanquam panem manducem, et potum meum cum fletu misceam; cibusque meus sit, tuam in omnibus facere voluntatem, qui torrente voluptatis tuæ potabis nos *Ps. 55. 9.*

## PSALMUS VI. PŒNIT.

PS. 129. UT A CULPA ET PŒNA LIBEREMUR.

De profundis, etc. *p. 79.*

ORATIO CONTRA INVIDIAM.

Sic, mi Deus, dilexisti mundum, ut Filium tuum unigenitum dares, ut omnis, qui credit in te, non pereat, sed vitam habeat æternam. Tu solem tuum oriri facis super bonos et malos, et pluis super justos et injustos: et ego, dum aliis bene est, invidia exstimuler, omnia mihi ex voto evenire exoptem, proximi tamen vel minima felicitate contrister? O inhumana malitia, o virus infernale! Ignosce, clementissime Pater, quod in eo hactenus a me peccatum est. Benigna est misericordia tua. Fac, ut et ego ex hoc momento induam, sicut electus Dei, viscera misericordiæ: benignitatem, et super omnia charitatem habere studeam, quod est vinculum perfectionis. *Coloss. 3. 14.*

## PSALMUS VII. PŒNIT.

PS. 142. PŒNITENS A VIA PECCATI OPTAT REDUCI.

Domine, exaudi orationem meam: auribus percipe obsecrationem meam in virtute tua: * exaudi me in tua justitia.

Et non intres in judicium cum servo tuo: * quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Quia persecutus est inimicus animam meam: * humiliavit in terra vitam meam.

Collocavit me in obscuris sicut mortuos sæculi: * et anxiatus est super me spiritus meus, in me turbatum est cor meum.

Memor fui dierum antiquorum, meditatus sum in omnibus operibus tuis: * in factis manuum tuarum meditabar.

Expandi manus meas ad te: * anima mea sicut terra sine aqua tibi.

Velociter exaudi me, Domine: * defecit spiritus meus.

Non avertas faciem tuam a me: * et similis ero descendentibus in lacum.

Auditam fac mihi mane misericordiam tuam: * quia in te speravi.

Notam fac mihi viam in qua ambulem: * quia ad te levavi animam meam.

Eripe me de inimicis meis, Domine, ad te confugi: * doce me facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu.

Spiritus tuus bonus de-

ducet me in terram rectam : * propter nomen tuum, Domine vivificabis me in æquitate tua.

Educes de tribulatione animam meam, * et in misericordia tua disperdes inimicos meos.

Et perdes omnes qui tribulant animam meam : * quoniam ego servus tuus sum. Gloria Patri.

*Ant.* Ne reminiscaris, Domine, delicta nostra, vel parentum nostrorum, neque vindictam sumas de peccatis nostris.

ORATIO CONTRA ACEDIAM.

Ecquando, mi Deus, ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omnibu viribus meis, uti par est, te amare et laudare incipiam, qui in charitate perpetua dilexisti me, tibique me sponsasti in sempiternum. Eheu! dormitavit anima mea præ tædio. Væ mihi, qui adeo hactenus in tuo servitio fui tepidus, ut merito formidare possim, ne me incipias evomere ex ore tuo! Sed parce, Domine: non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens. Expando manus meas ad te: anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me, Domine; defecit spiritus meus. Spiritus autem tuus bonus deducet me in terram rectam : et propter nomen tuum, Domine, vivificabis me? *Ps.* 42. 11.

---

## 3. LITANIÆ OMNIUM SANCTORUM.

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Christe, audi nos.
Christe, exaudi nos.
Pater de cœlis Deus, miserere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, miserere nobis.
Spiritus sancte Deus, miserere nobis.
Sancta Trinitas unus Deus, miserere nobis.
Sancta Maria, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix,
Sancta Virgo virginum,
Sancte Michael,
Sancte Gabriel,
Sancte Raphael,
Omnes sancti Angeli et Archangeli, orate pro nobis.

Omnes SS. beatorum Spirituum ordines, orate pro nobis.
Sancte Joannes Baptista, ora pro nobis.
Sancte Joseph, ora pro nobis.
Omnes SS. Patriarchæ et Prophetæ, orate pro nobis.
Sancte Petre, ora pro nobis.
Sancte Paule,
Sancte Andrea,
Sancte Jacobe,
Sancte Joannes,
Sancte Thoma,
Sancte Jacobe,
Sancte Philippe,
Sancte Bartholomæe,
Sancte Matthæe.
Sancte Simon,
Sancte Thaddæe,
Sancte Mathia,
Sancte Barnaba,
Sancte Luca,
Sancte Marce,
Ora pro nobis.
Omnes SS. Apostoli et Evangelistæ, orate pro nobis.
Omnes SS. Discipuli Domini, orate pro nobis.
Omnes SS. Innocentes, orate pro nobis.
Sancte Stephane, ora pro nobis.
Sancte Laurenti, ora pro nobis.
Sancti Vincenti, ora pro nobis.
Sancti Fabiane et Sebastiane, orate pro nobis.
Sancti Joannes et Paule,
Sancti Cosma et Damiane,
Sancti Gervasi et Protasi,
Omnes SS. Martyres,
Orate pro nobis.
Sancte Silvester, ora pro nobis.
Sancte Gregori,
Sancte Ambrosi,
Sancte Augustine,
Sancte Hieronyme,
Sancte Martine,
Sancte Nicolae,
Ora pro nobis.
Omnes SS. Pontifices et Confessores, orate pro nobis.
Omnes SS. Doctores, orate pro nobis.
Sancte Antoni, ora pro nobis.
Sancte Benedicte, ora pro nobis.
Sancte Bernarde, ora pro nobis.
Sancte Dominice, ora pro nobis.
Sancte Francisce, ora pro nobis.
Omnes SS. Sacerdotes et Levitæ, orate pro nobis.
Omnes SS. Monachi et Eremitæ, orate pro nobis.
Sancta Maria Magdalena,
Sancta Agatha,
Sancta Lucia,
Sancta Agnes,
Sancta Cæcilia,
Sancta Catharina,
Sancta Anastasia,
Ora pro nobis.

Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate pro nobis.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro nobis.
Propitius esto, parce nobis, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Ab omni malo, libera nos, Domine.
Ab omni peccato,
Ab ira tua,
A subitanea et improvisa morte,
Ab insidiis diaboli,
Ab ira, et odio, et omni mala voluntate,
A spiritu fornicationis,
A fulgure et tempestate,
A flagello terræmotus,
A peste, fame et bello,
A morte perpetua,
Per mysterium sanctæ Incarnationis tuæ,
Per adventum tuum,
Per nativitatem tuam,
Per baptismum et sanctum jejunium tuum,
Per crucem et passionem tuam,
Per mortem et sepulturam tuam,
Per sanctam resurrectionem tuam,
Per admirabilem ascensionem tuam,
Per adventum Spiritus Sancti paracliti,
In die judicii,

Libera nos, Domine.

Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut nobis parcas,
Ut nobis indulgeas,
Ut ad veram pœnitentiam nos perducere digneris,
Ut Ecclesiam tuam sanctam regere et conservare digneris,
Ut domnum Apostolicum, et omnes Ecclesiasticos ordines in sancta religione conservare digneris,
Ut inimicos sanctæ Ecclesiæ humiliare digneris,
Ut regibus et principibus christianis pacem et veram concordiam donare digneris,
Ut cuncto populo christiano pacem et unitatem largiri digneris,
Ut nosmetipsos in tuo sancto servitio confortare et conservare digneris,
Ut mentes nostras ad cœlestia desideria erigas,
Ut omnibus benefactoribus nostris sempiterna bona retribuas,
Ut animas nostras, fratrum, propinquorum et benefactorum nostrorum ab æterna damnatione eripias,
Ut fructus terræ dare et conservare digneris,

Te rogamus, audi nos.

Ut omnibus fidelibus defunctis requiem æternam donare digneris, te rogamus, audi nos.

Ut nos exaudire digneris, te rogamus, audi nos.

Fili Dei, te rogamus, audi nos.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, parce nobis, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, exaudi nos, Domine.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Christe, audi nos.

Christe, exaudi nos.

Kyrie, eleison.

Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

PSALMUS. 69.

Deus in adjutorium meum intende: * Domine, ad adjuvandum me festina.

Confundantur et revereantur, * qui quærunt animam meam.

Avertantur retrorsum, et erubescant, * qui volunt mihi mala.

Avertantur statim erubescentes, * qui dicunt mihi: Euge: euge!

Exultent et lætentur in te omnes, qui quærunt te: * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego vero egemus et pauper sum: * Deus adjuva me.

Adjutor meus et liberator meus es tu: * Domine, ne moreris.

Gloria Patri.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Domine, non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Oremus pro Pontifice nostro N.

℟. Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra, et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

℣. Oremus pro benefactoribus nostris.

℟. Retribuere dignare, Domine, omnibus nobis bona facientibus propter nomen tuum vitam æternam. Amen.

℣. Oremus pro fidelibus defunctis.

℟. Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Pro fratribus nostris absentibus.

℟. Salvos fac servos tuos, Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, cui proprium est misereri semper et parcere, suscipe deprecationem nostram : ut nos, et omnes famulos tuos, quos delictorum catena constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absolvat.

Exaudi, quæsumus, Domine, supplicum preces, et confitentium tibi parce peccatis : ut pariter nobis indulgentiam tribuas benignus et pacem.

Ineffabilem nobis, Domine, misericordiam tuam clementer ostende : ut simul nos et a peccatis omnibus exuas, et a pœnis, quas pro his meremur, eripias.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice : et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte.

Omnipotens sempiterne Deus, miserere famulo tuo Pontifici nostro N., et dirige eum secundum tuam clementiam in viam salutis æternæ : ut te donante, tibi placita cupiat, et tota virtute perficiat.

Deus, a quo sancta desideria, recta consilia, et justa sunt opera, da servis tuis illam, quam mundus dare non potest, pacem : ut et corda nostra mandatis tuis dedita, et hostium sublata formidine, tempora sint tua protectione tranquilla.

Ure igne sancti Spiritus renes nostros et cor nostrum, Domine : ut tibi casto corpore serviamus, et mundo corde placeamus.

Fidelium Deus omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur.

Actiones nostras, quæsumus, Domine, aspirando præveni, et adjuvando pro-

sequere : ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat, et per te cœpta finiatur.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui vivorum dominaris simul et mortuorum, omniumque misereris, quos tuos fide et opere futuros esse prænoscis; te supplices exoramus, ut pro quibus effundere preces decrevimus, quosque vel præsens sæculum adhuc in carne retinet, vel futurum jam exutos corpore suscepit, intercedentibus omnibus Sanctis tuis, pietatis tuæ clementia omnium delictorum suorum veniam consequantur. Per Dominum nostrum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Exaudiat nos omnipotens et misericors Dominus.

℟. Amen.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

# XXXI.

# PRECES

## IN DIVERSIS TUM PUBLICIS, TUM PRIVATIS NECESSITATIBUS USITANDÆ.

---

### 1. ORATIO PRO TEMPORE BELLI,

#### CONTRA INFIDELES, HÆRETICOS, ALIOSQUE ECCLESIÆ PERTURBATORES.

*Ant.* Adjuva nos, Deus salutaris noster: et propter gloriam nominis tui libera nos : et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

PS. 78. UT DEUS OPEM FERAT CONTRA HOSTEM.

Deus, venerunt gentes in hæreditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum: * posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam.

Posuerunt morticina servorum tuorum, escas volatilibus cœli: * carnes sanctorum tuorum bestiis terræ.

Effuderunt sanguinem eorum tamquam aquam in circuitu Jerusalem: * et non erat qui sepeliret.

Facti sumus opprobrium vicinis nostris: * subsannatio et illusio his, qui in circuitu nostro sunt.

Usquequo, Domine, irasceris in finem, * accendetur velut ignis zelus tuus?

Effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt: * et in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.

Quia comederunt Jacob: * et locum ejus desolaverunt.

Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, cito anticipent nos misericordiæ tuæ: * quia pauperes facti sumus nimis.

Adjuva nos, Deus salutaris noster; et propter gloriam nominis tui, Domine. libera nos: * et propitius esto peccatis nostris, propter nomen tuum.

Ne forte dicant in gentibus: Ubi est Deus eorum? * et innotescat in nationibus coram oculis nostris.

Ultio sanguinis servorum tuorum, qui effusus est: * introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum.

Secundum magnitudinem brachii tui, * posside filios mortificatorum.

Et redde vicinis nostris septuplum in sinu eorum: * improperium ipsorum, quod exprobraverunt tibi, Domine.

Nos autem populus tuus, et oves pascuæ tuæ, * confitebimur tibi in sæculum.

In generationem et generationem: * annuntiabimus laudem tuam.

Gloria Patri.

*Ant.* Adjuva nos, Deus salutaris noster; et propter gloriam nominis tui libera nos; et propitius esto peccatis nostris propter nomen tuum.

Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus, sperantes in te.

℣. Mitte eis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere eos.

℣, Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Non secundum peccata nostra facias nobis.

℟. Neque secundum iniquitates nostras retribuas nobis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur.

Hostium nostrorum, quæsumus, Domine, elide superbiam, et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne.

Ne despicias, omnipotens Deus, populum tuum in afflictione clamantem: sed propter gloriam nominis tui, tribulatis succurre placatus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℟. Amen.

ORATIO S. FRANCISCI XAVERII, PRO CONVERSIONE GENTILIUM, HÆRETICORUM ET PECCATORUM.

Æterne rerum omnium effector Deus, memento abs te animas infidelium, hæreticorum et peccatorum procreatas, easque ad imaginem et similitudinem tuam conditas. Ecce, Domine, in opprobrium tuum his ipsis infernus impletur. Memento, Jesum dilectum Filium tuum pro illarum salute atrocissimam subiisse necem. Noli, quæso, Domine, ultra permittere, ut Filius tuus ab infidelibus, hæreticis et peccatoribus contemnatur; sed precibus sanctorum virorum, et Ecclesiæ sanctissimæ, Filii tui sponsæ, placatus, recordare misericordiæ tuæ, et oblitus idololatriæ, infidelitatis, contumaciæ et malitiæ eorum, effice ut ipsi quoque agnoscant, timeant ac diligant aliquando, quem misisti, Dominum nostrum Jesum Christum, qui est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus; cui sit gloria per infinita sæcula sæculorum. Amen.

## 2. ORATIONES CONTRA PESTEM,

### ET QUOSVIS MORBOS CONTAGIOSOS.

#### I. ORATIO AD DEUM.

Recordare, Domine, testamenti tui, et dic Angelo percutienti: Cesset jam manus tua, et non desoletur terra, nec perdas omnem animam viventem.

℣. Adjuva nos, Deus salutaris noster.

℟. Et propitius esto peccatis nostris.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

#### OREMUS.

Preces populi tui, Domine, clementer exaudi, ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur.

Deus, qui non mortem, sed pœnitentiam desideras peccatorum, populum tuum ad te revertentem propitius respice: ut dum tibi devotus existit, iracundiæ tuæ flagella ab eo clementer amoveas.

Da nobis, quæsumus, Domine, piæ supplicationis effectum, morbosque pestilentes a nobis propitius averte: ut mortalium corda cognoscant, a te indignante talia flagella prodire, et te miserante eadem cessare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

#### II. ORATIO AD B. VIRGINEM CONTRA EOSDEM MORBOS.

Stella cœli extirpavit,
Quæ lactavit Dominum,
Mortis pestem, quam plantavit
Primus parens hominum.
Ipsa Stella nunc dignetur
Sidera compescere,
Quorum bella plebem cædunt
Diro mortis ulcere.
Gloriosa Stella maris,
Summis digna laudibus,
Nos a peste tuearis,
Et a mundi fraudibus.
Medicina Christiana,
Sanos serva, ægros sana;
Quod non valet vis humana,
Præstet tua gratia. Amen

*Dic ter :*

Audi nos, Maria,
Nam Filius nihil negans te honorat :
Salva nos, Messia,
Pro quibus Virgo Mater te orat.

III. ORATIO AD EAMDEM B. V.

Hæc est præclarum vas paracliti Spiritus sancti. Hæc est gloriosa civitas Dei. Hæc est mulier virtutis, quæ contrivit caput serpentis. Hæc est sole speciosior, luna pulchrior, aurora rutilantior, stellis præclarior. Hanc peccatores devote adeamus, rea pectora tundamus, dicentes: Sancta, Sancta, Sancta Maria, clemens et pia Domina nostra; nos a peste et subitanea morte, et ab omni tribulatione sanctis tuis precibus liberatos, fac consortes cœlestis gloriæ.

℣. In omni tribulatione et angustia nostra.

℟. Succurre nobis, piissima Virgo Maria.

OREMUS.

Deus misericordiæ, Deus pietatis, Deus indulgentiæ, qui misertus es super afflictionem populi tui, et dixisti Angelo percutienti populum tuum: Sufficit nunc, contine manum tuam: ob amorem tuum, et gloriosæ Matris tuæ, cujus ubera pretiosa, contra venenum delictorum nostrorum, dulciter suxisti; præsta auxilium gratiæ tuæ; ut ab omni pestifero morbo et improvisa morte liberemur, et a totius perditionis incursu salvemur, per te, o Jesu Christe, Salvator mundi, Rex gloriæ, qui cum Deo Patre et Spiritu sancto vivis et regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

IV. ORATIO AD SS. SEBASTIANUM, ROCHUM ET ANTONIUM.

O beati Sebastiane, Roche et Antoni, intercedite pro nobis ad Dominum Jesum Christum, ut a morbo epidemiæ, et ab omni infirmitate corporis et animæ liberemur.

℣. Orate pro nobis, B. Sebastiane, Roche et Antoni.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Omnipotens, sempiterne Deus, qui meritis sanctorum tuorum Sebastiani, Rochi et Antonii ab epidemiæ morbo homines liberasti: præsta supplicibus tuis; ut qui pro simili gratia impetranda ad te confugimus, ipsorum intercessione ab omni pestilentium morborum periculo eruamur. Per Dominum.

V. ORATIO AD DEUM CONTRA EOSDEM MORBOS.

Media vita, in morte su-

mus; quem quærimus adjutorem, nisi te, Domine, qui pro peccatis nostris juste irasceris? Sancte Deus, Sancte fortis, Sancte immortalis, miserere nobis.

℣. Converte nos, Deus salutaris noster.

℟. Et averte iram tuam a nobis.

OREMUS.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, et populum tuum ab iracundiæ tuæ terroribus liberum, et misericordiæ tuæ fac largitate securum. Per Dominum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

## 3. ORATIONES

### CONTRA FULMINA, TONITRUA, VENTOS, IMBRES, ALIASQUE ADVERSAS TEMPESTATES.

*Ant.* Non accedat ad te malum.

*Ps. 90.* Qui habitat in, etc. *pag. 106.*

OREMUS.

A domo tua, quæsumus, Domine, spiritales nequitiæ repellantur, et aerearum discedat malignitas tempestatum. Per Dominum.

### CONTRA EASDEM TEMPESTATES.

*Ant.* Jesus Nazarenus.

*Ps. 6.* Domine, ne in furore tuo, etc. *pag. 343.*

*Ant.* Jesus Nazarenus, Rex Judæorum, titulus triumphalis, nos defendat et protegat. Ecce crucem Domini, fugite partes adversæ, vicit Leo de tribu Juda, Radix David. Alleluia.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Benedicamus Patrem, et Filium cum S. Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

OREMUS.

Ad te nos, Domine, clamantes exaudi, et aeris serenitatem nobis tribue supplicantibus : ut qui juste

pro peccatis nostris affligimur, misericordia tua præveniente, clementiam sentiamus. Per Dominum.

*Tempore famis.*

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine, piæ supplicationis effectum, et famem propitiatus averte; ut mortalium corda cognoscant, a te indignante talia flagella prodire, et te miserante cessare. Per Dominum.

*Ad petendam pluviam.*

ORATIO.

Deus, in quo vivimus, movemur et sumus, pluviam nobis tribue congruentem: et præsentibus subsidiis sufficienter adjuti, sempiterna fiducialius appetamus. Per Dominum.

*Ad petendam serenitatem.*

ORATIO.

Ad te nos, Domine, clamantes, etc. *pag. 360.*

ORATIO PRO QUACUMQUE NECESSITATE.

Deus, refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, et præsta: ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum.

---

## 4. THRENUS S. AUGUSTINI,

### PRO PRIVATIS ET PUBLICIS NECESSITATIBUS.

Ante oculos tuos, Domine, culpas nostras ferimus, et plagas, quos accepimus, conferimus.

Si pensamus malum, quod fecimus; minus est, quod patimur; majus est, quod meremur.

Gravius est, quod commisimus: levius est quod toleramus.

Peccati pœnam sentimus, et peccandi pertinaciam non vitamus.

In flagellis tuis infirmitas nostra teritur, et iniquitas non mutatur.

Mens, ægra torquetur, et cervix non flectitur.

Vita in dolore suspirat, et in opere non se emendat.

Si expectas, non corrigimur: si vindicas, non duramus.

Confitemur in correctione, quod egimus: obliviscimur post visitationem quod flevimus.

Si extenderis manum, facienda promittimus: si suspenderis gladium, promissa non solvimus.

Si ferias, clamamus ut parcas: si peperceris, iterum provocamus, ut ferias.

Habes, Domine, confitentes reos: novimus, quod nisi dimittas, recte nos perimas.

Præsta, Pater omnipotens, sine merito, quod rogamus: qui fecisti ex nihilo, qui te rogarent. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus; ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in Apostolicæ confessionis petra solidasti, et tot millium Martyrum intercessione tibi obligasti. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

Amen.

## 5. INNOCENTII TERTII ORATIONES TRES

### PRO DEFENSIONE ET TRANQUILLITATE CATHOLICÆ ET ORTHODOXÆ ECCLESIÆ.

#### PRIMA ORATIO.

A cunctis nos quæsumus, Domine, mentis et corporis defende periculis, et intercedente beata et gloriosa Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus Sanctis, salutem nobis tribue benignus et pacem: ut destructis adversitatibus et erroribus universis, Ecclesia tua secura tibi serviat libertate. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

#### SECUNDA ORATIO.

Exaudi nos, salutaris noster, ut per unigeniti Filii tui sacratissimæ passionis virtutem a cunctis nos mentis et corporis hostibus tuearis, gratiam tribuens in præsenti, et gloriam in futuro. Per eumdem Chri-

stum Dominum nostrum. Amen.

TERTIA ORATIO.

Mundet et muniat nos, quæsumus, Domine, unigeniti Filii tui pretiosissimus sanguis effusus et tibi oblatus in cruce; et intercedente beata Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque beato N. et omnibus Sanctis, a cunctis nos reddas et perversitatibus expiatos, et adversitatibus expeditos. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

---

## 6. PRECES

### ANTE ET POST EXERCITIA SPIRITUALIA CANTANDÆ.

ANTE EXERCITIA SPIRITUALIA.

*Finita ultima stropha Hymni* Veni Creator, *cantat Sacerdos:*

℣. Emitte Spiritum tuum et creabuntur.

℟. Et renovabis faciem terræ.

℣. Cor mundum crea in me, Deus.

℟. Et spiritum rectum innova in visceribus meis.

℣. Ne projicias me a facie tua.

℟. Et spiritum sanctum tuum ne auferas a me.

℣. Redde mihi lætitiam salutaris tui.

℟. Et spiritu principali confirma me.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, innocentiæ restitutor et amator, dirige ad te tuorum corda servorum; ut Spiritus tui fervore concepto, et in fide inveniantur stabiles, et in opere efficaces.

Illo nos igne, quæsumus, Domine, Spiritus sanctus inflammet, quem Dominus noster Jesus Christus misit in terram, et voluit vehementer accendi.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humanæ fragilitatis infirmitatem agnoscis, respice, quæsumus, super nos famulos tuos, et larga tuæ benedictionis abundantia infirmitatem nostram robora, ut vota nostra, quæ

prævcniendo aspiras, per auxilium gratiætuæ innovari facias, et sancte vivendo fidelius observari tribuas. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

POST EXERCITIA SPIRITUALIA.

*Finito Hymno* Te Deum, *cantat Sacerdos:*

℣. Benedicamus Patrem, et Filium, cum sancto Spiritu.

℟. Laudemus et superexaltemus eum in sæcula.

℣. Beata gens cujus est Dominus Deus ejus.

℟. Populus quem elegit in hæreditatem sibi.

℣. Manda Deus virtuti tuæ.

℟. Confirma hoc, Deus, quod operatus es in nobis.

℣. Salvum fac populum tuum, Domine, et benedic hæreditati tuæ.

℟. Et rege eos, et extolle illos usque in æternum.

℣. Unam petii a Domino, hanc requiram.

℟. Ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus, piissimæ Majestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes; ut qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens ad præmia futura disponas.

Da nobis, quæsumus, Domine, perseverantem in tua voluntate famulatum, ut in diebus nostris et merito et numero populus tibi serviens augeatur.

Proficiat, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu, ut sacris actionibus erudita, quanto Majestati tuæ sit gratior, tanto donis potioribus augeatur.

Gratia tua nos, quæsumus, Domine, non derelinquat, quæ et sacræ nos deditos faciat servituti, et tuam nobis opem semper acquirat

Fideles tuos, Deus, benedictio desiderata confirmet, quæ eos et a tua voluntate numquam faciat discrepare, et tuis semper indulgeat beneficiis gratulari. Per Dominum nostrum.

# XXXII.

# PRECES

## IN DIVERSIS TUM ANIMÆ, CUM CORPORIS NECESSITATIBUS USITANDÆ.

---

## 1. PRECES PRO ELIGENDO VITÆ STATU.

I. ORATIO, AD DEUM PATREM, PRO DIVINA SAPIENTIA ET SPIRITU SANCTO IMPETRANDO. *Ex. Sap. 9.*

Omnipotens æterne Deus, qui fecisti omnia verbo tuo, et sapientia tua constituisti hominem : mitte illam de sedibus sanctis tuis, et a sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit et mecum laboret, ut sciam quid acceptum sit apud te. Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? aut quis poterit cogitare quid velit Deus? cogitationes enim mortalium timidæ, et incertæ providentiæ nostræ Corpus enim, quod corrumpitur, aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem. Sensum autem tuum quis sciet, nisi tu dederis sapientiam, et miseris Spiritum sanctum tuum de altissimis, et sic correctæ sint semitæ eorum, qui sunt in terris.

HYMNUS.

Veni, S. Spiritus, etc. *Vide pag. 190.*

II. ORATIO, AD JESUM, QUA QUIS SE INDIFFERENTEM AD OMNES STATUS OFFERT.

Ecce, mi Jesu, ad omnes status indifferentem me tibi sisto; illum promptus amplectar, ad quem tu me vocaveris. Vis ut de terra mea, de cognatione, de domo patris exeam? paratum cor meum. Nec patria, nec cognati, nec opes, nec voluptates me tenebunt. Vis ut abdicatis omnibus in religiosa paupertate, castitate et obedientia tibi serviam? paratum cor meum. Vis me

in ecclesiastico statu vivere? paratum cor meum. Sed ad hunc, oro, neque viis illicitis me pervenire, neque turpiter in eo sinas vivere. Præpropera me potius morte ad te ex hoc mundo evoca. Vis ut cælibem in sæculo vitam, aut honestum conjugium subeam? Da ostensionem beneplaciti tui: paratum cor meum. Ad læta et tristia, ad suavia et aspera me offero. Tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. *Luc. 22. 33.*

III. ORATIO, AD B. VIRGINEM.

Ad te, o stella maris, inter instabiles hujus vitæ fluctus, oculos meos levo. Dirige, o Mater æternæ lucis, cor meum ad polum suum, Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, et deduc me ad talem vitæ statum, in quo eidem Filio tuo digne serviam, et denique optatum cœlestis patriæ portum obtineam. Amen.

*Alias Orationes ad B. Virginem vide pag. 240.*

IV. ORATIO, AD ANGELUM CUSTODEM.

O mi Angele, cujus tutelæ a Deo sum traditus; o dux et comes peregrinationis meæ, adesto mihi in gravissimo hoc salutis meæ negotio; ostende viam, quam eligam, ut finem meum, ad quem creatus sum, hoc est, æternam beatitudinem, consequar, ut una tecum Deum meum æternum intueri et laudare merear. Amen.

*Alias Orationes ad S. Raphaelem et Angelum Custodem vide pag. 205.*

V. ORATIO, PRO PERSEVERANTIA IN CONCEPTO BONO PROPOSITO.

O benignissime Deus, ostendisti mihi viam in qua ambulem, judicia tua et leges manifestasti mihi, nimirum in statu hoc... me tibi vis servire: gratiam, oro, impertire, ut huic meo proposito constanter insistam, atque æternam salutem consequar. Amen.

## 2. ORATIONES DICENDÆ IN AFFLICTIONIBUS.

I. ORATIO.

*Ant.* Non accedat ad te malum.

PS. 90. DEO IN ADVERSIS FIDENDUM.

Qui habitat in adjutorio

Altissimi, * in protectione Dei cœli commorabitur.

Dicet Domino: susceptor meus es tu, et refugium meum: * Deus meus, sperabo in eum.

Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium: * et a verbo aspero.

Scapulis suis obumbrabit tibi * et sub pennis ejus sperabis.

Scuto circumdabit te veritas ejus: * non timebis a timore nocturno.

A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: * ab incursu et dæmonio meridiano.

Cadent a latere tuo mille, et decem millia a dextris tuis: * ad te autem non appropinquabit.

Verumtamen oculis tuis considerabis, * et retributionem peccatorum videbis.

Quoniam tu es, Domine, spes mea: * altissimum posuisti refugium tuum.

Non accedat ad te malum, * et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Quoniam Angelis suis mandavit de te, * ut custodiant te in omnibus viis tuis.

In manibus portabunt te: * ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.

Super aspidem et basiliscum ambulabis: * et conculcabis leonem et draconem.

Quoniam in me speravit, liberabo eum: * protegam eum, quoniam cognovit nomen meum.

Clamabit ad me, et ego exaudiam eum: * cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, et glorificabo eum.

Longitudine dierum replebo eum, * et ostendam illi salutare meum.

Gloria Patri.

*Ant.* Non accedat ad te malum, et flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Divinum auxilium maneat semper nobiscum.

℟. Amen.

II. ORATIO.

O dulcissime Domine Jesu Christe, vere Deus, qui de sinu summi Patris omnipotentis missus es in mundum peccata relaxare, afflictos redimere, in carcere positos solvere, dispersos congregare, peregrinos in suam patriam reducere, contritis corde misereri, dolentes et lugentes consolari: dignare, Domine Jesu Christe, absolvere et liberare me famulum tuum de afflictione et tribulatione, in qua positus sum. Et tu, Domine, qui genus humanum in quantum homo, a Deo Patre omnipotente in custodiam recepisti, et ex pietate tua, crudeli passione nobis paradisum pretioso Sanguine tuo mirabiliter mercatus es, et inter Angelos et homines pacem fecisti: tu, Domine Jesu Christe, digneris inter me et inimicos meos stabilire et confirmare concordiam et pacem, et gratiam tuam super me ostendere, et infundere misericordiam tuam; et omne odium et iracundiam inimicorum meorum, quam contra me habent, digneris extinguere et mitigare: sicut iracundiam et odium Esau abstulisti, quod habebat adversus Jacob fratrem suum; ita, Domine Jesu Christe, super me famulum tuum brachium tuum et gratiam tuam extendere, et me liberare digneris ab omnibus me odientibus. Et tu, Domine Jesu Christe, sicut liberasti Abraham de manibus Chaldæorum, et filium ejus Isaac de immolatione sacrificii cum ariete, et Jacob de manu Esau fratris sui, et Joseph de manu fratrum suorum, Noe per arcam diluvii, et Loth de civitate Sodomorum, famulos tuos Moysen et Aaron, et populum Israelem de manu Pharaonis, et de servitute Ægypti, David Regem de manu Saulis et Goliæ gigantis, Susannam de falso crimine et testimonio, Judith de manu Holofernis, Danielem de lacu leonum, tres pueros Sidrach, Misach et Abdenago de camino ignis ardentis, Jonam de ventre ceti, et filiam Chananææ, quæ erat tormentata per diabolum, et Adam de profundo puteo inferni cum pretiosissimo Sanguine tuo, et Petrum de mari, et Paulum de vinculis; ita me

famulum tuum, dulcissime Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, liberare digneris ab omnibus inimicis meis, et succurre in adjutorium meum, per sancta beneficia tua, per sanctam Incarnationem tuam, quam accepisti ut homo de Virgine Maria; per sanctam nativitatem tuam, per famem, per sitim, per frigus, per calores, per labores et afflictiones, per sputa, per alapas, per flagella, per clavos, per lanceam, per spineam coronam, per potationem fellis et aceti, per sævissimam mortem crucis, per septem verba, quæ pendens in cruce dixisti, scilicet Deo Patri omnipotenti: Ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Dixisti, Domine, latroni in cruce pendenti: Amen, Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso. Dixisti, Domine, Patri tuo: Eli, Eli, lamma sabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Dixisti, Domine, Matri tuæ: Mulier, ecce Filius tuus; deinde discipulo: Ecce Mater tua; ostendens curam te habere tuorum amicorum. Dixisti, Domine: Sitio; scilicet salutem animarum sanctarum, quæ in limbo fuerunt, et nostram cupiendo. Dixisti, Domine, Patri tuo: In manus tuas commendo Spiritum meum. Dixisti, Domine: Consummatum est, significans labores et dolores, quos pro nobis miseris suscepisti, jam finiri. Propter hoc etiam rogo te, Redemptor, Domine Jesu Christe, ut me famulum tuum custodias ab hoste maligno, et ab omni periculo hic in præsenti, et in futuro. Defende me per descensionem tuam ad inferos, per sanctam resurrectionem tuam, et frequentem discipulorum tuorum consolationem, per admirabilem ascensionem tuam, per adventum Spiritus sancti paracliti, per diem tremendi judicii, per hæc omnia exaudi me, Domine. Et per cuncta beneficia tua, et etiam pro cunctis beneficiis tuis mihi famulo tuo collatis: quia tu me fecisti ex nihilo: tu produxisti me: tu ad fidem sanctam tuam perduxisti me: et contra diaboli tentationem me præmunisti, vitam æternam promittendo. Propter ista et omnia alia, quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt, rogo te, dulcissime Domine Jesu Christe, ut ab omnibus periculis animæ et corporis pro tua pietate et miseri-

cordia me famulum tuum nunc et semper liberare digneris; et post hujus vitæ cursum ad te Deum vivum et verum me perducere digneris. Qui vivis et regnas.

III. ORATIO DICENDA IN IMMODICA TRISTITIA.

*Tristatur aliquis vestrum? Orat.* Jac. 5. 13.

Succurre, benignissime Jesu: cor meum conturbatum est intra me; dereliquit me virtus mea, tota die contristatus ingredior; quia longe facta est a me consolatio. Tecum, o Jesu, cogor exclamare: Tristis est anima mea usque ad mortem. Væ mihi quia peccavi, propterea mœstum factum est cor meum. Peccavi, fateor, impie egi, inique gessi. Domine Deus meus, in omnibus justitiis tuis avertatur, obsecro, ira tua a me; vide humilitatem meam, et dimitte omnia peccata mea. Per omnes angores et tristitias tuas, pie Jesu, quibus cor tuum in horto, et in ara crucis coangustatum est, te supplex oro, ut mihi in hoc statu subvenire digneris, nec in æternum me a te separari permittas. Mihi adhærere tibi Deo meo bonum est; et ponere in te Domino spem meam.

Amen.

IV. ORATIO DICENDA IN VEHEMENTIBUS CORPORIS DOLORIBUS.

Angustiæ et dolores tenuerunt me, Domine Jesu: multi sunt gemitus mei. Ne avertas aurem tuam a singultu meo, et clamoribus, parce, ah! parce imbecillitati meæ; tu enim languores nostros ipse tulisti et dolores nostros ipse portasti; livore tuo sanati sumus. Sana animam et corpus meum, ne te umquam, vehementia dolorum superatus, offendam. Amen.

V. ORATIO ECCLESIÆ PRO INFIRMO.

Deus, infirmitatis humanæ singulare præsidium, auxilii tui super infirmum famulum tuum N. ostende virtutem: ut ope misericordiæ tuæ adjutus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis repræsentari mereatur. Per Dominum.

*Si pro teipso, vel pro uno, aut pluribus hanc Orationem dicis, personas, genera et tempora muta. Idem in sequenti Oratione faciendum.*

IV. ORATIO ECCLESIÆ PRO INFIRMO, QUI VICINUS MORTI ESSE VIDETUR.

Omnipotens et misericors Deus, qui humano generi et

salutis remedia et vitæ æternæ munera contulisti: respice propitius famulum tuum N. infirmitate corporis laborantem, et animam refove, quam creasti; ut in hora exitus illius, absque peccati macula, tibi Creatori suo, per manus sanctorum Angelorum repræsentari mereatur. Per Dominum.

### VII. ORATIO AD SPEM EXCITANDUM CONTRA DESPERATIONEM.

*S. Aug. Cap. 13. Med.*

Peccavi, Domine, peccatum grande; et multorum sum mihi conscius delictorum; sed nec sic despero, quoniam ubi abundaverunt delicta, superabundavit et gratia. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat te Deum esse misericordem. Magnam injuriam tibi facit, qui de tua misericordia diffidit. Non possum terreri multitudine peccatorum, si mors tua, Domine Jesu, in mentem meam venerit. Clavi et lancea clamant mihi, quod tibi reconciliatus sum, si te amavero. Longinus aperuit mihi latus tuum, et ego intravi, et ibi requiesco securus. Nullum tam potens amoris erga te incitamentum est, quam mors tua, mi Jesu, qua me redemisti. Inclinas caput tuum in morte, ut osculum mihi, quamvis peccatori, des: extendis brachia tua in cruce, et expandis manus tuas, paratus in amplexus meos. Inter brachia tua et vivere volo, et mori cupio. Amen.

### VIII. ORATIO S. THOMÆ AQUINATIS, QUA VIRTUTES CHRISTIANI HOMINIS PETUNTUR.

Concede mihi, misericors Deus, quæ tibi placita sunt, ardenter concupiscere, prudenter investigare, veraciter agnoscere et perfecte adimplere. Ad laudem et gloriam Nominis tui, ordina statum meum; et quod a me requiris ut faciam, tribue ut sciam; et expedit animæ meæ. Da mihi, Domine Deus meus, inter prospera et adversa non deficere, ut in illis non extollar, in istis non deprimar. De nullo gaudeam vel doleam, nisi quod ducat ad te, vel abducat a te: nulli placere appetam, vel displicere timeam, nisi tibi. Vilescant mihi, Domine, omnia transitoria, et chara mihi sint omnia tua propter te, et tu, Deus, plus quam omnia. Tædeat me gaudii quod est sine te, nec aliquid cupiam quod est extra te. Delectet me, Domine, labor qui est pro te, et tædiosa sit mihi omnis quies, quæ est

sine te. Frequenter da mihi, Domine, cor ad te dirigere, et in defectione mea cum emendationis proposito dolendo pensare. Fac me, Domine Deus, obedientem sine contradictione, pauperem sine defectione, castum sine corruptione, patientem sine murmuratione, humilem sine fictione, hilarem sine dissolutione, tristem sine dejectione; maturum sine gravitate, agilem sine levitate, timentem sine desperatione, veracem sine duplicitate, operantem bona sine præsumptione, proximum corrigere sine elatione, ipsum ædificare verbo et exemplo sine simulatione. Da mihi, Domine Deus, cor pervigil, quod nulla abducat a te curiosa cogitatio: da nobile, quod nulla deorsum trahat indigna affectio: da rectum, quod nulla seorsum obliquet sinistra intentio: da invictum, quod nulla frangat tribulatio: da liberum, quod nulla sibi vindicet perversa et violenta affectio. Largire mihi, Domine Deus meus, intellectum te cognoscentem, diligentiam te quærentem, sapientiam te invenientem, conversationem tibi placentem, perseverantiam te fideliter expectantem, et fiduciam te finaliter amplectentem. Da tuis pœnis configi per pœnitentiam, tuis beneficiis uti in via per gratiam, et tandem tuis gaudiis in patria perfrui per gloriam. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

IX. PIÆ PETITIONES S. AUGUSTINI TARDE ET CUM ALIQUA CONSIDERATIONE RECITANDÆ.

Domine Jesu, noverim me, noverim te,
Nec aliquid cupiam nisi te.
Oderim me, et amem te.
Omnia agam propter te.
Humiliem me, exaltem te.
Nihil cogitem nisi te.
Mortificem me, et vivam in te.
Quæcumque eveniant accipiam a te.
Persequar me, sequar te:
Semperque optem sequi te.
Fugiam me, confugiam ad te,
Ut merear defendi a te.
Timeam mihi, timeam te.
Et sim inter electos a te.
Diffidam mihi, fidam in te.
Obedire velim propter te.
Ad nihil afficiar, nisi ad te.
Et pauper sim propter te.
Aspice me, ut diligam te.
Voca me, ut videam te.
Et in æternum fruar te.
Amen.

### X. ORATIO S. FRANCISCI ASSISII.

Absorbeat, quæsumus, Domine Jesu Christe, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui ab omnibus, quæ sub cœlo sunt, ut amore amoris tui mundo moriar, qui amore amoris mei dignatus es in ligno crucis mori. Qui vivis.

### XI. ORATIO UNIVERSALIS PRO QUALIBET RE A DEO IMPETRANDA.

Omnipotens sempiterne Deus, cujus misericordiæ non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus: en ego peccator (qui tamen ex intima corde nunc doleo, quod clementissimum Patrem meum umquam offenderim) cum filiali fiducia, infinitam Majestatem tuam supplex accedo: ne, quæso, me, quem ex infinita potentia tua ex nihilo creasti, ex summo amore in filium et hæredem cœlestis gloriæ adoptasti, ex immensa bonitate per mortem unigeniti et æterni Filii tui, ab æterna damnatione liberasti; ne, obsecro, me, cui hæc omnia licet indignissimo præstitisti, a facie tua repellas. Per ineffabilem misericordiam tuam, qua gravissimos etiam peccatores vere contritos in momento ex abysso omnium scelerum extraxisti: per merita dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi: per ardentissimam Spiritus sancti charitatem, qua te Patrem cum Filio complectitur; per beatissimam Virginem Mariam, a te in Filiam, a Filio tuo in Matrem, a Spiritu sancto in Sponsam ab æterno electam et præordinatam: per omnium denique Angelorum et Sanctorum merita ac laudes suppliciter oro, ut miserearis mei, tuamque ad preces meas aurem inclines. O clementissime Pater, aperi thesauros inexhaustæ bonitatis tuæ, meque infinitæ liberalitatis tuæ fac esse participem. Hoc peto.

*Hic aut mente, aut verbis tibi vel aliis aliquid dari a Deo, vel ab aliquo malo liberari pete.*

Converte, quæso, Domine, benignitatis tuæ mitissimos oculos ad me, licet indignissimam creaturam tuam, et esto propitius supplicationibus meis. Iterum te, Domine Deus meus, per omnia quæ in cœlo, et in terra tibi chara sunt, suppliciter oro, ut, quod peto, benigne mihi largiaris. Amen.

*Si id, quod petis, per se bonum ac pium sit, hic fi-*

*nienda est oratio : si vero indifferens, hoc est, neque bonum neque malum, qualis est prospera valetudo, scientia, honor, pax, secunda fortuna, adde quod sequitur :*

Per eamdem bonitatem ac clementiam tuam, o Deus, humiliter oro, ut, si, quod peto, voluntati tuæ adversetur, ne id mihi largiaris. Unice volo, mi Deus, quod tu vis : et quod tu non vis, id ego unice nolo. Scio, o Bonitas, scio, id mihi solum obesse quod tibi non placet, omne vero bonum meum in tuo esse beneplacito. Non ergo mea, Domine, non mea, sed tua in omnibus sanctissima voluntas fiat. Amen.

# XXXIII.

## ORATIONIS DOMINICÆ,

**ET SALUTATIONIS ANGELICÆ PARAPHRASES. MENSIS MARIANUS. PRECES QUÆDAM PECULIARES, QUIBUS ANNEXÆ SUNT INDULGENTIÆ.**

### 1. ORATIONIS DOMINICÆ PARAPHRASIS.

*Cum orationum omnium absolutissimum exemplar sit* Oratio Dominica, *quæ comprehendit quidquid nos Deus a se postulare cupit, dignitate etiam, utpote quam Christus ipse nos docuit, omnes precandi formulas antecellat, operæ pretium erit eam hic paraphrastice deductam proponi.*

*Præfatiuncula.*

*Pater noster* amantissime, qui tua nos bonitate ex nihilo ad imaginem et similitudinem tuam creasti : lapsosque ab æterna damnatione per Unigenitum tuum redemisti, et in filios adoptionis assumere dignatus es : qui nos plus quam paterno affectu in hunc usque diem prosequeris. Utinam te Patrem ita amemus et colamus, ut vere tui filii appellari mereamur.

*Qui es in cœlis,* secundum

gloriam et magnificentiam tuam: ubi millia millium Angelorum tibi ministrant, et decies millies centena millia tibi assistunt. At nos exules filii tui in hac lacrymarum valle errabundi vagamur, et ad te clamamus gementes et flentes. Eja ergo, Pater noster, qui es in cœlis, vota et desideria tuorum filiorum clementer exaudi, et corda nostra ad te sursum trahe, ut conversatio nostra apud te sit in cœlis.

1. *Petitio. Sanctificetur* (quod unice optamus) *nomen tuum* in nobis, quod in se sanctum et gloriosum est, gratiamque largire, ut omni loco et tempore illud agnoscamus, veneremur et celebremus; a solis enim ortu usque ad occasum laudabile nomen Domini.

2. *Adveniat* in corda et animos nostros *regnum tuum*, procul inde pulsis carne, mundo et diabolo. Regnum hoc tuum gratiæ est, per quod ad gloriæ tuæ regnum transire anhelamus.

3. *Fiat voluntas tua,* qua nihil sanctius, nihil optabilius excogitari potest, *sicut in cœlo* inter Angelos et Electos tuos, cum summo omnium gaudio et complacentia; ita *et in terra* inter homines cum perfectissima resignatione tam in adversis quam prosperis, tam in tristibus quam lætis. Dispereat quidquid tuæ voluntati adversatur.

4. *Panem nostrum quotidianum* non illum solum, quo corpus alitur, sed et illum quo anima pascitur, videlicet verbum tuum vivificum, et panem Angelorum *da nobis hodie.* Respice, o Pater, paupertatem tuorum filiorum, nec ullo die illius inopia nos premat.

5. *Et dimitte nobis,* benignissime Pater, immensa *debita nostra,* plurimis gravissimisque peccatis et negligentiis nostris contracta, quibus neque nos, neque ulla creatura solvendis sufficit. Quamobrem infinitam misericordiam tuam pro illorum remissione supplices imploramus, ut illa nobis dimittas: *sicut et nos* vicissim *dimittimus* amore tui *debitoribus nostris,* a quibus umquam læsi sumus. Tu, clementissime Pater, reluctantem cordis nostri duritiem et acerbitatem emolli, ut omnes in sancto charitatis tuæ Spiritu arctissime conjungamur.

6. *Et ne nos* fragilia vasa *inducas in tentationem,* cui facile succumberemus. Blanditur caro, sollicitat mundus, impugnat diabolus: a

te, Pater, nos conantur abstrahere. Tu solus refugium es nostrum et virtus; ne, obsecro, patiaris tentari nos supra id, quod possumus.

7. *Sed libera nos a malo,* tum animæ, tum corporis, cujus non est numerus. Imprimis vero libera nos a malo culpæ, quo tu, Deus, summum bonum nostrum offenderis. Libera nos quoque (si ad tuam gloriam, nostramque salutem cedat) a malo pœnæ, nimirum tristitia, ignominia, bello, fame, morbo, egestate, et quidquid ejusmodi peccata nostra merentur; eorumque nos tandem consortio adscribe, qui te summo bono æternum in cœlo perfruuntur. Quid enim mihi est in cœlo, et a te quid volui super terram, Deus cordis mei, et pars mea Deus in æternum!

*Amen,* hoc est, fiat, o Pater, quod petimus, per viscera misericordiæ tuæ, per merita Filii tui, per amorem Spiritus sancti.

---

## 2. SALUTATIONIS ANGELICÆ PARAPHRASIS.

*Ave,* gaude et lætare, o cœlorum Regina et terrarum Domina, *Maria.* O lætum diuque exoptatum Ave, per quod Eva inversa est: hæc maledictionem ipsamque mortem: tuum Ave, o Maria! benedictionem vitamque mundo sempiternam invexit.

*Gratia plena,* in quam immensum gratiarum mare se totum effudit. O gratiæ affluentia! quæ cœlis gloriam, terris Deum, salutem attulit hominibus. Fac, o Mater gratiæ, ut gratiæ tuæ abundantia in cor meum redundet.

*Dominus tecum,* quali modo cum nullo umquam hominum aut Angelorum fuit. Pater cœlestis tecum est, qui Filium suum facit et tuum: Filius tecum est, qui virgineam tuam carnem æterno sibi vinculo conjungit; Spiritus sanctus tecum est, qui cum Patre et Filio tuum sanctificat uterum. Tua, o Maria, intercessione impetra, ut idem Dominus mecum sit.

*Benedicta tu in mulieribus,* quæ omnis maledictionis mulierum expers fuisti; Virgo concepisti; sine dolore peperisti. Mater generis nostri, salutem attulisti mundo: auctrix peccati

Eva, auctrix meriti tu es, o Maria. Eva occidendo obfuit, tu vivificando profuisti; illa percussit, tu sanasti. Te supplex oro, o benedicta inter mulieres, ut tuæ benedictionis participem me facias.

*Et benedictus fructus ventris tui*, qui omnis benedictionis fons est. O Virgo benedicta! quis dignas tuis meritis gratias ac laudes referat? quæ illum mundo peperisti, in quo benedicuntur omnes gentes : bonitatis suæ abundantia officii nostri defectus excuset, ac suppleat. Fac insuper, o inventrix gratiæ, o genitrix vitæ, o mater salutis, ut qui per te nostræ carnis ac miseriæ voluit esse particeps, per te quoque benedictionis suæ in præsenti, et gloriæ in futuro nos faciat participes Jesus Christus Filius tuus Dominus noster, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat.

*S. Maria, etc.*

---

## 3. (*Ind.*) MENSIS MARIANUS, SEU MENSIS MAIUS.

Devotio mensis Mariani, quæ exordium sumpsit in Italia, jam a fine sæculi decimi octavi per totum orbem catholicum propagari cœpit; hodie autem tantos omnis generis gratiarum, veræque pietatis fructus in familiis christianis producit, ut pergratum fuerit in hoc manuali fidelium libro reperire, quomodo amœnus ille mensis cultui beatæ Mariæ Virginis specialiter dedicatus, optime ab ipsis sanctificari queat.

Primum quidem in iis locis, ubi hoc pietatis exercitium in publico fidelium cœtu celebrari solet, expedit, ut nosmetipsi illud publice frequentemus, et ab aliis, maxime vero ab iis qui alia obedientiæ ratione nobis sunt obstricti, frequentandum curemus. Quod si per tempus huic nostræ devotioni satisfacere non liceat, id saltem nobis curæ sit, ut ne una quidem dies eo mense prætereat, quin vel soli, vel potius etiam cum tota familia, beatam Mariam Virginem peculiaribus quibusdam amoris filialis et reverentiæ signis honoremus. Hac autem ratione id plurimum fieri solet:

1. Sacrificio Missæ quotidie, si fieri possit, assistitur in honorem beatæ Mariæ Virginis.

2. Rosarium vel aliqua ejus pars quotidie recitatur. *Vide pag. 248.*

3. Singulis diebus fit lectio spiritualis de vita, virtutibus, misericordia, potentique Virginis Mariæ apud Filium suum intercessione.

4. Quotidie dicuntur Litaniæ beatæ Mariæ Virginis. *Vide pag. 170.*

5. Semel ut minimum eo mense instituitur Confessio sacramentalis et sacra Communio.

*Mense Maio sic aliave quadam ratione, in honorem beatæ Mariæ Virginis transigendo lucrari poteris singulis diebus semel tercentos dies indulgentiarum, et semel indulgentias plenarias eo mensis die quem elegeris, dummodo confessus et sacra Communione refectus secundum consuetos Ecclesiæ fines oraveris. Eæ indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari queunt.* (Pius VII, 21 Mart. 1815.)

---

## 4. PRECES QUÆDAM PECULIARES,

### QUIBUS PLURIMÆ ANNEXÆ SUNT INDULGENTIÆ.

*(Ind.)* TRISAGIUM.

Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum: plena est terra gloria tua. Gloria Patri, gloria Filio, gloria Spiritui sancto.

ORATIO A VENERABILI CAPITULO SANCTI PETRI ROMÆ SINGULIS DIEBUS SABBATI RECITARI SOLITA.

OREMUS.

*(Ind.)* Pietate tua, quæsumus, Domine, nostrorum solve vincula peccatorum, et intercedente beata semperque Virgine Dei Genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, et omnibus Sanctis, nos famulos tuos et loca nostra in omni sanctitate custodi; omnes consanguinitate, affinitate, ac familiaritate nobis conjunctos a vitiis purga, virtutibus illustra; pacem et salutem nobis tribue; hostes visibiles et invisibiles remove; carnalia desideria repelle; aerem salubrem indulge; amicis et inimicis nostris charitatem

largire. Urbem tuam custodi; Pontificem nostrum N. conserva; omnes prælatos, principes cunctumque populum christianum, ab omni adversitate defende. Benedictio tua sit super nos semper, et omnibus fidelibus defunctis requiem æternam concede; per Christum Dominum nostrum. Amen.

#### ORATIO JACULATORIA.

*(Ind.)* Fiat, laudetur atque in æternum super exaltetur justissima, altissima et amabilissima voluntas Dei in omnibus.

#### LAUS JESU CHRISTI.

*(Ind.) Quotiescumque alter alterum salutaverit, prior dicendo :* Laudetur Jesus Christus! *alter respondendo :* Amen, *vel* in sæcula, *vel* semper, *lucrabuntur ambo indulgentias centum dierum.* (Sixtus V, 15 Jul. 1587.)

#### ORATIO IN HONOREM PASSIONIS ET MORTIS D. N. J. C.

#### OREMUS.

*(Ind.)* Deus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, a Judæis reprobari, a Juda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci. atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati et Herodis indecenter offerri, a falsis testibus accusari, flagellis et opprobriis vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce levari, inter latrones deputari, felle et aceto potari, et lancea vulnerari; tu, Domine, per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, et per sanctam crucem et mortem tuam libera me (*vel* hunc famulum tuum N. agonizantem, *vel* hanc famulam tuam N. agonizantem) a pœnis inferni, et perducere digneris quo perduxisti latronem tecum crucifixum; qui cum Patre et Spiritu sancto vivis et regnas. Amen.

*Tum recitetur quinquies* Pater, Ave *et* Gloria Patri.

#### ORATIO ANTE SANCTISSIMUM EUCHARISTIÆ SACRAMENTUM FUNDENDA.

*(Ind.)* Respice, Domine, de sanctuario tuo (*Deut.* 26. 15), et de excelso cœlorum habitaculo, et vide hanc sacrosanctam Hostiam, quam tibi offert magnus Pontifex noster sanctus puer tuus Dominus Jesus pro peccatis fratrum suorum; et esto placabilis super multi-

tudinem malitiæ nostræ. Ecce vox sanguinis fratris nostri Jesu clamat ad te de cruce. Exaudi, Domine (*Dan.* 9. 19); placare, Domine, attende et fac : ne moreris propter temetipsum, Deus meus. quia nomen tuum invocatum est super civitatem istam et super populum tuum; et fac nobiscum secundum misericordiam tuam. Amen.

### HYMNUS

IN HONOREM S. MICHAELIS.

*(Ind.)* Te splendor et virtus Patris, etc.

*Ant.* Princeps gloriosissime, etc.

℣. In conspectu, etc.

℟. Adorabo, etc.

ORATIO.

Deus, qui miro ordine, etc. *Vide quartam partem hujus libri, ad diem 8 Maji.*

PIUM EXERCITIUM AD REPARANDAS INJURIAS BEATÆ MARIÆ VIRGINI ET SANCTIS ILLATAS.

MANE.

*(Ind.)* Salve, Regina, etc. *Vide pag. 314.*

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Benedictus Deus in Sanctis suis.

℟. Amen.

VESPERI.

Sub tuum præsidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa et benedicta.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

℣. Benedictus Deus in Sanctis suis. ℟. Amen.

ORATIO IN HONOREM S. JOSEPH, SPONSI B. M. V.

*(Ind.)* Virginum custos et pater, sancte Joseph, cujus fideli custodiæ ipsa innocentia Christus Jesus, et Virgo virginum Maria commissa fuit : te per hoc utrumque charissimum pignus, Jesum et Mariam, obsecro et obtestor, ut me ab omni immunditia præservatum, puro corde et casto corpore, Jesu et Mariæ semper facias castissime famulari. Amen.

ANTIPHONA, VERSUS ET ORATIO ANTE MISSÆ CELEBRATIONEM IN HONOREM SANCTI JOSEPH, SPONSI B. M. V.

*Ant. (Ind.)* O felicem virum, beatum Joseph, cui datum est Deum, quem multi reges voluerunt videre et

non viderunt, audire et non audierunt; non solum videre et audire, sed portare, nutrire, deosculari, vestire et custodire.

℣. Ora pro nobis, beate Joseph.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

OREMUS.

Deus, qui dedisti nobis regale sacerdotium, præsta, quæsumus: ut sicut beatus Joseph Unigenitum tuum, natum ex Maria Virgine, suis manibus reverenter tractare meruit et portare: ita nos facias cum cordis munditia et operis innocentia tuis sanctis altaribus deservire; ut sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem hodie digne sumamus, et in futuro sæculo præmium habere mereamur æternum. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

ORATIO AD SACRUM COR BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

*(Ind.)* O Cor Mariæ, Genitricis Dei, ac Matris nostræ: Cor amore dignissimum, in quo sibi sanctissima Trinitas bene complacuit; Cor ab Angelis et hominibus amandum et colendum; Cor simillimum sacrosancto Jesu Cordi, cujus imaginem refers longe perfectissimam; Cor Mariæ, sedes clementiæ, plenum visceribus misericordiæ erga nos miseros! Tu, precor, e cordibus tuorum frigus expelle; fac, ut nihil deinceps cogitent, nihil diligant, nihil cupiant, præter unum Cor Christi Jesu! Insere pectoribus nostris amorem tuarum virtutum, et in eis flammam indesinentis tuæ charitatis accende. Ecclesiæ semper invigila, Ecclesiam tuere; sis fidelibus christianis dulce refugium, sis turris inexpugnabilis, in qua contra hostium aggressiones sedeant securi. Per te, o Cor Mariæ, accessum habeamus ad Filium; per te gratias obtineamus necessarias ad æternam salutem. In angustiis et necessitatibus nos adjuva, mœstos solare, tentatos robora, in persecutionibus sis nobis refugium, et auxilium in periculis; sed præsertim in hora mortis, in novissimo vitæ agone, quum infernæ potestates in nos irruent, ut animam rapiant; in illa terribili die et tremenda hora, a qua pendet nostra æternitas. Tum, o Virgo clementissima, fac servos tuos bonitatem materni tui cordis sentire; esto, quæsumus, tunc memor potentiæ, quam tibi dedit qui ex te natus

est Salvator mundi. Da nobis in ipso fonte misericordiæ tutissimum refugium, ut sic aliquando tecum in cœlis laudare mereamur. Cor sacratissimum Filii tui, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

Cor divinum Jesu, et Cor immaculatum Mariæ semper et ubique agnoscantur, laudentur, benedicantur, amentur, fideliter colantur et glorificentur. Amen.

ORATIO AD IMPETRANDAM BONAM MORTEM.

*(Ind.)* O Maria sine labe concepta, ora pro nobis, qui confugimus ad te, o refugium peccatorum, mater agonizantium; noli nos derelinquere in hora exitus nostri, sed impetra nobis dolorem perfectum, sinceram contritionem, remissionem peccatorum nostrorum, sanctissimi viatici dignam receptionem, extremæ unctionis sacramenti corroborationem quatenus securi præsentari valeamus ante thronum justi, sed et misericordis judicis, Dei, et Redemptoris nostri Amen.

Huic orationi adnexæ sunt indulgentiæ centum dierum. *(Decretum 11 Martis 1856).*

# XXXIV.

# PRECES STATIONUM. ITINERARIUM.

## PRECES ÆGROTANTIUM, ETIAM A SANO QUOVIS SÆPIUS RECITANDÆ.

### 1. *(Ind.)* PRECES STATIONUM,

ET SUSPIRIA AMANTIS ANIMÆ, CHRISTI CRUCEM BAJULANTIS ET EJUS VESTIGIIS INSISTERE CUPIENTIS, QUÆ NON MODO IN QUADRAGESIMA, VERUM QUOVIS ANNI TEMPORE, DOMI AC IN TEMPLO, DISTRIBUTIS PER ALTARIA VEL ICONES LOCIS, PIE PERSOLVENTUR.

*Observandum, ad lucrandas indulgentias pientissimo Viæ Crucis exercitio annexas, nullas preces spe-*

*ciatim indicari. Itaque neque illæ etiam preces quas ubique fere recitant, sunt necessariæ. Quum tamen facilem præbeant modum obeundi Viam Crucis, eas hic descriptas volumus.*

*Primum fit oratio præparatoria; tum ad singulas stationes dicitur :*

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℞. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

*Hic pro sua quisque facultate tantisper meditatur de passione et morte D. N. J. C., quæ conditio necessario requiritur.*

*Tum dicitur* Pater, Ave, Gloria Patri.

℣. Miserere nostri, Domine.

℞. Miserere nostri.

℣. Et fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

℞. Amen.

## ALTER MODUS.

### ORATIO PRÆPARATORIA.

Suscipe, S. Trinitas, hoc servitutis meæ obsequium, quod ad divinæ Majestatis tuæ gloriam et recognitionem redemptionis nostræ, pro satisfactione peccatorum meorum, ad impetrandam defunctis requiem, vivisque gratiam et omnibus gloriam, offero, in unione meritorum Domini nostri Jesu Christi, B. Virginis et omnium Sanctorum. Tibi laus, honor et gloria, o beata Trinitas, in sempiterna sæcula. Amen.

## I. STATIO.

### UBI CHRISTUS MORTI ADJUDICATUR.

*Iniquum hoc judicium lubens ille subiit, ut te ab æternæ damnationis sententia absolveret*

*Ant.* Dixerunt impii apud se non recte cogitantes: Circumveniamus justum, quoniam contrarius est operibus nostris : promittit se scientiam Dei habere, Filium Dei se nominat, videamus si sermones illius veri sunt. Et si est vere Filius Dei, liberet eum de manibus nostris : morte turpissima condemnemus eum.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Proprio Filio suo non pepercit Deus.

℞. Sed pro nobis omnibus tradidit illum.

℣. Oblatus est, quia ipse voluit.

℞. Et non aperuit os suum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu Christe, qui de cœlis ad terram de sinu Patris descendisti, et Sanguinem tuum pretiosum in remissionem peccatorum nostrorum fudisti: te humiliter deprecamur, ut in die judicii ad dexteram tuam audire mereamur: Venite, benedicti. Qui vivis et regnas, cum Deo Patre, in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis.

℟. Miserere nobis.

℣. Benedicamus Domino.

℟. Deo gratias.

℣. Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace. ℟. Amen.

## II. STATIO.

### UBI CHRISTO CRUX IMPONITUR.

*Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores.* Ps. 128.

*Ant.* Ave, Rex noster: tu solus nostros miseratus errores, Patri obediens ductus es ad crucifigendum, ut agnus mansuetus ad occisionem. Tibi gloria, Hosanna: tibi triumphus et victoria: tibi summæ laudis et honoris corona.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Disciplina pacis nostræ super eum.

℟. Et livore ejus sanati sumus.

℣. Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum.

℟. Propter scelus populi sui percussit eum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *ut sup.*

## III. STATIO.

### UBI PRIMUM CHRISTUS SUB CRUCE CECIDIT.

*Quantum pondus est peccatorum nostrorum, cui ille succubuit, qui omnia portat verbo virtutis suæ.*

*Ant.* Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus usque ad mortem, mortem autem Crucis. Propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.
℣. Vere languores nostros ipse tulit.
℟. Et dolores nostros ipse portavit.
℣. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras.
℟. Attritus est propter scelera nostra.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## IV. STATIO.

UBI MARIA CUM S. JOANNE OBVIAT CHRISTO.

*Quam acerbo doloris gladio cor Matris, et cor amantissimi discipuli vulneratum fuerit ad hunc Jesu conspectum! Quem in te compassionis dolorem sentis?*

*Ant.* O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte, si est dolor sicut dolor meus. Idcirco ego plorans, et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator, convertens animam meam. Defecerunt præ lacrymis oculi mei: conturbata sunt omnia viscera mea: effusum est in terra jecur meum, super contritione Filii mei, quoniam prævaluit inimicus.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.
Pater noster. Ave, Maria.
℣. Magna est velut mare contritio tua.
℟. Quis medebitur tui?
℣. Tuam ipsius animam doloris gladius pertransivit.
℟. Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.
℣. Domine, exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## V. STATIO.

UBI SIMONI CYRENÆO CRUX IMPONITUR.

*Coactus hic crucem post Jesum portavit; quanto merito portasset sponte! Quæ tua est promptitudo ad ferendam crucem Christi?*

*Ant.* Nos autem gloriari oportet in cruce Domini nostri Jesu Christi, in quo est salus, vita et resurrectio nostra, per quem salvati et liberati sumus.

Kyrie, eleison. Christe eleison. Kyrie, eleison.
Pater noster. Ave, Maria.
℣. Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini nostri Jesu Christi.

℟. Per quem mihi mundus crucifixus est, et ego mundo.

℣. Crux fidelis, inter omnes arbor una nobilis.

℟. Nulla sylva talem profert, fronde, flore, germine.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## VI. STATIO.

### UBI VERONICA CHRISTO OBVIAT.

*Quam præclarum illa speculum a Christo obtinuit! In hoc te semper contemplare.*

*Ant.* Ecce vidimus eum non habentem speciem neque decorem, despectum et novissimum virorum, virum dolorum et scientem infirmitatem; et quasi absconditus vultus ejus, unde nec reputavimus eum. Inglorius est inter vivos aspectus ejus, et forma ejus inter filios hominum, ipse autem est speciosus forma præ filiis hominum, cujus livore sanati sumus.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Domine Deus virtutum converte nos.

℟. Et ostende faciem tuam, et salvi erimus.

℣. Ne avertas faciem tuam a nobis.

℟. Et ne declines in ira a servis tuis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## VII. STATIO.

### UBI CHRISTUS SUB JUDICIARIA PORTA CECIDIT.

*Quomodo tu in judicio extremo subsistes?*

*Ant.* Tradiderunt me in manus impiorum, et inter iniquos projecerunt me, et non pepercerunt animæ meæ: congregati sunt adversum me fortes, et sicut gigantes steterunt contra me, terribilibus oculis intuentes, et plaga crudeli percutientes subsannaverunt me.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Ego autem sum vermis, et non homo.

℟. Opprobrium hominum, et abjectio plebis.

℣. Omnes videntes me deriserunt me.

℟. Locuti sunt labiis et moverunt caput.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## VIII. STATIO.

### UBI MULIERES CHRISTUM DEPLORANT.

*Ubi sunt lacrymæ tuæ, quibus sola peccata tua, nullam vero alium rei temporalis jacturam defleas ?*

*Ant.* Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatæ steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos; et collibus : Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Spiritus oris nostri Christus Dominus.

℟. Captus est in peccatis nostris.

℣. Cecidit corona capitis nostri.

℟. Væ nobis, quia peccavimus.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## IX. STATIO.

### UBI ULTIMO CECIDIT AD MONTEM CALVARIÆ.

*Quoties peccatis nostris Christus opprimitur!*

*Ant.* Popule meus, quid fecit tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi. Ego te eduxi de terra Ægypti; et tu me eduxisti ad patibulum Crucis. Ego te pavi manna per desertum quadraginta annis; et tu me cecidisti alapis et flagellis. Ego dedi tibi sceptrum regale; et tu dedisti capiti meo spineam coronam. Quid ultra debui tibi facere, et non feci.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Sicut ovis ad occisionem ductus est.

℟. Et quasi agnus coram tondente se obmutuit.

℣. Tradidit in mortem animam suam.

℟. Ut vivificaret populum suum

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## X. STATIO.

### UBI VESTIBUS EXUTUS FELLE ET ACETO POTATUR.

*Quam tu immitis es in pauperes! Idem Christo facis.*

*Ant.* Popule meus, quid feci tibi, aut in quo contristavi te? Responde mihi. Ego eduxi te de domo servitutis in terram promissionis; et tu me descendentem e sinu Patris eduxisti ad mortem Crucis. Ego te plantavi vineam meam speciosissimam, et tu facta es mihi nimis amara. Ego te potavi aqua salutis de terra; et tu me potasti felle et aceto. Quid ultra debui tibi facere, et non feci?

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Aruit tamquam testa virtus mea.

℟. Lingua mea adhæsit faucibus meis.

℣. Dederunt in escam meam fel.

℟. Et in siti mea potaverunt me aceto.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## XI. STATIO.

### UBI CRUCI HORRENDIS CLAVIS AFFIGITUR.

*Quam fortia amoris sunt vincula, quibus Jesus se tibi obstrinxit! Quibus tu vicissim te illi obstringis?*

*Ant.* Popule meus, quid feci tibi? Ego te exaltavi magna virtute; et tu me suspendisti in patibulo Crucis. Ego te excelsiorem feci cunctis gentibus; et tu me saturasti opprobriis et maledictis. Ego ante te aperui mare Rubrum; et tu aperuisti lancea latus meum. Quid ultra debui tibi facere, et non feci?

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?

℟. His plagatus sum in domo eorum qui diligebant me.

℣. Foderunt manus meas et pedes meos.

℟. Et dinumeraverunt omnia ossa mea.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## XII. STATIO.

UBI IN CRUCE MORITUR.

*Considera, quid moriens dixerit, et fecerit Jesus. Vide pag. 39. Utinam et tu similiter moriaris!*

*Ant.* Ecce quomodo moritur justus, et nemo percipit corde : viri justi tolluntur, et nemo considerat. A facie iniquitatis sublatus est justus, et erit in pace memoria ejus.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem

℟. Mortem autem Crucis.

℣. Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi.

℟. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

## XIII. STATIO.

UBI JESU CORPUS E CRUCE SUPER AFFLICTÆ MATRIS GENUA DEPONITUR.

*Considera vehementes animæ dolores Mariæ, cum mortuum Filii sui corpus de cruce depositum suo complexu susciperet, et suis genibus sustineret. Charitas tantis eam doloribus affecit, eamque vere martyrem reddidit. Quamnam tu erga Salvatorem tuum sentis charitatem et commiserationem?*

*Ant.* Cui comparabo te? Vel cui assimilabo te, filia Jerusalem? Cui exæquabo te, virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua. O Mater misericordiæ, fac ut tecum portem Christi mortem, passionis fac consortem.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Per te salutem hauriamus, Virgo Maria.

℟. Ex vulneribus Christi.

℣. Pie Jesu, da per matrem me venire.

℟. Ad palmam victoriæ.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *pag. 384,*

## XIV. STATIO.

### UBI JESU CORPUS SEPELITUR.

*Considera, o anima mea, quomodo corpus Jesu aromatibus condiatur, atque ita in monumento novo sepeliatur. Quibus tu honoribus Jesum, Redemptorem tuum, quotidie, sive sacramentaliter, sive spiritualiter excipis? An pro Jesu tuo recipiendo semper conaris esse monumentum novum, et præclaris virtutum ornamentis splendidum?*

*Ant.* Æstimatus sum cum descendentibus in lacum; factus sum sicut homo sine adjutorio, inter mortuos liber. O bone Jesu, venio huc cum mulieribus ad monumentum, lamentans et flens quod adhuc tam indignum me reddidi, ad regnum gratiæ tuæ in corde meo conservandum et stabiliendum.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. Ave, Maria.

℣. Caro mea requiescet in spe.

℟. Et non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

℣. Exurge, Domine, adjuva me.

℟. Et redime me a peccatis meis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Domine Jesu, etc. *p. 384.*

### COMMENDATIO.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

### ORATIO DE S. SINDONE CHRISTI.

Domine Jesu, qui in sancta Sindone, qua Corpus tuum sacratissimum de Cruce depositum a Joseph involutum fuit, passionis tuæ vestigia reliquisti: concede propitius, ut per mortem et sepulturam tuam ad resurrectionis gloriam perducamur. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum.

℟. Amen.

## 2. ITINERARIUM.

*Ant.* In viam pacis.

CANTICUM ZACHARIÆ. *Luc. 1.*

Benedictus Dominus Deus Israel, etc. *Vide pag. 312.*

*Ant.* In viam pacis et prosperitatis dirigat nos omnipotens et misericors Dominus : et Angelus Raphael comitetur nobiscum in via, ut cum pace, salute et gaudio revertamur ad propria.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster. *Secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Salvos fac servos tuos.

℟. Deus meus sperantes in te.

℣. Mitte nobis, Domine, auxilium de sancto.

℟. Et de Sion tuere nos.

℣. Esto nobis, Domine, turris fortitudinis.

℟. A facie inimici.

℣. Nihil proficiat inimicus in nobis.

℟. Et filius iniquitatis non apponat nocere nobis.

℣. Benedictus Dominus die quotidie.

℟. Prosperum iter faciat nobis Deus salutarium nostrorum,

℣. Vias tuas, Domine, demonstra nobis

℟. Et semitas tuas edoce nos.

℣. Utinam dirigantur viæ nostræ.

℟. Ad custodiendas justificationes tuas.

℣. Erunt prava in directa.

℟. Et aspera in vias planas.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui filios Israel per maris medium sicco vestigio ire fecisti, quique tribus Magis iter ad te stella duce pandisti : tribue nobis, quæsumus, iter prosperum, tempusque tranquillum; ut Angelo tuo sancto comite ad eum, quo pergimus, locum, ac demum ad æternæ salutis portum pervenire feliciter valeamus.

Deus, qui Abraham puerum tuum de Ur Chaldæorum eductum, per omnes suæ peregrinationis vias illæsum custodisti : quæsumus, ut nos famulos tuos

custodire digneris: esto nobis, Domine, in procinctu suffragium, in via solatium, in æstu umbraculum, in pluvia et frigore tegumentum, in lassitudine vehiculum, in adversitate præsidium, in lubrico baculus, in naufragio portus, ut te duce, quo tendimus, prospere perveniamus, et demum incolumes ad propria redeamus.

Adesto, quæsumus, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates tuo semper protegamur auxilio.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secure perveniat Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

℣. Procedamus in pace.

℟. In nomine Domini. Amen.

## 3. PRECES ÆGROTANTIUM,

### ETIAM A SANO QUOVIS SÆPIUS RECITANDÆ.

#### TESTAMENTUM HOMINIS CHRISTIANI.

In nomine sanctissimæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen.

Ego N. animam meam trado in manus Creatoris et Redemptoris sui: corpus terræ, unde exivit, restituendum relinquo: temporalibus bonis, honoribus ac deliciis prompto animo renuntio: te solo Deo ac Domino meo frui cupio.

De peccatis meis ex animo doleo, maxime istis.... ideo solum, quod te Deum meum, quem super omnia amo, offenderim: seriam emendationem et satisfactionem, tua ope præstandam, promitto. Offensas omnes omnibus lubens condono, quod idem ut mihi fiat, humillime peto. Credo quidquid Ecclesia Catholica mihi credendum proponit. Spero me per infinitam misericordiam tuam, mi Deus, remissionem omnium peccatorum et vi-

tam æternam consecuturum. Eumdem te verum Deum meum, trinum in Personis, summum et unicum bonum meum, amo ex toto corde meo, ex tota anima mea et ex omnibus viribus meis. Mala perinde ac bona de manu tua cum gratiarum actione accepto; et me totum divinæ providentiæ tuæ, sanctissimoque arbitrio committo.

Hanc ultimam voluntatem meam roborari et confirmari peto testimonio et auxilio vestro, o sancta Maria, o sancte Joseph, o sancte Angele custos, o sancta Barbara, o sancti Patroni mei NN. Adeste, obsecro, piis desideriis ac votis clientis vestri N.

FIRMA ÆGROTI PROPOSITA.

1. Hunc morbum grato animo de manu Dei mei accipio.

2. Petam constanter a Deo gratiam ut ipso juvante, brevi æque paratus sim ad moriendum ac vivendum.

3. Patiens ero in doloribus meis.

4. Omnibus qui me umquam offenderunt, ex animo ignosco.

5. Peto etiam veniam ab omnibus, quos ipse umquam quacumque ratione offendi.

6. Doleo ex toto corde quod Deum summum bonum umquam offenderim.

7. Credo firmiter omnia quæ Deus per Ecclesiam mihi credenda proposuit.

8. Spero remissionem omnium meorum peccatorum et vitam æternam.

9. Dominum Deum meum ex toto corde super omnia diligo.

10. Cupio omnium indulgentiarum, quarum jam capax sum, etiam nunc particeps fieri.

11. Ex hoc modo tempore, et vel maxime in agone, sinceri doloris signum de peccatis meis edere cupio, ab iis absolvi, et ingravescente morbo, ubi id licuerit, sanctissimum Viaticum recipere et sacro oleo inungi, atque ita Christum Salvatorem meum animæ et corporis mei hæredem instituo.

*Hæc proposita poterunt etiam amicis ægrotis in modum quæstionum vel consiliorum, summo cum fructu proponi.*

ASPIRATIONES PIÆ AD VITAM CŒLESTEM, ETIAM A SANO SÆPE USURPANDÆ. *Ex cap. 35. Soliloq. S. Augustini.*

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad

te, Deus. Sitivit anima mea ad Deum fortem, vivum; quando veniam, et apparebo ante faciem tuam? O fons vitæ, vena aquarum viventium, quando veniam ad aquas dulcedinis tuæ de terra deserta, invia et inaquosa, ut videam virtutem tuam et gloriam tuam, et satiem ex aquis misericordiæ tuæ sitim meam? Sitio, Domine; fons vitæ es, satia me. Sitio, Domine, sitio te Deum vivum. O quando veniam et apparebo, Domine, ante faciem tuam? Putasne, videbo diem illam, diem, inquam, jucunditatis et lætitiæ, diem quam fecit Dominus, ut exultemus et lætemur in ea?

O dies præclara et pulchra, nesciens vesperum, non habens occasum! In qua audiam vocem laudis, vocem exultationis et confessionis, in qua audiam: *Intra in gaudium Domini tui.*

O gaudium super gaudium, gaudium vincens omne gaudium, extra quod non est gaudium, quando intrabo in te, ut videam Deum meum, qui habitat in te? Ibo illuc, et videbo visionem hanc grandem. Quid est, quod me detinet? Heu mihi! quia incolatus meus prolongatus est.

Veni, Domine, et noli tardare: veni, Domine Jesu Christe, veni et visita nos in pace: veni et educ vinctos de carcere, ut lætemur coram te corde perfecto: veni, Salvator noster: veni, desideratus cunctis gentibus: ostende faciem tuam et salvi erimus.

Quamdiu miser jactabor in fluctibus mortalitatis meæ, clamans ad te, Domine, et non exaudis? Audi clamantem, Domine, de hoc mari magno, et adhuc me ad portum felicitatis æternæ. Felices, qui de periculis maris hujus educti ad te Deum portum tutissimum pervenire meruere!

O vere beati, qui ad regnum omnium sæculorum pervenerunt! O quam gloriosum est regnum, in quo tecum, Domine, regnant omnes Sancti, amicti lumine sicut vestimento, habentes in capite suo coronam de lapide pretioso. Ubi summum bonum possidetur, quod est videre semper faciem Domini virtutum.

En ad te clamamus redempti tui, sed et nunc exules tui, quos pretioso Sanguine redemisti. Exaudi nos, Deus salutaris noster, spes omnium finium terræ. Salva nos propter nomen sanctum tuum.

Amen.

HYMNUS.

Cœlestis urbs Jerusalem,
Beata pacis visio,
Quæ celsa de viventibus,
Saxis ad astra tolleris,
Sponsæque ritu cingeris
Mille Angelorum millibus.
O sorte nupta prospera,
Dotata Patris gloria,
Respersa sponsi gratia,
Regina formosissima,
Christo jugata principi,
Cœli corusca civitas.
Hic margaritis emicant,
Patentque cunctis ostia:
Virtute namque prævia
Mortalis illuc ducitur,
Amore Christi percitus
Tormenta quisquis sustinet.
Scalpri salubris ictibus,
Et tunsione plurima,
Fabri polita malleo
Hanc saxa molem construunt,
Aptisque juncta nexibus
Locantur in fastigio.
Decus parenti debitum
Sit usquequaque Altissimo;
Natoque Patris unico,
Et inclyto Paraclito:
Cui laus, potestas, gloria,
Æterna sit per sæcula.
Amen.

ORATIO PRO FELICI MORTE TER DICENDA.

Domine Jesu, per amaritudinem tuam, quam sustinuisti in Cruce, maxime quando benedicta anima tua de corpore egrediebatur, miserere animæ meæ in egressu suo. Amen.

Pater noster. Ave, Maria.

# XXXV.

# MODUS JUVANDI MORIENTES.

## OFFICIUM DEFUNCTORUM.

---

### 1. MODUS JUVANDI MORIENTES.

*Hic ordo commendationis animæ præcipitur in Rituali Romano.*

I. *Accensa candela, genibus flexis, cum omnibus circumstantibus assistens recitet sequentes Litanias;*

Kyrie, eleison.
Christe, eleison.
Kyrie, eleison.
Sancta Maria, ora pro eo.
Omnes sancti Angeli, et Archangeli, orate pro eo.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus Justorum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Joannes Baptista, ora.
Sancte Joseph, ora.
Omnes sancti Patriarchæ et Prophetæ, orate.
Sancte Petre, ora.
Sancte Paule, ora.
Sancte Andrea, ora.
Sancte Joannes, ora.
Omnes sancti Apostoli et Evangelistæ, orate.
Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
Omnes sancti Innocentes, orate.
Sancte Stephane, ora.
Sancte Laurenti, ora.
Omnes sancti Martyres, orate.
Sancte Silvester, ora.
Sancte Gregori, ora.
Sancte Augustine, ora.
Omnes sancti Pontifices et Confessores, orate.
Sancte Benedicte, ora.
Sancte Francisce, ora.
Omnes sancti Monachi et Eremitæ, orate.
Sancta Maria Magdalena, ora.
Sancta Lucia, ora.
Omnes sanctæ Virgines et Viduæ, orate.
Omnes Sancti et Sanctæ Dei, intercedite pro eo.
Propitius esto, parce ei, Domine.
Propitius esto, exaudi nos, Domine.
Propitius esto, libera eum, Domine.
Ab ira tua, libera.
A periculo mortis, libera.
A mala morte, libera.
A pœnis inferni, libera.
Ab omni malo, libera.
A potestate diaboli, libera.
Per nativitatem tuam, libera.
Per crucem et passionem tuam, libera.
Per mortem et sepulturam tuam, libera.
Per gloriosam resurrectionem tuam, libera.
Per admirabilem ascensionem tuam, libera.
Per gratiam Spiritus sancti paracliti, libera.
In die judicii, libera.
Peccatores, te rogamus, audi nos.
Ut ei parcas, te rogamus, audi nos.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

*Deinde, cum in agone sui exitus anima anxiatur, dicantur sequentes Orationes:*

ORATIO.

Proficiscere, anima Christiana, de hoc mundo, in

nomine Dei patris omnipotentis, qui te creavit : in nomine Jesu Christi Filii Dei vivi, qui pro te passus est : in nomine Spiritus sancti, qui in te effusus est : in nomine Angelorum et Archangelorum : in nomine Thronorum et Dominationum : in nomine Principatuum et Potestatum : in nomine Cherubim et Seraphim : in nomine Patriarcharum et Prophetarum : in nomine sanctorum Apostolorum et Evangelistarum: in nomine sanctorum Martyrum et Confessorum : in nomine sanctorum Monachorum et Eremitarum : in nomine sanctarum Virginum, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei : hodie sit in pace locus tuus, et habitatio tua in sancta Sion. Per eumdem Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

ORATIO.

Deus misericors, Deus clemens, Deus, qui secundum multitudinem miserationum tuarum peccata pœnitentium deles, et præteritorum criminum culpas venia remissionis evacuas : respice propitius super hunc famulum tuum N., et remissionem omnium peccatorum suorum tota cordis confessione poscentem deprecatus exaudi. Renova in eo, piissime Pater, quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum est : et unitati corporis Ecclesiæ membrum redemptionis annecte. Miserere, Domine, gemituum, miserere lacrymarum ejus : et non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuæ sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

Commendo te omnipotenti Deo, charissime frater, et ei, cujus es creatura, committo : ut cum humanitatis debitum morte interveniente persolveris, ad Auctorem tuum, qui te de limo terræ formaverat, revertaris. Egredienti itaque animæ tuæ de corpore splendidus Angelorum cœtus occurrat : judex Apostolorum tibi senatus adveniat : candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obviet : liliata rutilantium te Confessorum turba circumdet : jubilantium te Virginum chorus excipiat : et beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat : mitis atque festivus Christi Jesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi

jugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis : in adventu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus, et dissipentur inimici ejus ; et fugiant qui oderunt eum, a facie ejus. Sicut deficit fumus, deficiant, sicut fluit cera a facie ignis, sic pereant peccatores a facie Dei : et justi epulentur, et exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur et erubescant omnes tartareæ legiones, et ministri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te a cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te ab æterna morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus Filius Dei vivi intra paradisi sui semper amœna virentia, et inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absolvat; atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, et præsens semper assistens, manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis divinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

ORATIO.

Suscipe, Domine, servum tuum in locum sperandæ sibi salvationis a misericordia tua. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui ex omnibus periculis inferni, et de laqueis pœnarum, et ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Henoch et Eliam de communi morte mundi.

℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Noe de diluvio. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Abraham de Ur Chaldæorum. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Job de passionibus suis.

℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Isaac de hostia, et de manu patris sui Abrahæ. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Loth de Sodomis, et de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti

Moysen de manu Pharaonis regis Ægyptiorum. ℟. Amen.

Libera. Domine, animam servi tui, sicut liberasti Danielem de lacu leonum.

℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, et de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine.

℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti David de manu regis Saul, et de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera, Domine, animam servi tui, sicut liberasti Petrum et Paulum de carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem et Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris animam hujus servi tui, et tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

ORATIO.

Commendamus tibi, Domine, animam famuli tui N., precamurque te, Domine, Jesu Christe, Salvator mundi, ut propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce, Domine, creaturam tuam, non a diis alienis creatam, sed a te solo Deo vivo et vero: quia non est alius Deus præter te, et non est secundum opera tua. Lætifica, Domine, animam ejus in conspectu tuo, et ne memineris iniquitatum ejus antiquarum, et ebrietatum, quas suscitavit furor, sive fervor mali desiderii. Licet enim peccaverit, tamen Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum non negavit, sed credidit, et zelum Dei in se habuit, et Deum, qui fecit omnia, fideliter adoravit.

ORATIO.

Delicta juventutis, et ignorantias ejus, quæsumus, ne memineris, Domine: sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cœli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum, Domine, servum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael, archangelus Dei, qui militiæ cœlestis meruit principatum. Veniant illi obviam sancti Angeli Dei, et perducant eum in civitatem cœlestem Jerusalem. Suscipiat eum beatus Petrus apostolus, cui a Deo claves

regni cœlestis traditæ sunt. Adjuvet eum sanctus Paulus apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo sanctus Joannes, electus Dei apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus a Domino data est potestas ligandi atque solvendi. Intercedant pro eo omnes sancti et electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt: ut vinculis carnis exutus, pervenire mereatur ad gloriam regni cœlestis, præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

II. *In expiratione vehementer orationi instandum est. Ipse moriens, si potest, dicat, vel, si non potest, assistens clara voce pronuntiat:* JESU, JESU, JESU. *Quæ verba, uti etiam ea quæ sequuntur, sæpius ad aures morientis repetat.*

In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum. Domine Jesu Christe, suscipe spiritum meum. Sancta Maria, ora pro me. Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu me ab hoste protege, et hora mortis suscipe.

III. *Egressa anima de corpore, statim dicatur:*

Subvenite, sancti Dei: occurrite, Angeli Domini, * Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te.

℟. Suscipientes animam ejus, * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. Requiem æternam dona ei, Domine, et lux perpetua luceat ei. * Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie, eleison. Christe, eleison. Kyrie, eleison.

Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

℣. Requiem æternam dona ei, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat ei.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animam ejus.

℣. Requiescat in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Tibi, Domine, commen-

damus animam famuli tui N. ut defunctus sæculo tibi vivat, et quæ per fragilitatem humanæ conversationis peccata commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Am.

## 2. *(Ind.)* OFFICIUM DEFUNCTORUM.

*A Vesperis incipit, et cum Laudibus finit: non habet Primam, Tertiam, cæterasque minores horas. Totum una eademque hora, sive ante, sive post prandium, simul recitari potest, vel etiam divisim, ita ut Vesperæ legantur pridie, Matutinum et Laudes postridie.*

*In die omnium fidelium defunctorum, in die depositionis, et in anniversario alicujus defuncti, dicitur cum invitatorio:* Venite, exultemus, *et cum tribus Nocturnis, et tunc Antiphonæ tam ad Vesperas quam Matutinum et Laudes duplicantur, h. e. integre ante et post Psalmos recitantur, cum una tantum Oratione, et ad Vesperas omittitur psalmus* Lauda, anima; *ad Laudes vero* De profundis. *Et hoc modo etiam semper legi potest hoc Officium integre, ab iis maxime, qui ad illud legendum non tenentur. Quomodo alioquin reliquo anni tempore regulariter dici debeat, notatur* *pag. 405.*

### AD VESPERAS.

*Absolute incipe ab Antiphona:* Placebo Domino.

PS. 114. GRATIÆ AGUNTUR PRO LIBERATIONE EX ANGUSTIA.

Dilexi, quoniam exaudiet Dominus * vocem orationis meæ.

Quia inclinavit aurem suam mihi, * et in diebus meis invocabo.

Circumdederunt me dolores mortis, * et pericula inferni invenerunt me.

Tribulationem et dolorem inveni, * et nomen Domini invocavi.

O Domine, libera animam meam: * misericors Dominus et justus, et Deus noster miseretur.

Custodiens parvulos Dominus: * humiliatus sum, et liberavit me.

Convertere, anima mea

in requiem tuam : * quia Dominus benefecit tibi.

Quia eripuit animam meam de morte : * oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu.

Placebo Domino * in regione vivorum.

Requiem æternam dona eis, Domine: * et lux perpetua luceat eis.

*Ant.* Placebo Domino in regione vivorum.

*Ant.* Heu mihi! Domine.

PS. 119. QUERELÆ DE MALITIOSIS HOMINUM LINGUIS.

Ad Dominum cum tribularer, etc. *Vide pag. 317.*

Requiem æternam.

*Ant.* Heu mihi! Domine, quia incolatus meus prolongatus est.

*Ant.* Dominus custodit te.

PS. 120. A SOLO DEO AUXILIUM EXPECTANDUM.

Levavi oculos, etc. *Vide pag. 317.*

Requiem æternam.

*Ant.* Dominus custodit te ab omni malo : custodiat animam tuam Dominus.

*Ant.* Si iniquitates.

PS. 129. UT A CULPA ET PŒNA LIBEREMUR.

De profundis, etc. *p. 79.*

Requiem æternam.

*Ant.* Si iniquitates observaveris, Domine, Domine, quis sustinebit ?

*Ant.* Opera.

PS. 137. ACTIS GRATIIS PETITUR MESSIAS.

Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo : * quoniam audisti verba oris mei.

In conspectu Angelorum psallam tibi : * adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

Super misericordia tua et veritate tua: * quoniam magnificasti super omne nomen sanctum tuum.

In quacumque die invocavero te, exaudi me : * multiplicabis in anima mea virtutem.

Confiteantur tibi, Domine, omnes reges terræ : * quia audierunt omnia verba oris tui.

Et cantent in viis Domini : * quoniam magna est gloria Domini.

Quoniam excelsus Dominus, et humilia respicit : * et alta a longe cognoscit.

Si ambulavero in medio tribulationis, vivificabis me: * et super iram inimicorum meorum extendisti manum tuam, et salvum me fecit dextera tua.

Dominus retribuet pro me : Domine, misericordia tua in sæculum : * opera manuum tuarum ne despicias.

Requiem æternam.

*Ant.* Opera manuum tuarum, Domine, ne despicias.

℣. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi:

℟. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

*Ant.* Omne.

CANTICUM BEATÆ MARIÆ VIRGINIS. *Luc. 1.*

Magnificat : etc. *p. 104.*

Requiem æternam.

*Ant.* Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet: et eum, qui venit ad me, non ejiciam foras.

*In feriali Officio, quo unum tantum recitas Nocturnum, dicas sequentes preces integras, et quidem flexis genibus; idem fiat post Laudes; sed tunc loco* Lauda, anima, *dicas* De profundis.

*In Officio vero, quo tres recitas Nocturnos, dicas* Pater noster. A porta inferi, etc. *cum Oratione conveniente. Deinde* Requiem, etc. Requiescant in pace. ℟. Amen. Pater noster, etc. *secreto.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

PS. 145. IN SOLO DEO OMNEM FIDUCIAM PONENDAM ESSE.

Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea: * psallam Deo meo, quamdiu fuero.

Nolite confidere in principibus: * in filiis hominum, in quibus non est salus.

Exibit spiritus ejus, et revertetur in terram suam: * in illa die peribunt omnes cogitationes eorum.

Beatus, cujus Deus Jacob adjutor ejus; spes ejus in Domino Deo ipsius: * qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt.

Qui custodit veritatem in sæculum, facit judicium injuriam patientibus: * dat escam esurientibus.

Dominus solvit compeditos: * Dominus illuminat cæcos.

Dominus erigit elisos: * Dominus diligit justos.

Dominus custodit advenas; pupillum et viduam suscipiet: * et vias peccatorum disperdet.

Regnabit Dominus in sæcula, Deus tuus Sion: * in generationem et generationem.

Requiem æternam.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

OREMUS.

Deus, qui inter Apostolicos sacerdotes famulos tuos

Pontificali (seu Sacerdotali) fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregentur consortio.

Deus, veniæ largitor, et humanæ salutis amator, quæsumus clementiam tuam, ut nostræ congregationis fratres, propinquos et benefactores, qui ex hoc sæculo transierunt, beata Maria semper Virgine intercedente cum omnibus Sanctis tuis, ad perpetuæ beatitudinis consortium pervenire concedas.

Fidelium, Deus, omnium Conditor et Redemptor, animabus famulorum famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum : ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis et regnas.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

*In die Commemorationis omnium Defunctorum, omissis precibus, dicitur oratio præcedens:* Fidelium Deus, *et in fine:* Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus, per omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

℣. Requiem æternam dona eis, Domine.

℟. Et lux perpetua luceat eis.

℣. Requiescant in pace.

℟. Amen.

*In die obitus vel depositionis.*

ORATIO.

Absolve, quæsumus, Domine, animam famuli tui N. (*vel* famulæ tuæ N.) ut defunctus (*vel* defuncta) sæculo, tibi vivat: et quæ per fragilitatem carnis humana conversatione commisit, tu venia misericordissimæ pietatis absterge. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

*Pro Defuncto Episcopo.*

ORATIO.

Deus, qui inter Apostolicos Sacerdotes famulum tuum N. Pontificali fecisti dignitate vigere : præsta, quæsumus, ut eorum quoque perpetuo aggregetur consortio. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

*Pro Sacerdote dicitur eadem Oratio: sed loco* Pontificali, *dicitur* Sacerdotali.

*Pro patre vel matre defuncto.*

ORATIO.

Deus, qui nos patrem et matrem honorare præcepi-

sti: miserere clementer animæ patris mei N. (*vel* matris meæ N.) meque eum (*vel* eam) in æternæ claritatis gaudio fac videre. Per Dominum.

*Pro utroque simul dicitur* animabus patris et matris meæ, meque eos in æternæ.

*Pro defunctis fratribus, propinquis, benefactoribus.*

ORATIO.

Deus, veniæ, etc. *p.* 404.

*Pro uno Defuncto.*

ORATIO.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur: ut animam famuli tui N. quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et Sanctorum tuorum jubeas esse consortem. Per Dominum.

*Pro una Defuncta.*

ORATIO.

Quæsumus, Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ N., et a contagiis mortalitatis exutam, in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum.

*In anniversario Die.*

ORATIO.

Deus indulgentiarum Domine: da animabus famulorum famularumque tuarum, quorum anniversarium depositionis diem commemoramus, refrigerii sedem, quietis beatitudinem et luminis claritatem. Per Dominum.

*Pro uno vel una dicitur in singulari numero.*

*Pro Defunctis generalis.*

ORATIO.

Fidelium, etc. *p.* 404.

## AD MATUTINUM.

*Dicitur sequens Invitatorium temporibus quæ indicantur pag. 401; aliis illud omittitur, et inchoatur ab Antiphona Psalmorum Nocturni, quando videlicet tantum unum Nocturnum dicis cum Laudibus; quod fit hoc ordine: 2 et 5 Feria, seu die Lunæ et Jovis, primum Nocturnum; 3 et 6 Feria, seu die Martis et Veneris, secundum Nocturnum; 4 Feria, seu die Mercurii, et Sabbato, tertium Nocturnum dicitur.*

INVITATORIUM.

Regem, cui omnia vivunt, * Venite, adoremus.

ET REPETITUR:

Regem, cui omnia vivunt, * Venite, adoremus.

PS. 94. EXHORTATIO AD DEI LAUDES DECANTANDAS.

Venite, exultemus Domi-

no, jubilemus Deo salutari nostro: præoccupemus faciem ejus in confessione, et in psalmis jubilemus ei.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

Quoniam Deus magnus Dominus, et Rex magnus super omnes deos: quoniam non repellet Dominus plebem suam, quia in manu ejus sunt omnes fines terræ: et altitudines montium ipse conspicit.

Venite, adoremus.

Quoniam ipsius est mare, et ipse fecit illud, et aridam fundaverunt manus ejus: venite, adoremus, et procidamus ante Deum: ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus ejus, et oves pascuæ ejus.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto: ubi tentaverunt me patres vestri, probaverunt et viderunt opera mea.

Venite, adoremus.

Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi: Semper hi errant corde; ipsi vero non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, si introibunt in requiem meam.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

Requiem æternam dona eis, Domine, et lux perpetua luceat eis.

Venite, adoremus.

Regem, cui omnia vivunt, venite, adoremus.

## IN I. NOCTURNO.

### PRO FERIA SECUNDA ET QUINTA.

*Ant.* Dirige.

### PS. 5. ORATIO EST, UT DEUS PIIS OPITULETUR.

Verba mea auribus percipe, Domine: * intellige clamorem meum.

Intende voci orationis meæ: * Rex meus, et Deus meus.

Quoniam ad te orabo: * Domine, mane exaudies vocem meam.

Mane astabo tibi, et videbo: * quoniam non Deus volens iniquitatem tu es.

Neque habitabit juxta te malignus; * neque permanebunt injusti ante oculos tuos.

Odisti omnes, qui operantur iniquitatem: * perdes omnes, qui loquuntur mendacium.

Virum sanguinum et dolosum abominabitur Dominus; * ego autem in multitudine misericordiæ tuæ.

Introibo in domum tuam: * adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo.

Domine, deduc me in justitia tua: * propter inimicos meos dirige in conspectu tuo viam meam.

Quoniam non est in ore eorum veritas: * cor eorum vanum est.

Sepulchrum patens est guttur eorum, linguis suis dolose agebant: * judica illos, Deus.

Decidant a cogitationibus suis, secundum multitudinem impietatum eorum expelle eos: * quoniam irritaverunt te, Domine.

Et lætentur omnes, qui sperant in te: * in æternum exultabunt, et habitabit in eis.

Et gloriabuntur in te omnes qui diligunt nomen tuum: * quoniam tu benedices justo.

Domine, ut scuto bonæ voluntatis tuæ, * coronasti nos.

Requiem æternam.

*Ant.* Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam.

*Ant.* Convertere, Domine.

PS. 6. PIA POENITENTIS PRECATIO.

Domine, ne in furore tuo, etc. *pag.* 343.

Requiem æternam.

*Ant.* Convertere, Domine, et eripe animam meam: quoniam non est in morte qui memor sit tui.

*Ant.* Nequando.

PS. 7. QUERELÆ CONTRA INSIDIANTES.

Domine Deus meus, in te speravi: * salvum me fac ex omnibus persequentibus me, et libera me.

Nequando rapiat ut leo animam meam: * dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

Domine Deus meus, si feci istud: * si est iniquitas in manibus meis.

Si reddidi retribuentibus mihi mala: * decidam merito ab inimicis meis inanis.

Persequatur inimicus animam meam, et comprehendat, et conculcet in terra vitam meam: * et gloriam meam in pulverem deducat.

Exurge, Domine, in ira tua, * et exaltare in finibus inimicorum meorum.

Et exurge, Domine Deus meus, in præcepto quod mandasti: * et synagoga populorum circumdabit te.

Et propter hanc in altum regredere: * Dominus judicat populos.

Judica me, Domine, secundum justitiam meam, * et secundum innocentiam meam super me.

Consumetur nequitia peccatorum, et diriges justum: * scrutans corda et renes Deus.

Justum adjutorium meum a Domino, * qui salvos facit rectos corde.

Deus judex justus, fortis et patiens, * numquid irascitur per singulos dies?

Nisi conversi fueritis, gladium suum vibrabit: * arcum suum tetendit, et paravit illum.

Et in eo paravit vasa mortis: * sagittas suas ardentibus effecit.

Ecce parturiit injustitiam: * concepit dolorem, et peperit iniquitatem.

Lacum aperuit, et effodit eum: * et incidit in foveam quam fecit.

Convertetur dolor ejus in caput ejus: * et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet.

Confitebor Domino secundum justitiam ejus: * et psallam nomini Domini Altissimi.

Requiem æternam.

*Ant.* Nequando rapiat ut leo animam meam: dum non est qui redimat, neque qui salvum faciat.

℣. A porta inferi.

℟. Erue, Domine, animas eorum.

Pater noster.

LECTIO PRIMA. *Job* 7.

Parce mihi, Domine: nihil enim sunt dies mei. Quid est homo, quia magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? Visitas eum diluculo, et subito probas illum. Usquequo non parcis mihi, nec dimittis me, ut glutiam salivam meam? Peccavi; quid faciam tibi, o custos hominum? Quare posuisti me contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis? Cur non tollis peccatum meum, et quare non aufers iniquitatem meam? Ecce nunc in pulvere dormiam, et si mane me quæsieris, non subsistam.

℟. Credo quod Redemptor meus vivit: et in novissimo die de terra surrecturus sum: * Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. ℣. Quem visurus sum ego ipse, et non alius, et oculi mei conspecturi sunt. Et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum.

LECTIO SECUNDA. *Job* 10.

Tædet animam meam vitæ meæ: dimittam adversum me eloquium meum, loquar in amaritudine animæ meæ. Dicam Deo: Noli me condemnare. Indica mihi cur me ita judices? Numquid bonum tibi videtur, si ca-

lumnieris me, et opprimas me opus manuum tuarum, et consilium impiorum adjuves? Numquid oculi carnei tibi sunt; aut sicut videt homo, et tu videbis? Numquid sicut dies homines dies tui; et anni tui sicut humana sunt tempora, ut quæras iniquitatem meam, et peccatum meum scruteris? Et scias quia nihil impium fecerim, cum sit nemo qui de manu tua possit eruere.

℟. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum; * Tu eis, Domine, dona requiem et locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. Tu eis, Domine, dona requiem, et locum indulgentiæ.

LECTIO TERTIA. *Job* 10.

Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me totum in circuitu; et sic repente præcipitas me? Memento, quæso, quod sicut lutum feceris me, et in pulverem reduces me. Nonne sicut lac mulsisti me, et sicut caseum me coagulasti? Pelle et carnibus vestisti me: ossibus et nervis compegisti me. Vitam et misericordiam tribuisti mihi, et visitatio tua custodivit spiritum meum.

℟. Domine, quando veneris judicare terram, ubi me abscondam a vultu iræ tuæ? * Quia peccavi nimis in vita mea. ℣. Commissa mea pavesco, et ante te erubesco: dum veneris judicare, noli me condemnare. Quia peccavi nimis in vita mea. ℣. Requiem æternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis. Quia peccavi nimis in vita mea.

*In feriali Officio transeas hinc ad Laudes, pag. 417.*

## IN II. NOCTURNO.

PRO FERIA TERTIA ET SEXTA.

*Ant.* In loco pascuæ.

PS. 22. GRATULATIO DE CHRISTI CURA IN NOS.

Dominus regit me, et nihil mihi dcerit: * in loco pascuæ ibi me collocavit.

Super aquam refectionis educavit me: * animam meam convertit.

Deduxit me super semitas justitiæ: * propter nomen suum.

Nam et si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: * quoniam tu mecum es.

Virga tua, et baculus tuus: * ipsa me consolata sunt.

Parasti in conspectu meo mensam, * adversus eos qui tribulant me.

Impinguasti in oleo caput meum: * et calix meus inebrians quam præclarus est!

Et misericordia tua subsequetur me * omnibus diebus vitæ meæ.

Et ut inhabitem in domo Domini, * in longitudinem dierum.

Requiem æternam.

*Ant.* In loco pascuæ ibi me collocavit.

*Ant.* Delicta.

PS. 24. UT A PECCATIS, MALORUM FONTIBUS, EXSOLVAMUR

Ad te, Domine, levavi animam meam: * Deus meus, in te confido, non erubescam.

Neque irrideant me inimici mei: * etenim universi, qui sustinent te, non confundentur.

Confundantur omnes iniqua agentes: * supervacue.

Vias tuas, Domine, demonstra mihi: * et semitas tuas edoce me.

Dirige me in veritate tua, et doce me: * quia tu es Deus Salvator meus, et te sustinui tota die.

Reminiscere miserationum tuarum, Domine, * et misericordiarum tuarum, quæ a sæculo sunt.

Delicta juventutis meæ * et ignorantias meas ne memineris.

Secundum misericordiam tuam memento mei tu: * propter bonitatem tuam, Domine.

Dulcis et rectus Dominus: * propter hoc legem dabit delinquentibus in via.

Diriget mansuetos in judicio: * docebit mites vias suas.

Universæ viæ Domini misericordia et veritas, * requirentibus testamentum ejus et testimonia ejus.

Propter nomen tuum, Domine, propitiaberis peccato meo: * multum est enim.

Quis est homo, qui timet Dominum? * legem statuit ei in via, quam elegit.

Anima ejus in bonis demorabitur: * et semen ejus hæreditabit terram.

Firmamentum est Dominus timentibus eum: * et testamentum ipsius ut manifestetur illis.

Oculi mei semper ad Dominum: * quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.

Respice in me, et miserere mei: * quia unicus et pauper sum ego.

Tribulationes cordis mei multiplicatæ sunt: * de necessitatibus meis erue me.

Vide humilitatem meam et laborem meum: * et dimitte universa delicta mea.

Respice inimicos meos, quoniam multiplicati sunt :* et odio iniquo oderunt me.

Custodi animam meam, et erue me: * non erubescam, quoniam speravi in te.

Innocentes et recti adhæserunt mihi: * quia sustinui te.

Libera, Deus, Israel * ex omnibus tribulationibus suis.

Requiem æternam.

*Ant.* Delicta juventutis meæ, et ignorantias meas ne memineris, Domine.

*Ant.* Credo videre.

PS. 26. IN SUMMIS MALIS AD COELUM ASPIRANDUM.

Dominus illuminatio mea et salus mea: * quem timebo?

Dominus protector vitæ meæ : * aquo trepidabo ?

Dum appropiant super me nocentes, * ut edant carnes meas.

Qui tribulant me inimici mei, * ipsi infirmati sunt, et ceciderunt.

Si consistant adversum me castra, * non timebit cor meum.

Si exurgat adversum me prælium, * in hoc ego sperabo.

Unam petii a Domino, hanc requiram, * ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.

Ut videam voluptatem Domini, * et visitem templum ejus.

Quoniam abscondit me in tabernaculo suo: * in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui.

In petra exaltavit me :* et nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Circuivi, et immolavi in tabernaculo ejus hostiam vociferationis: * cantabo, et psalmum dicam Domino.

Exaudi, Domine, vocem meam, qua clamavi ad te: * miserere mei, et exaudi me.

Tibi dixit cor meum, exquisivit te facies mea: * faciem tuam, Domine, requiram.

Ne avertas faciem tuam a me: * ne declines in ira a servo tuo.

Adjutor meus esto, ne derelinquas me, * neque despicias me, Deus salutaris meus.

Quoniam pater meus et mater mea dereliquerunt me: * Dominus autem assumpsit me.

Legem pone mihi, Domine, in via tua: * et dirige me in semitam rectam propter inimicos meos.

Ne tradideris me in animas tribulantium me :* quoniam insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi.

Credo videre bona Domini * in terra viventium.

Expecta Dominum, viriliter age : * et confortetur cor tuum, et sustine Dominum.

Requiem æternam.

*Ant.* Credo videre bona Domini in terra viventium.

℣. Collocet eos Dominus cum principibus.

℟. Cum principibus populi sui.

Pater noster.

LECTIO QUARTA. *Job* 13.

Responde mihi : Quantas habeo iniquitates et peccata ; scelera mea et delicta ostende mihi. Cur faciem tuam abscondis, et arbitraris me inimicum tuum ? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, et stipulam siccam persequeris. Scribis enim contra me amaritudines, et consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ. Posuisti in nervo pedem meum, et observasti omnes semitas meas, et vestigia pedum meorum considerasti. Qui quasi putredo consumendus sum, et quasi vestimentum, quod comeditur a tinea.

℟. Memento mei, Deus, quia ventus est vita mea. * Nec aspiciat me visus hominis. ℣. De profundis clamavi ad te, Domine : Domine, exaudi vocem meam. Nec aspiciat me visus hominis.

LECTIO QUINTA. *Job* 14.

Homo natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miseriis. Qui quasi flos egreditur et conteritur, et fugit velut umbra, et numquam in eodem statu permanet. Et dignum ducis super hujuscemodi aperire oculos tuos, et adducere eum tecum in judicium ? Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine ? nonne tu qui solus es ? Breves dies hominis sunt, numerus mensium ejus apud te est: constituisti terminos ejus, qui præteriri non poterunt. Recede paululum ab eo, ut quiescat, donec optata veniat, sicut mercenarii, dies ejus.

℟. Heu mihi ! Domine, quia peccavi nimis in vita mea. Quid faciam miser ? ubi fugiam, nisi ad te, Deus meus ? * Miserere mei, dum veneris in novissimo die. ℣. Anima mea turbata est valde, sed tu, Domine, succurre ei. Miserere mei, dum veneris in novissimo die.

LECTIO SEXTA. *Job* 14.

Quis mihi hoc tribuat,

ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Putasne mortuus homo rursum vivat? Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea. Vocabis me, et ego respondebo tibi: operi manuum tuarum porriges dexteram. Tu quidem gressus meos dinumerasti, sed parce peccatis meis.

℟. Ne recorderis peccata mea, Domine, * Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Dirige, Domine Deus meus, in conspectu tuo viam meam. Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Requiem æternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

*In feriali Officio transeas hinc ad Laudes, pag. 417.*

## IN III. NOCTURNO.

PRO FERIA QUARTA ET SABBATO.

*Ant.* Complaceat.

PS. 39. GRATIÆ PRO EREPTIONE EX MISERIA.

Expectans expectavi Dominum, * et intendit mihi.

Et exaudivit preces meas: * et eduxit me de lacu miseriæ, et de luto fæcis.

Et statuit super petram pedes meos: * et direxit gressus meos.

Et immisit in os meum canticum novum: * carmen Deo nostro.

Videbunt multi, et timebunt: * et sperabunt in Domino.

Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus, * et non respexit in vanitates et insanias falsas.

Multa fecisti tu, Domine Deus meus, mirabilia tua, * et cogitationibus tuis non est qui similis sit tibi.

Annuntiavi, et locutus sum: * multiplicati sunt super numerum.

Sacrificium et oblationem noluisti: * aures autem perfecisti mihi.

Holocaustum et pro peccato non postulasti: * tunc dixi: Ecce venio.

In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: * Deus meus, volui, et legem tuam in medio cordis mei.

Annuntiavi justitiam tuam in ecclesia magna: * ecce labia mea non prohibebo; Domine, tu scisti.

Justitiam tuam non abscondi in corde meo: * veritatem tuam et salutare tuum dixi.

Non abscondi misericordiam tuam, et veritatem tuam * a concilio multo.

Tu autem, Domine, ne longe facias miserationes tuas a me: * misericordia tua et veritas tua semper susceperunt me.

Quoniam circumdederunt me mala, quorum non est numerus: * comprehenderunt me iniquitates meæ, et non potui ut viderem.

Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei: * et cor meum dereliquit me.

Complaceat tibi, Domine, ut eruas me: * Domine, ad adjuvandum me respice.

Confundantur et revereantur simul, qui quærunt animam meam: * ut auferant eam.

Convertantur retrorsum, et revereantur, * qui volunt mihi mala.

Ferant confestim confusionem suam, * qui dicunt mihi: Euge, euge.

Exultent et lætentur super te omnes quærentes te: * et dicant semper: Magnificetur Dominus, qui diligunt salutare tuum.

Ego autem mendicus sum et pauper: * Dominus sollicitus est mei.

Adjutor meus et protector meus es tu: * Deus meus, ne tardaveris.

Requiem æternam.

*Ant.* Complaceat tibi, Domine, ut eripias me: Domine, ad adjuvandum me respice.

*Ant.* Sana, Domine.

PS. 40. BENE PRECATUR BONIS QUERITUR DE MALIS.

Beatus, qui intelligit super egenum et pauperem: * in die mala liberabit eum Dominus.

Dominus conservet eum, et vivificet eum, et beatum faciat eum in terra: * et non tradat eum in animam inimicorum ejus.

Dominus opem ferat illi super lectum doloris ejus: * universum stratum ejus versasti in infirmitate ejus.

Ego dixi: Domine, miserere mei: * sana animam meam, quia peccavi tibi.

Inimici mei dixerunt mala mihi: * quando morietur, et peribit nomen ejus?

Et si ingrediebatur ut videret, vana loquebatur: * cor ejus congregavit iniquitatem sibi.

Egrediebatur foras, * et loquebatur in idipsum.

Adversum me susurrabant omnes inimici mei: * adversum me cogitabant mala mihi.

Verbum iniquum constituerunt adversum me: * numquid qui dormit, non adjiciet ut resurgat?

Etenim homo pacis meæ, in quo speravi: * qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.

Tu autem, Domine, miserere mei, et resuscita me: * et retribuam eis.

In hoc cognovi quoniam voluisti me: * quoniam non gaudebit inimicus meus super me.

Me autem propter innocentiam suscepisti, * et confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Benedictus Dominus Deus Israel a sæculo, et usque in sæculum: fiat, fiat.

Requiem æternam.

*Ant.* Sana, Domine, animam meam, quia peccavi tibi.

*Ant.* Sitivit.

PS. 41. FERVENS IN DEUM AMOR EXPONITUR.

Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, * ita desiderat anima mea ad te, Deus.

Sitivit anima mea ad Deum fortem vivum: * quando veniam et apparebo ante faciem Dei?

Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes die ac nocte: * dum dicitur mihi quotidie: Ubi est Deus tuus?

Hæc recordatus sum, et effudi in me animam meam: * quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei.

In voce exultationis et confessionis: * sonus epulantis.

Quare tristis es, anima mea? * et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Ad meipsum anima mea conturbata est: * propterea memor ero tui de terra Jordanis, et Hermoniim a monte modico.

Abyssus abyssum invocat * in voce cataractarum tuarum.

Omnia excelsa tua et fluctus tui: * super me transierunt.

In die mandavit Dominus misericordiam suam, * et nocte canticum ejus.

Apud me oratio Deo vitæ meæ: * dicam Deo: Susceptor meus es.

Quare oblitus es mei, * et quare contristatus incedo, dum affligit me inimicus?

Dum confringuntur ossa mea: * exprobraverunt mihi, qui tribulant me inimici mei.

Dum dicant mihi per singulos dies: Ubi est Deus tuus? * quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me?

Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: * salutare vultus mei, et Deus meus.

Requiem æternam.

*Ant.* Sitivit anima mea ad Deum vivum: quando veniam, et apparebo ante faciem Domini?

℣. Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.

℟. Et animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem.

Pater noster.

LECTIO SEPTIMA. *Job* 17.

Spiritus meus attenuabitur dies mei, breviabuntur, et solum mihi superest sepulchrum. Non peccavi, et in amaritudinibus moratur oculus meus. Libera me, Domine, et pone me juxta te, et cujusvis manus pugnet contra me. Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum. Noctem verterunt in diem, et rursum post tenebras spero lucem. Si sustinuero, infernus domus mea est, et in tenebris stravi lectulum meum. Putredini dixi: Pater meus est; mater mea, et soror mea, vermibus. Ubi est ergo nunc præstolatio mea, et patientiam meam quis considerat?

℟. Peccantem me quotidie, et non me pœnitentem timor mortis conturbat me:* Quia in inferno nulla est redemptio: miserere mei, Deus, et salva me. ℣. Deus, in nomine tuo salvum me fac, et in virtute tua libera me. Quia in inferno nulla est redemptio, miserere mei, Deus, et salva me.

LECTIO OCTAVA. *Job* 19.

Pelli meæ, consumptis carnibus, adhæsit os meum, et derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos, amici mei, quia manus Domini tetigit me. Quare persequimini me sicut Deus, et carnibus meis saturamini? Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det ut exarentur in libro stylo ferreo, et plumbi lamina, vel celte sculpantur in silice? Scio enim quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum: et rursum circumdabor pelle mea, et in carne mea videbo Deum Salvatorem meum. Quem visurus sum ego ipse, et oculi mei conspecturi sunt, et non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo.

℟. Domine, secundum actum meum noli me judicare; nihil dignum in

conspectu tuo egi : ideo deprecor Majestatem tuam, * Ut tu, Deus, deleas iniquitatem meam. ℣. Amplius lava me, Domine, ab injustitia mea, et a delicto meo munda me. Ut tu, Deus, deleas iniquitatem meam.

LECTIO NONA. *Job 10.*

Quare de vulva eduxisti me? qui utinam consumptus essem, ne oculus me videret. Fuissem quasi non essem, de utero translatus ad tumulum. Numquid non paucitas dierum meorum finietur brevi? Dimitte ergo me, ut plangam paululum dolorem meum, antequam vadam, et non revertar, ad terram tenebrosam, et opertam mortis caligine, terram miseriæ et tenebrarum, ubi umbra mortis, et nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.

*Sequens Responsorium dicitur tantum in feriali Officio.*

℟. Libera me, Domine, de viis inferni, qui portas æreas confregisti; et visitasti infernum, et dedisti eis lumen, ut viderent te, * Qui erant in pœnis tenebrarum. ℣. Clamantes et dicentes : Advenisti, Redemptor noster. Qui erant in pœnis tenebrarum. ℣. Requiem æternam dona eis, Domine : et lux perpetua luceat eis. Qui erant in pœnis tenebrarum.

*Quotiescumque dicuntur tres Nocturni, dicitur sequens Responsorium, omisso priore.*

℟. Libera me Domine, de morte æterna, in die illa tremenda: * Quando cœli movendi sunt et terra, * Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Tremens factus sum ego, et timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando cœli movendi sunt et terra. ℣. Dies illa, dies iræ, calamitatis et miseriæ, dies magna et amara valde. Dum veneris judicare sæculum per ignem. ℣. Requiem æternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis. Libera me, Domine, de morte æterna, in die illa tremenda. Quando cœli movendi sunt et terra. Dum veneris judicare sæculum per ignem.

## AD LAUDES.

*Ant.* Exultabunt Domino.

PS. 50. PIA DAVIDIS POENITENTIS ORATIO.

Miserere mei, Deus, etc. *pag. 43.*

Requiem æternam.

*Ant.* Exultabunt Domino ossa humiliata.

*Ant.* Exaudi, Domine.

PS. 64. LAUS DEI, OB DATAM ECCLESIÆ PACEM.

Te decet hymnus, Deus, in Sion: * et tibi reddetur votum in Jerusalem.

Exaudi orationem meam : * ad te omnis caro veniet.

Verba iniquorum prævaluerunt super nos : * et impietatibus nostris tu propitiaberis.

Beatus, quem elegisti et assumpsisti : * inhabitabit in atriis tuis.

Replebimur in bonis domus tuæ : * sanctum est templum tuum, mirabile in æquitate.

Exaudi nos, Deus salutaris noster ; * spes omnium finium terræ, et in mari longe

Præparans montes in virtute tua, accinctus potentia : * qui conturbas profundum maris, sonum fluctuum ejus.

Turbabuntur gentes, et timebunt, qui habitant terminos a signis tuis : * exitus matutini, et vespere delectabis.

Visitasti terram, et inebriasti eam : * multiplicasti locupletare eam.

Flumen Dei repletum est aquis, parasti cibum illorum : * quoniam ita est præparatio ejus.

Rivos ejus inebria, multiplica genimina ejus : * in stillicidiis ejus lætabitur germinans.

Benedices coronæ anni benignitatis tuæ ,* et campi tui replebuntur ubertate.

Pinguescent speciosa deserti, * et exultatione colles accingentur.

Induti sunt arietes ovium, et valles abundabunt frumento : * clamabunt, etenim hymnum dicent.

Requiem æternam.

*Ant.* Exaudi, Domine, orationem meam, ad te omnis caro veniet.

*Ant.* Me suscepit.

PS. 62. PIÆ ANIMÆ SUSPIRIA ET AFFECTUS.

Deus, Deus meus, etc. *Vide pag. 308.*

*Hic non dicitur* Requiem æternam.

PS. 66. IMPLORATUR MISERICORDIA DEI, ET MESSIÆ ADVENTUS.

Deus misereatur, etc. 309

Requiem æternam.

*Ant.* Me suscepit dextera tua, Domine.

*Ant.* A porta inferi.

CANTICUM EZECHIÆ REGIS, QUOD EST PIA ET HUMILIS ÆGROTANTIS ORATIO. *Isaiæ 38.*

Ego dixi : In dimidio dierum meorum * vadam ad portas inferi.

Quæsivi residuum anno-

rum meorum: * dixi: Non videbo Dominum Deum in terra viventium.

Non aspiciam hominem ultra, * et habitatorem quietis.

Generatio mea ablata est, et convoluta est a me, * quasi tabernaculum pastorum.

Præcisa est velut a texente vita mea; dum adhuc ordirer, succidit me: * de mane usque ad vesperam finies me.

Sperabam usque ad mane: * quasi leo sic contrivit omnia ossa mea.

De mane usque ad vesperam finies me: * sicut pullus hirundinis sic clamabo, meditabor ut columba.

Attenuati sunt oculi mei, * suspicientes in excelsum.

Domine, vim patior, responde pro me: * quid dicam, aut quid respondebit mihi, cum ipse fecerit?

Recogitabo tibi omnes annos meos * in amaritudine animæ meæ.

Domine, si sic vivitur, et in talibus vita spiritus mei, corripies me, et vivificabis me: * ecce in pace amaritudo mea amarissima.

Tu autem eruisti animam meam, ut non periret, * projecisti post tergum tuum omnia peccata mea.

Quia non infernus confitebitur tibi, neque mors laudabit te: * non expectabunt qui descendunt in lacum, veritatem tuam.

Vivens vivens ipse confitebitur tibi, sicut et ego hodie: * pater filiis notam faciet veritatem tuam.

Domine, salvum me fac: * et psalmos nostros cantabimus cunctis diebus vitæ nostræ in domo Domini.

Requiem æternam.

*Ant.* A porta inferi erue, Domine, animam meam.

*Ant.* Omnis spiritus.

PS. 148. OMNES CREATURÆ LAUDENT DEUM.

Laudate Dominum, etc. *pag. 310.*

*Hic non dicitur* Requiem æternam.

PS. 149. INVITATUR POPULUS DEI AD GRATIARUM ACTIONEM.

Cantate Domino, *etc.311.*

*Hic non dicitur* Requiem æternam.

PS. 150. DEUS ETIAM LAUDANDUS INSTRUMENTIS MUSICIS.

Laudate Dominum, etc. *pag. 311.*

Requiem æternam.

*Ant.* Omnis spiritus laudet Dominum.

℣. Audivi vocem de cœlo dicentem mihi.

℟. Beati mortui qui in Domino moriuntur.

*Ant.* Ego sum.

CANTICUM ZACHARIÆ, QUO GRATIÆ AGUNTUR PRO OBTENTO CHRISTI ADVENTU. *Luc. 1.*

Benedictus Dominus Deus, etc. *pag. 312.*

Requiem æternam.

*Ant.* Ego sum resurrectio et vita : qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis qui vivit, et credit in me, non morietur in æternum.

Pater noster, *secreto, post Vesperas, pag. 403.*

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

*In feriali Officio loco Ps.* Lauda, anima mea, *dicas hic Ps.* De profundis, *pag. 79*

COELESTE

# PALMETUM.

PARS QUARTA.

## EXERCITIA PIETATIS,

PRO DOMINICIS ET PRÆCIPUIS FESTIS TOTIUS ANNI; TUM ETIAM MODUS COLENDI CELEBRIORUM SANCTORUM FESTA.

## XXXVI.

## EXERCITIUM PIETATIS

PRO DOMINICIS ET FESTIS.

*Velut olim Deus præcepit, ut ignis in altari suo semper arderet; sic idem vult, ut amoris ignis etiam alatur in corde nostro, quod sibi in holocaustum sæpius offerri exoptat, uti docet S. Greg. lib. 25. moral. c. 7. Proponuntur eum in finem hic pro singulis Dominicis et Festis Meditatiunculæ, quibus cor nostrum Deo offeramus. Subjunguntur Hymni, Antiphonæ, Versus, Responsoria, Orationes Dominicales et Feriales totius anni. Præterea argumenta Evangeliorum, juxta Ritum Romanum pro omnibus Dominicis, Festis et Feriis, cum capite ex quo desumpta sunt, et Versibus quibus incipiunt et finiunt, accurate hic designata pius lector inveniet.*

DOMINICA I. ADVENTUS.

Evang. Lucæ 21. 25, 33. *Erunt signa in sole et luna. Tunc videbunt Filium hominis venientem in nube.*

Quandoquidem, Domine Deus, tibi placitum est donum *cordis* nostri, illudque tibi præ omnibus rebus offerri postulas, lubens obsequor, et hodie oblationis

hujus initium facio. Aliud autem offerre modo non possum quam *cor pavidum.* Nam consideratione secundi adventus tui, quo rationem istorum exiges, quæ gratiose in primo nobis concessisti (ut vult *S. Aug. hom. 36*), *expavit cor meum. 1. Reg.* 21. 5. Quod mirum in me videri non potest, cum David, vir secundum cor tuum, de se fateatur: *A verbis tuis formidavit cor meum.* Ps. 118. 161.

HYMNUS.

Creator alme siderum,
Æterna lux credentium,
Jesu Redemptor omnium,
Intende votis supplicum.
Qui dæmonis ne fraudibus
Periret orbis, impetu
Amoris actus, languidi
Mundi medela factus es.
Commune qui mundi nefas
Ut expiares ad crucem,
E Virginis sacrario
Intacta prodis victima.
Cujus potestas gloriæ,
Nomenque cum primum sonat,
Et cœlites et inferi
Tremente curvantur genu.
Te deprecamur ultimæ
Magnum diei judicem;
Armis supernæ gratiæ
Defende nos ab hostibus.
Virtus, honor, laus, gloria
Deo Patri, cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula. Am.

*Ant.* Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies et paries Filium. Alleluia.

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

ORATIO.

Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam et veni: ut ab imminentibus peccatorum nostrorum periculis te mereamur protegente eripi, te liberante salvari. Qui vivis.

DOMINICA II. ADVENTUS.

Evang. Matth. 11. 2, 10. *Joannes in vinculis mittens ad Christum, qui interrogent: Tu es qui venturus es?*

Non sua, sed discipulorum causa, inquit S. Hier., mittit Joannes suos ad Christum, ut hic ab illis agnosceretur: nulla cæteroqui in Joanne fuit inconstantia; prout Christus de illo in eodem hoc Evangelio testatur. Vide, o anima mea, ne a quovis vento te circumferri, et a Salvatore tuo abduci sinas; sed potius illi offer *cor firmum* in bono, ut

de te, quemadmodum de S. Joanne, dici possit: *Confirmatum est cor ejus.*

HYMNUS.

Creator alme, etc. *p. 422.*

*Ant.* Tu es qui venturus es an alium expectamus? Dicite Joanni quæ vidistis: Ad lumen redeunt cæci, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Alleluia.

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

ORATIO.

Excita, Domine, corda nostra ad præparandas Unigeniti tui vias: ut per ejus adventum purificatis tibi mentibus servire mereamur. Qui vivis.

DOMINICA III. ADVENTUS.

Evang. Joan. 1. 19, 23. *Miserunt Judæi ad Joannem, ut interrogarent: Tu quis es? Ego vox clamantis, etc.*

Humilis, ut caveat, ne sibi ab aliis tribuatur, quod sentit in se non esse, illud etiam occultat, quod in se esse ignorare non potest, *inquit S. Bern. Ep. 87.* Præstitum id a S. Joanne, quem sequere, et Christo offer *cor humile. Cor contritum et humiliatum Deus non despicies.* Ps. 50.

HYMNUS.

Creator alme siderum, etc. *pag. 422.*

*Ant.* Beata es Maria, quæ credidisti Domino; perficientur in te, quæ dicta sunt tibi a Domino. Alleluia.

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

ORATIO.

Aurem tuam, quæsumus, Domine, precibus nostris accommoda: et mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Qui vivis et regnas.

ANTIPHONÆ MAJORES.

*Quæ dicuntur a die 17 Decembris usque ad Festum Nativitatis Domini. Possunt etiam omnes simul quovis die per Adventum dici.*

17. *Ant.* O Sapientia, quæ ex ore Altissimi prodiisti, attingens a fine usque ad finem fortiter, suaviterque disponens omnia: veni ad docendum nos viam prudentiæ.

18. *Ant.* O Adonai, et dux domus Israel, qui Moysi in igne flammæ rubi apparuisti, et ei in Sina legem dedisti: veni ad redimendum nos in brachio extento.

19. *Ant.* O Radix Jesse,

qui stas in signum populorum, super quem continebunt reges os suum, quem gentes deprecabuntur: veni ad liberandum nos, jam noli tardare.

20. *Ant.* O Clavis David, et sceptrum domus Israel, qui aperis, et nemo claudit; claudis, et nemo aperit: veni, et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris, et umbra mortis.

21. *Ant.* O Oriens, splendor lucis æternæ, et sol justitiæ: veni, et illumina sedentes in tenebris et umbra mortis.

22. *Ant.* O Rex gentium et desideratus earum, lapisque angularis, qui facis utraque unum: veni, et salva hominem, quem de limo formasti.

23. *Ant.* O Emmanuel, rex et legifer noster, expectatio gentium, et Salvator earum: veni ad salvandum nos, Domine Deus noster.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMP. ADVENTUS.

Evang. Lucæ 1. 26, 38. *Missus est Angelus Gabriel.*

HYMNUS.

Creator alme, etc. *p. 422.* *Si venerit ante 17 Decembris, dicitur hæc Ant.* Ecce ancilla Domini: fiat mihi secundum verbum tuum.

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut Redemptionis nostræ ventura solemnitas et præsentis nobis vitæ subsidia conferat, et æternæ beatitudinis præmia largiatur. Per Dominum.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMP. ADVENTUS.

Evang. Lucæ 1. 39, 47 *Exurgens Maria abiit in montana.*

HYMNUS.

Creator alme, etc. *p. 422.* *Si venerit ante 17 Decembris, dicitur hæc Ant.* Hoc est testimonium, quod perhibuit Joannes: Qui post me venit, ante me factus est.

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

ORATIO.

Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni: ut hi, qui in tua pietate confidunt, ab omni citius adversitate liberentur. Qui vivis et regnas.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM ADVENTUS.

Evang. Lucæ 3. 1, 6. *Joannes baptizans.*

HYMNUS.

Creator alme, etc. *p. 422.* *Ant.* O *pag. 423.*

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

ORATIO.

Deus, qui conspicis, quia ex nostra pravitate affligimur: concede propitius; ut ex tua visitatione consolemur. Qui vivis.

DOMINICA IV. ADVENTUS.

Evang. Lucæ 3. 1, 6. *Joannes baptizans, et prædicans pœnitentiam. Vox clamantis, etc.*

Grata semper est vox clamans ad Dominum, gratior si et *cor clamans* accedat: hoc tu Christo venturo offer, ut cum Davide possis dicere: *Clamavi in toto corde meo. Ps. 118. 141.*

HYMNUS.

Creator alme, etc. *p. 422.* *Ant. dicitur ex Majoribus* O *pag. 423.*

℣. Rorate, cœli, desuper, et nubes pluant justum.

℟. Aperiatur terra, et germinet Salvatorem.

ORATIO.

Excita, quæsumus, Domine, potentiam tuam, et veni, et magna nobis virtute succurre: ut per auxilium gratiæ tuæ, quod nostra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret. Qui vivis.

IN VIGILIA NATIVITATIS DOMINI.

Evang. Matth. 1. 18, 21. *Cum esset desponsata Mater Jesu Maria Joseph.*

HYMNUS.

Creator alme, etc. *p. 422.*

*Ant.* Cum ortus fuerit sol de cœlo, videbitis Regem regum procedentem a Patre, tamquam sponsum de thalamo suo.

℣. Crastina die delebitur iniquitas terræ.

℟. Et regnabit super nos Salvator mundi.

ORATIO.

Deus, qui nos redemptionis nostræ annua expectatione lætificas: præsta, ut Unigenitum tuum, quem Redemptorem læti suscipimus, venientem quoque judicem securi videamus, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

IN NATIVITATE DOMINI.

Evang. 1. Lucæ 2. 1, 14.

*Ascendit Joseph cum Maria in Bethlehem, et hæc peperit Filium suum primogenitum, et pannis eum involvit, etc.*

Ecce, o anima, quam angusto loco unigenitus Dei Filius clauditur! Terrena omnia ex corde tuo expelle: ut illi loco præsepis offerre possis *cor latum:* ad hoc illum invita, et dic cum Apostolo: *Cor nostrum dilatatum est.* 1. Cor. 16. 11.

HYMNUS.

Jesu, Redemptor omnium,
Quem, lucis ante originem,
Parem paternæ gloriæ
Pater supremus edidit.
Tu lumen et splendor Patris,
Tu spes perennis omnium,
Intende quas fundunt preces,
Tui per orbem servuli.
Memento, rerum Conditor,
Nostri quod olim corporis,
Sacrata ab alvo Virginis
Nascendo, formam sumpseris.
Testatur hoc præsens dies,
Currens per anni circulum,
Quod solus e sinu Patris
Mundi salus adveneris.
Hunc astra, tellus, æquora,
Hunc omne quod cœlo subest,
Salutis auctorem novæ
Novo salutat cantico.
Et nos, beata quos sacri
Rigavit unda Sanguinis,
Natalis ob diem tui
Hymni tributum solvimus.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Am.

*Ant.* Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Alleluia, alleluia.

℣. Notum fecit Dominus. Alleluia.

℟. Salutare suum. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui hanc sacratissimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere: da, quæsumus; ut cujus lucis Mysteria in terra cognovimus, ejus quoque gaudiis in cœlo perfruamur. Qui tecum vivit.

Evang. 2. Lucæ 2. 13, 20. *Pastores loquebantur ad invicem: Transeamus usque Bethlehem.*

Quin et tu, o anima mea, cum his pastoribus Christo cor lætum offers, juxta Davidis votum: *Lætetur cor quærentium Dominum?* Ps. 105.

HYMNUS.

Jesu, Redemptor omnium, etc. *ut supra.*

*Ant.* Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Alleluia, alleluia.

℣. Notum fecit Dominus. Alleluia.

℟. Salutare suum. Alleluia.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui nova incarnati Verbi tui luce profundimur, hoc in nostro resplendeat opere, quod per fidem fulget in mente. Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum.

Evang. 3. Joan. 1. 1, 14. *In principio erat Verbum.*

Jam, inquit S.Aug., Deus complevit, quod promisit per *Ezech.* 12. 19. *Auferam cor lapideum* de carne eorum, et dabo eis *cor carneum.* Hoc Deo Patri offer, quandoquidem *Verbum caro factum est.*

HYMNUS.

Jesu, Redemptor omnium, etc. *pag. 426.*

*Ant.* Hodie Christus natus est: hodie Salvator apparuit: hodie in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodie exultant justi, dicentes: Gloria in excelsis Deo. Alleluia.

℣. Notum fecit Dominus. Alleluia.

℟. Salutare suum. Alleluia.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut nos Unigeniti tui nova per carnem nativitas liberet, quos sub peccati jugo vetusta servitus tenet. Per eumdem Christum Dominum.

*Festa S.Stephani, S.Joannis evangelistæ et SS. Innocentium, vide inter Sanctos.*

DOMINICA INFRA OCTAVAM NATIVITATIS.

Evang. Lucæ 2. 33, 40. *Erant pater ejus et mater mirantes. Tuam ipsius animam pertransibit gladius.*

Nihil inter res omnes creatas charius Deo fuit quam vulneratum Mariæ cor. Tu quoque eidem offer *cor vulneratum.* Ita cum sponsa audies a cœlesti sponso animæ tuæ: *Vulnerasti cor meum, soror mea, sponsa.* Cant. 4. 9.

HYMNUS.

Jesu, Redemptor omnium, etc. *pag. 426.*

*Ant.* Puer Jesus proficiebat ætate et sapientia coram Deo et hominibus.

℣. Verbum caro factum est. Alleluia.

℟. Et habitavit in nobis. Alleluia.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, dirige actus nostros in beneplacito tuo: ut in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare. Qui tecum vivit.

IN FESTO CIRCUMCISIONIS.

Evang. Lucæ 2. 21. *Vocatum est Nomen ejus Jesus.*

Moyses ait, *Deut. 30. 6.* Circumcidet Dominus Deus tuus *cor tuum.* Idem ut et nos faciamus præcipitur *Jer. 4.* Circumcidimini Domino, et *auferte præputia cordium vestrorum.* Quod si tu id per mortificationem præstiteris, gratum Christo donum in strenam offeres, *cor circumcisum.* Et illam Dei a te querelam avertes: *Domus Israel incircumcisi sunt corde.* Jerem. 9.

HYMNUS.

Jesu, Redemptor omnium, etc. *pag. 426.*

*Ant.* Magnum hæreditatis mysterium: Templum Dei factus est uterus nescientis virum: non est pollutus ex ea carnem assumens; omnes gentes venient, dicentes: Gloria tibi, Domine.

℣. Notum fecit Dominus, Alleluia.

℟. Salutare suum. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui salutis æternæ, beatæ Mariæ virginitate fœcunda, humano generi præmia præstitisti: tribue, quæsumus; ut ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere, Dominum nostrum Jesum Christum.

FESTUM EPIPHANIÆ.

Evang. Matth. 2. 1, 12. *Ecce Magi ab Oriente.*

Summus tuus, o homo, thesaurus est in corde tuo; hoc aperi et *cor apertum* offer Christo cum omnibus quæ in eo sunt, ut ita Christus dicere de te possit, quod legimus: *Nunc mihi aperuit cor suum.* Jud. 10. 18.

HYMNUS.

Crudelis Herodes, Deum
Regem venire, quid times?
Non eripit mortalia,
Qui regna dat cœlestia.

Ibant Magi, quam viderant,
Stellam sequentes præviam,
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.

Lavacra puri gurgitis
Cœlestis Agnus attigit:
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo sustulit.

Novum genus potentiæ.
Aquæ rubescunt hydriæ,

Vinumque jussa fundere,
Mutavit unda originem.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui apparuisti gentibus,
Cum Patre, et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Ant.* Magi videntes stellam, dixerunt ad invicem: Hoc signum magni Regis est: eamus, et inquiramus eum, et offeramus ei munera, aurum, thus et myrrham. Alleluia.

℣. Reges Tharsis et insulæ munera offerent.

℟. Reges Arabum et Saba dona adducent.

ORATIO.

Deus, qui hodierna die Unigenitum tuum gentibus stella duce revelasti: concede propitius; ut qui jam te ex fide cognovimus, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducamur. Per eumdem Dominum.

## DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Evang. Lucæ 2. 42, 52. *Jesus docet in Templo. Pater et ego dolentes quærebamus te.*

Sapientissimus tibi hodie Doctor scholas aperit, qui his te verbis invitat: *Prov. 21. 17. Appone cor ad doctrinam meam.* Accede, et illi offer *cor docile*, quale Salomon petivit: *Dabis servo tuo cor docile.*3. Reg. 3. 9.

HYMNUS.

Crudelis Herodes, Deum, etc. *pag. 428.*

*Ant.* Fili, quid fecisti nobis sic? ego et pater tuus dolentes quærebamus te. Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis, quia in iis, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?

℣. Reges Tharsis et insulæ munera offerent.

℟. Reges Arabum et Saba dona adducent.

ORATIO.

Vota, quæsumus, Domine, supplicantis populi cœlesti pietate prosequere: ut et quæ agenda sunt videant, et ad implenda, quæ viderint, convalescant. Per Dominum nostrum.

*Festum SS. Nominis Jesu reperitur inter Festa Sanctorum.*

## DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

Evang. Joan. 2. 1, 18. *Nuptiæ in Cana Galilææ.*

Qui vino optimo invitatos ad has nuptias recreavit, idem cor tuum gratia paratus est replere: dummodo illud ab omni rerum terre-

narum affectu sit vacuum. *Effunde* proinde *sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Thren. 2.19.* Atque ita illi *cor effusum* offer. Ad quod et David hortatur: *Effundite coram illo corda vestra.* Ps. 61. 9.

HYMNUS.

Lucis Creator optime,
Lucem dierum proferens,
Primordiis lucis novæ,
Mundi parans originem.
Qui mane junctum vesperi.
Diem vocari præcipis:
Illabitur tetrum chaos,
Audi preces cum fletibus.
Ne mens gravata crimine
Vitæ sit exul munere,
Dum nil perenne cogitat,
Seseque culpis illigat.
Cœleste pulset ostium;
Vitale tollat præmium;
Vitemus omne noxium;
Purgemus omne pessimum.
Præsta, pater piissime,
Patrique compar unice,
Cum Spiritu Paraclito
Regnans per omne sæculum.
Amen.

*Ant.* Deficiente vino, jussit Jesus impleri hydrias aqua, quæ in vinum conversa est. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui cœlestia simul et terrena moderaris: supplicationes populi tui clementer exaudi, et pacem tuam nostris concede temporibus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Evang. Matth. 1. 1, 13. *Jesus descendens de monte, leprosum et Centurionis servum paralyticum sanat.*

Cum mundato leproso offer hic Christo *cor mundum;* quod cum a te non habeas, ora cum Davide: *Cor mundum crea in me, Deus.* Ps. 50.

HYMNUS.

Lucis Creator optime, etc. *ut supra.*

*Ant.* Domine, si vis, potes me mundare; et ait Jesus: Volo. Mundare.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, infirmitatem nostram propitius respice, atque ad protegendum nos dexteram tuæ Majestatis extende. Per Dominum nostrum.

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Evang. Matth. 8, 23, 27. *Jesus imperat vento et mari.*

Si insensibilia elementa Jesu obedierint, quanto magis id tui erit muneris? Offer proinde illi, quod debes *cor obediens,* cui suam Deus misericordiam promittit: *Si obedieris ejus imperiis, in toto corde tuo, miserebitur tui.* Deut. 30. 2.

HYMNUS.

Lucis Creator optime, etc. *pag.* 430.

*Ant.* Domine, salva nos, perimus: impera, et fac, Deus, tranquillitatem.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere: da nobis salutem mentis et corporis, ut ea, quæ pro peccatis nostris patimur, te adjuvante vincamus. Per Dominum.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Evang. Matth. 13. 24. 30. *Cum dormirent homines, venit inimicus ejus, et superseminavit zizania.*

Offer hic *cor vigilans,* et fac, ut in veritate dicere possis: *Ego dormio, et cor meum vigilat.* Cant. 5.

HYMNUS.

Lucis Creator optime, etc. *pag.* 430.

*Ant.* Colligite primum zizania, et alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum, dicit Dominus.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi: ut quæ in sola spe gratiæ cœlestis innititur, tua semper protectione muniatur. Per Dominum.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

Evang. Matth. 13. 31, 35. *Simile est regnum cœlorum grano sinapis, et fermento.*

Granum hoc sinapis est juxta S. Ambr., *lib.* 7. in *Luc.* 13, doctrina Christi ex qua regnum Dei crescit. Hanc tu amplectere: sic illi offerre poteris *cor sapiens.* Nam *cor sapiens quærit doctrinam.* Prov. 13.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p*. 430.

*Ant.* Simile est regnum cœlorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus; ut semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, et dictis exequamur et factis. Per Dominum nostrum.

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Evang. Matth. 20. 1, 16. *De operariis in vinea.*

Et tu te Christo siste, ad promovendum ejusdem vineæ culturam, eique offer *cor laboriosum,* quod tuo bono ponet superbiam: ita enim David: *Humiliatum est in laboribus cor eorum.* Ps. 106. 11.

HYMNUS.

Lucis Creator optime, etc. *p*. 430.

*Ant.* Dixit paterfamilias operariis suis: Quid hic statis tota die otiosi? At illi respondentes dixerunt: Quia nemo nos conduxit. Ite et vos in vineam meam; et quod justum fuerit, dabo vobis.

℣. Dirigatur, Domine oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut qui juste pro peccatis nostris affligimur, pro tui nominis gloria misericorditer liberemur. Per Dominum.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Evang. Lucæ 8. 4, 15. *Exiit qui seminat.*

Quod ex bono semine in terram bonam cecidit, optatum fructum protulit: Semen quoque verbi Dei non nisi in *bono et optimo corde,* quale hoc Evangelium exigit, fructum affert. Tale cor hodie Christo offer.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p*. 430.

*Ant.* Vobis datum est nosse Mysterium Regni Dei, cæteris autem in parabolis, dixit Jesus Discipulis suis.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra actione confidimus: concede propitius, ut contra adversa omnia doctoris gentium protectione muniamur. Per Dominum.

DOMINICA QUINQUAG.

Evang. Lucæ 18, 31, 43. *Ecce ascendimus Jerosolymam... Cæcus sedebat juxta viam.*

Qui huic cæco visum restituit, idem et corda nostra illuminat, prout Siracides fore prædixit: *Eccl. 2. 10. Illuminabuntur corda vestra.* Quin ergo illi hodie offers *cor illuminatum?*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Stans autem Jesus jussit cœcum adduci ad se, et ait illi: Quid vis ut faciam tibi? Domine, ut videam. Et Jesus ait illi: Respice: fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi: atque a peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos adversitate custodi. Per Dominum nostrum.

*Tempore Quadragesimæ.*

FERIA QUARTA CINERUM.

Evang. Matth. 6. 16, 21. *Cum jejunatis, nolite fieri sicut hypocritæ.*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Thesaurizate vobis thesauros in cœlo, ubi nec ærugo, nec tinea demolitur.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Præsta, Domine, fidelibus tuis, ut jejuniorum veneranda solemnia, et congrua pietate suscipiant, et secura devotione percurrant. Per Dominum nostrum.

FERIA QUINTA.

Evang. Matth. 8. 5, 13. *Cum introisset Jesus Capharnaum.*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℞. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice, et flagella tuæ iracundiæ, quæ pro peccatis nostris meremur, averte. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Evang. Matth. 5, 43. 48. et 6. 1, 4. *Diliges proximum.*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum: et clauso ostio ora Patrem tuum.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℞. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Inchoata jejunia, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere: ut observantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam sinceris exercere valeamus. Per Dominum nostrum.

SABBATO.

Evang. Marc. 6. 47, 56. *Cum sero esset, erat navis in medio mari.*

HYMNUS.

Audi, benigne Conditor,
Nostras preces cum fletibus,
In hoc sacro jejunio.
Fusas quadragenario.
Scrutatur alme cordium,
Infirma tu scis virium,
Ad te reversis exhibe
Remissionis gratiam.
Multum quidem peccavimus,
Sed parce confitentibus:
Ad nominis laudem tui
Confer medelam languidis.
Concede nostrum conteri
Corpus per abstinentiam,
Culpæ ut relinquant pabulum
Jejuna corda criminum.
Præsta, beata Trinitas,
Concede, simplex Unitas
Ut fructuosa sint tuis
Jejuniorum munera. Amen.

*Ant.* Tunc invocabis, et Dominus exaudiet: clamabis, et dicet: Ecce adsum.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℞. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et concede, ut hoc solemne jejunium, quod animabus, corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto servitio celebremus. Per Dominum.

DOMINICA I. QUADRAG.

Evang. Matth. 4. 1, 11. *Jesus tentatur a diabolo.*

Occlusum tentationibus fuit cor Jesu. Utinam et tuum illis occluderes, et sigillo munires, adeoque *cor obsignatum* Christo offerres! Ut autem tale cor habeas, offert se ipse Jesus pro signaculo verbis sponsi : *Pone me ut signaculum super cor tuum.* Cant. 8. 6.

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis : in his ergo diebus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in ejuniis, in vigiliis, et in charitate non ficta.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali observatione purificas : præsta familiæ tuæ; ut quod a te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur. Per Dominum nostrum.

FERIA SECUNDA.

Evang. Matth. 25. 31, 46. *De judicio.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis, dicit Dominus.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Converte nos, Deus salutaris noster : et ut nobis jejunium quadragesimale proficiat mentes nostras cœlestibus instrue disciplinis. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Evang. Matth. 21. 10, 17. *Intravit Jesus in Templum.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Scriptum est enim, quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus : vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat quotidie docens in Templo.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Respice, Domine, familiam tuam, et præsta ut apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMP. QUADRAG.

Evang. Matth. 12. 38, 50. *Magister, volumus a te signum videre.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Sicut fuit Jonas in ventre ceti tribus diebus et tribus noctibus, ita erit Filius hominis in corde terræ.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Preces nostras, quæsumus, Domine, clementer exaudi: et contra cuncta nobis adversantia dexteram tuæ Majestatis extende. Per Dominum nostrum.

FERIA QUINTA.

Evang. Matth. 15. 21, 28. *Et ecce mulier Chananæa.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* O mulier, magna est fides tua : fiat tibi sicut petiisti.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Devotionem populi tui, quæsumus, Domine, benignus intende: ut qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMP. QUADRAG.

Evang. Joan. 5. 1, 15. *De probatica piscina.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Qui me sanum fecit ille mihi præcepit : Tolle grabatum tuum, et ambula in pace.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Esto, Domine, propitius plebi tuæ : et quam tibi

facis esse devotam, benigno refove miseratus auxilio. Per Dominum nostrum.

SABBATO QUATUOR TEMP. QUADRAG.

Evang. Matth. 17. 1, 9. *De monte Thabor.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Visionem, quam vidistis, nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat Filius hominis.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Populum tuum, quæsumus, Domine, propitius respice: atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer averte. Per Dominum.

DOMINICA II. QUADRAG.

Evang. Matth. 17. 1, 9. *De monte Thabor.*

Magnam cor Petri lætitiam sensit, quando exclamavit: Bonum est nos hic esse! Sic omnibus Christo conjunctis erit. Et tu huic conjungere, sic *cor lætum* eidem offeres: *in eo lætabitur cor nostrum. Ps. 32. 21.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Visionem, quam vidistis, nemini dixeritis, donec a mortuis resurgat Filius hominis.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Deus, qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusque custodi: ut ab omnibus adversitatibus muniamur in corpore, et a pravis cogitationibus mundemur in mente. Per Dominum.

FERIA SECUNDA.

Evang. Joan. 8. 21, 29. *Quo ego vado, vos non potestis venire.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Qui me misit, mecum est, et non reliquit me solum, quia quæ placita sunt ei, facio semper.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua, quæ se, affligendo carnem, ab alimentis abstinet,

sectando justitiam, a culpa jejunet. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Evang. Matth. 23. 1, 12. *Qui major est vestrum, erit minister vester.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Omnes autem vos fratres estis: et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in cœlis est: nec vocemini magistri, quia magister vester unus est Christus.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Perfice, quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Evang. Matth. 20. 17, 28. *De matre filiorum Zebedæi.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Tradetur enim gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Populum tuum, quæsumus, Domine, propitius respice: et quod ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Evang. Lucæ 16. 19, 31. *Homo quidam erat dives.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Dives ille guttam aquæ petiit, qui micas panis Lazaro negavit.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Præsta, nobis, quæsumus, Domine, auxilium gratiæ tuæ; ut jejuniis et orationibus convenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis et corporis. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA.

Evang. Matth. 21. 33, 46. *Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Quærentes eum tenere, timuerunt turbam, quia sicut Prophetam eum habebant.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus; ut sacro nos purificante jejunio, sinceris mentibus ad sancta ventura facias pervenire. Per Dominum nostrum.

SABBATO.

Evang. Lucæ 15. 11, 32. *De Filio prodigo.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Dixit autem pater ad servos suos: Cito proferte stolam primam, et induite illum, et date annulum in manu ejus, et calceamenta in pedibus ejus.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Da, quæsumus, Domine, nostris effectum jejuniis salutarem: ut castigatio carnis assumpta ad nostrarum vegetationem transeat animarum. Per Dominum.

DOMINICA III. QUADRAG.

Evang. Lucæ 11. 14, 28. *Erat Jesus ejiciens dæmonium mutum.*

Omne regnum in se divisum, juxta hujus Evangelii sententiam, desolabitur. Stude proinde cum omnibus servare pacem, et Christo offer *cor* cum omnibus in Christo *unitum*. Multitudinis credentium in Ecclesiæ principiis *erat cor unum et anima una.* Act. 4. 32.

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Extollens vocem quædam mulier de turba, dixit: Beatus venter qui te portavit, et ubera quæ suxisti. At Jesus ait illi: Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, vota humilium respice: atque ad defensionem nostram, dexteram tuæ Majestatis extende. Per Dominum nostrum.

FERIA SECUNDA.

Evang. Lucæ. 4. 23, 30. *Medice, cura te ipsum.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Jesus autem transiens per medium illorum ibat.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde: ut sicut ab escis carnalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros a noxiis retrahamus excessibus. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Evang. Matth. 18. 15, 22. *Si peccaverit in te frater tuus.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Ubi duo vel tres congregati fuerint in nomine meo, in medio eorum sum, dicit Dominus.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Exaudi nos, omnipotens et misericors Deus, et continentiæ salutaris propitius nobis dona concede. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Evang. Matth. 15. 1, 20. *Quare Discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorum?*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Non lotis manibus manducare, non coinquinat hominem.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Præsta, nobis, quæsumus, Domine; ut salutaribus jejuniis eruditi, a noxiis quoque vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Evang. Lucæ 4. 38, 44. *Surgens Jesus de Synagoga, intravit in domum Simonis.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Omnes qui habebant infirmos, ducebant illos ad Jesum, et sanabantur.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Magnificet te, Domine, sanctorum tuorum Cosmæ et Damiani beata solemnitas: qua et illis gloriam sempi-

ternam, et opem nobis ineffabili providentia contulisti. Per Dominum,

FERIA SEXTA.

Evang. Joan. 4. 5, 42. *De muliere Samaritana.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Domine, ut video, Propheta es tu : patres nostri in monte hoc adoraverunt.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Jejunia nostra, quæsumus, Domine, benigno favore prosequere : ut sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita a vitiis jejunemus in mente. Per Dominum.

SABBATO.

Evang. Joan. 8. 1, 11. *De muliere deprehensa in adulterio.*

HYMNUS.

Audi, 'etc. *pag. 434.*

*Ant.* Nemo te condemnavit, mulier ? Nemo, Domine. Nec ego te condemnabo; jam amplius noli peccare.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus; ut qui se affligendo carnem, ab alimentis abstinent, sectando justitiam, a culpa jejunent. Per Dominum.

DOMINICA IV. QUADRAG. SEU LÆTARE.

Evang. Joan. 6. 1, 14. *De 5. panibus et 2. piscibus, quibus Christus satiavit 5000 hominum.*

Non solo pane, verum et verbo suo divino Christus refecit famentem populum. Ora, ut tuam quoque animam eodem pane confortet, de quo David : *Panis cor hominis confortat.* Ps. 103. 17. Ita hodie Christo offerre poteris *cor confortatum.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Subiit ergo in montem Jesus, et ibi sedebat cum discipulis suis.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus; ut qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus. Per Dominum.

FERIA SECUNDA.

Evang. Joan. 2. 13, 25. *Jesus ejicit vendentes in templo.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Solvite templum hoc, dicit Dominus, et post triduum reædificabo illud : hoc autem dicebat de templo corporis sui.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus; ut observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus et mente. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Evang. Joan. 7. 14, 31. *Ascendit Jesus in templum et docebat.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Nemo in eum misit manum, quia nondum venerat hora ejus.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Sacræ nobis, quæsumus, Domine, observationis jejunia, et piæ conversationis augmentum, et tuæ propitiationis continuum præstent auxilium. Per Dominum nostrum.

FERIA QUARTA.

Evang. Joan. 9. 1, 38. *De cæco a nativitate.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Ille homo, qui dicitur Jesus, lutum fecit ex sputo, et linivit oculos meos, et modo video.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Deus, qui et justis præmia meritorum, et peccatoribus per jejunium veniam præbes: miserere supplicibus tuis; ut reatus nostri confessio indulgentiam valeat percipere delictorum. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Evang. Lucæ 7. 11, 16. *De vidua Naim.*

HYMNUS.

Audi, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut quos jejunia votiva castigant, ipsa quoque devotio sancta lætificet; ut terrenis affectibus mitigatis, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Evang. Joan. 11. 1, 45. *De Lazaro resuscitato.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Domine, si fuisses hic, Lazarus non esset mortuus. Ecce jam fœtet quatriduanus in monumento.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Deus, qui ineffabilibus mundum renovas Sacramentis: præsta, quæsumus; ut Ecclesia tua et æternis proficiat institutis, et temporalibus non destituatur auxiliis. Per Dominum.

SABBATO.

Evang. Joan. 6. 12, 20. *Ego sum lux mundi.*

HYMNUS.

Audi, benigne, etc. *pag. 434.*

*Ant.* Ego sum qui testimonium perhibeo de meipso: et testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.

℣. Angelis suis Deus mandavit de te.

℟. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.

ORATIO.

Fiat, Domine, quæsumus, per gratiam tuam fructuosus nostræ devotionis affectus, quia tunc nobis proderunt suscepta jejunia, si tuæ sint placita pietati. Per Dominum.

DOMINICA PASSIONIS.

Evang. Joan. 8. 46, 58. *Quis ex vobis arguet me de peccato? Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in illum.*

Lapidibus duriora corda eorum fuerunt, qui Christum voluerunt lapidare. Cave ne ejusmodi sit cor tuum. *Cor* enim *durum habebit male in novissimo. Eccli. 3. 27. Cor* ergo *molle* Christo offer, dic cum *Job: Deus mollivit cor meum. C. 23. 16.*

HYMNUS.

Vexilla Regis prodeunt,
Fulget Crucis Mysterium,
Qua vita mortem pertulit,
Et morte vitam protulit.
Quæ vulnerata lanceæ
Mucrone diro, criminum
Ut nos lavaret sordibus,
Manavit unda et sanguine.
Impleta sunt, quæ concinit
David fideli carmine,
Dicendo nationibus:
Regnavit a ligno Deus.
Arbor decora et fulgida,
Ornata regis purpura,
Electa digno stipite,
Tam sancta membra tangere.
Beata, cujus brachiis
Pretium pependit sæculi,
Statera facta corporis,
Tulitque prædam Tartari.
O Crux, ave, spes unica,
Hoc passionis tempore
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.
Te fons salutis Trinitas,
Collaudet omnis spiritus:
Quibus Crucis victoriam
Largiris, adde præmium.
Amen.

*Ant.* Abraham pater vester exultavit, ut videret diem meum: vidit, et gavisus est.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, familiam tuam propitius respice: ut te largiente regatur in corpore, et te servante custodiatur in mente. Per Dominum.

FERIA SECUNDA.

Evang. Joan. 7. 33, 39. *Quæretis me, et non invenietis.*

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *ut supra.*

*Ant.* Si quis sitit, veniat ad me, et bibat: et de ventre ejus fluent aquæ vivæ, dicit Dominus.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Sanctifica, quæsumus, Domine, nostra jejunia: et cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum. Per Dominum.

FERIA TERTIA.

Evang. Joan. 7. 1, 13. *Ambulabat Jesus in Galilæa.*

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *ut supra.*

*Ant.* Vos ascendite ad diem festum hunc; ego au-

tem non ascendam, quia tempus meum nondum advenit.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Nostra tibi, Domine, quæsumus, sint accepta jejunia, quæ nos et expiando gratia tua dignos efficiant, et ad remedia perducant æterna. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Evang. Joan. 10. 22, 38. *Facta sunt encænia in Jerosolymis.*

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *pag. 444.*

*Ant.* Multa bona opera operatus sum vobis: propter quod opus vultis me occidere?

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Sanctificato hoc jejunio, Deus, tuorum corda fidelium miserator illustra: et quibus devotionis præstas affectum, præbe supplicantibus pium benignus auditum. Per Dominum.

FERIA QUINTA.

Evang. Lucæ 7. 36, 50. *De Maria Magdalena.*

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *pag. 444.*

*Ant.* Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniæ studio reformetur. Per Dominum nostrum.

FERIA SEXTA.

FESTUM VII. DOLORUM B. V. MARIÆ.

Evang. Joan. 19. 25, 27. *Stabant juxta Crucem Jesu.*

PLANCTUS.

Stabat Mater, etc. *pag. 289.*

*Ant.* Tuam ipsius animam (ait ad Mariam Simeon) pertransibit gladius.

℣. Ora pro nobis, Virgo dolorosissima.

℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis et Matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius; ut qui Transfixionem ejus et passionem venerando recolimus, gloriosis meritis et precibus omnium Sanctorum Cruci fideliter adstantium intercedentibus, passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis et regnas.

EODEM DIE FIT COMM. FERIÆ.

*Ant.* Principes Sacerdotum consilium fecerunt ut Jesum occiderent: dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Cordibus nostris, quæsumus, Domine, gratiam tuam benignus infunde: ut peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quam suppliciis deputemur æternis. Per Dominum.

SABBATO.

Evang. Joan. 12. 10, 36. *Cogitaverunt principes sacerdotum, ut et Lazarum interficerent.*

HYMNUS.

Vexilla regis, etc. *pag. 444.*

*Ant.* Pater juste, mundus te non cognovit: ego autem novi te, quia tu me misisti.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo erip me.

ORATIO.

Proficiat, quæsumus, Domine, plebs tibi dicata piæ devotionis affectu: ut sacris actionibus erudita, quanto Majestati tuæ fit gratior, tanto donis potioribus augeatur. Per Dominum.

DOMINICA PALMARUM.

*In missa legitur vel canitur.*

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SECUNDUM MATTHÆUM.

In illo tempore: Dixit Jesus discipulis suis: Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum et seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas: et consilium fecerunt, ut Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem:

Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli, indignati sunt, dicentes: Ut quid perditio hæc? Potuit enim istud venumdari multo, et dari pauperibus. Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. Mittens enim hæc unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis, ubicumque prædicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod hæc fecit, in memoriam ejus. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum, et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos, et exinde quærebat opportunitatem ut eum traderet. Prima autem die Azymorum accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes: Ubi vis paremus tibi comedere Pascha? At Jesus dixit: Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei: Magister dicit: Tempus meum prope est; apud te facio Pascha cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde, cœperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Cœnantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, et ait: Accipite et comedite: hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, et dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Dico

autem vobis : Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. Postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego nunquam scandalizabor. Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte, antequam gallus cantet, ter me negabis. Ait illi Petrus : Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quæ dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illuc, et orem. Et assumpto Petro et duobus filiis Zebedæi, cœpit contristari et mœstus esse. Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans et dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste. Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu. Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes : et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum? Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Iterum secundo abiit, et oravit dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et venit iterum, et invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati. Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis : Dormite jam, et requiescite : ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus : ecce appropinquavit qui me tradet. Adhuc eo loquente, ecce Judas, unus de duodecim, venit, et cum eo turba multa cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum et senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave, Rabbi. Et osculatus est eum. Dixitque illi Jesus : Amice

ad quid venisti? Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum. Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens servum principis sacerdotum, amputavit auriculam ejus. Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum. Omnes enim, qui acceperint gladium, gladio peribunt. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones Angelorum? Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri? In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis, et fustibus, comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur scripturæ Prophetarum. Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. At illi tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribæ et seniores convenerant. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. Principes autem sacerdotum et omne concilium quærebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reædificare illud. Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea, quæ isti adversum te testificantur? Jesus autem tacebat. Et princeps sacerdotum ait illi: Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus Filius Dei. Dicit illi Jesus: Tu dixisti. Verumtamen dico vobis, amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus cœli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: quid vobis videtur? At illi respondentes, dixerunt: Reus est mortis. Tunc expuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt, alii autem palmas in faciem ejus dederunt, dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est, qui te percussit? Petrus vero sedebat foris in atrio: et accessit ad eum una ancilla, dicens: Et tu

cum Jesu Galilæo eras. At ille negavit coram omnibus dicens: Nescio quid dicis. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait eis, qui erant ibi: Et hic erat cum Jesu Nazareno. Et iterum negavit cum juramento: Quia non novi hominem. Et post pusillum accesserunt, qui stabant, et dixerunt Petro: Vere et tu ex illis es: nam et loquela tua manifestum te facit. Tunc cœpit detestari, et jurare quia non novisset hominem. Et continuo gallus cantavit. Et recordatus est Petrus verbi Jesu, quod dixerat: Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare. Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato præsidi. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset; pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum et senioribus, dicens: Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt: Quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit: et abiens, laqueo se suspendit. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus est ager ille, *Haceldama*, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam Prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel: et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. Jesus autem stetit ante præsidem, et interrogavit eum præses dicens: Tu es Rex Judæorum? Dicit illi Jesus: Tu dicis. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur Præses vehementer. Per diem autem solemnem consueverat Præses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. Congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Quem vultis dimittam vobis: Ba-

rabbam, an Jesum, qui dicitur Christus? Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, et justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. Principes autem sacerdotum et seniores persuaserunt populis, ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. Respondens autem Præses, ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At illi dixerunt: Barabbam. Dicit illis Pilatus: Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus? Dicunt omnes: Crucifigatur? Ait illis Præses: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant, dicentes: Crucifigatur! Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis. Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos, et super filios nostros. Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. Tunc milites Præsidis suscipientes Jesum in prætorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave, rex Judæorum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. Exeuntes autem, invenerunt hominem Cyrenæum,nomine Simonem: hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. Et venerunt in locum, qui dicitur Golgotha, quod est, Calvariæ locus. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes: ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. Et sedentes, servabant eum. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: Hic est Jesus, Rex Judæorum. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones: unus a dextris, et unus a sinistris. Prætereuntes autem blas-

phemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reædificas: salva temetipsum. Si filius Dei es, descende de cruce. Similiter et principes sacerdotum, illudentes cum Scribis et senioribus, dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei: confidit in Deo: liberet nunc, si vult, eum; dixit enim: Quia Filius Dei sum. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. A sexta autem hora tenebræ factæ sunt super universam terram usque ad horam nonam. Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? Hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes et audientes, dicebant: Eliam vocat iste. Et continuo currens unus ex eis acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. Ceteri vero dicebant: Sine videamus an veniat Elias liberans eum. Jesus autem iterum clamans voce magna, emisit spiritum. *(Hic genuflectitur, et pausatur aliquantulum.)* Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum et terra mota est, et petræ scissæ sunt, et monumenta aperta sunt: et multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terræmotu et his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius Dei erat iste. Erant autem ibi mulieres multæ a longe, quæ secutæ erant Jesum a Galilæa, ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Joseph mater, et mater filiorum Zebedæi. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathea, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti, et abiit. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulchrum.

Altera autem die, quæ est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisæi ad Pilatum, dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus et furentur eum, et dicant plebi: Surrexit a mortuis: et erit novissimus error pejor priore. Ait illis Pilatus, Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.

---

Causam habes, o anima mea, in hoc triumpho Christi, lugendi potius quam gaudendi, quandoquidem instat ipsius passio. Quamobrem omnibus mundi gaudiis exclusis, offer Christo *cor dolorosum*, ut dicere cum Apostolo queas: Tristitia mihi magna est, *et continuus dolor cordi meo.* Rom. 9. 2.

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *p.* 444.

*Ant.* Scriptum est enim: Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis: postquam autem resurrexero, præcedam vos in Galilæam, ibi me videbitis, dicit Dominus.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi, ad imitandum humilitatis exemplum, Salvatorem nostrum carnem sumere, et Crucem subire fecisti: concede, propitius; ut et patientiæ ipsius habere documenta, et resurrectionis consortia mereamur. Per eumdem Dominum.

FERIA SECUNDA.

Evang. Joan. 12. 1, 9. *Venit Jesus Bethaniam.*

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *p. 444.*

*Ant.* Non haberes in me potestatem, nisi desuper tibi datum fuisset.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui in tot adversis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente unigeniti Filii tui Passione respiremus. Qui tecum vivit in unitate.

FERIA TERTIA.

*In missa legitur.*

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SECUNDUM MARCUM. *Capit. 14 et 15.*

In illo tempore : Erat Pascha et Azyma post biduum et quærebant summi sacerdotes et scribæ quomodo Jesum dolo tenerent et occiderent. Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. Et cum esset Jesus Bethaniæ in domo Simonis leprosi, et recumberet : venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi , et fracto alabastro effudit super caput ejus. Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes : Ut quid perditio ista unguenti facta est ? Poterat enim unguentum istud venumdari plus quam trecentis denariis , et dari pauperibus. Et fremebant in eam. Jesus autem dixit : Sinite eam, quid illi molesti estis ? Bonum opus operata est in me. Semper enim pauperes habetis vobiscum : et cum volueritis , potestis illis benefacere : me autem non semper habetis. Quod habuit hæc, fecit : prævenit ungere corpus meum in sepulturam. Amen dico vobis : Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo , et quod fecit hæc, narrabitur in memoriam ejus. Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes , ut proderet eum illis. Qui audientes gavisi sunt , et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quærebat, quomodo illum opportune traderet. Et primo die Azymorum, quando Pascha immolabant , dicunt ei discipuli : Quo vis eamus , et paremus tibi , ut manduces Pascha ? Et mittit duos ex discipulis suis , et dicit eis : Ite in civitatem : et occurret vobis homo lagenam aquæ bajulans , sequimini eum : et quocumque introierit , dicite domino domus , quia magister dicit : Ubi est refectio mea , ubi Pascha cum discipulis meis manducem ? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculum grande stratum : et illic parate nobis. Et abierunt discipuli ejus , et venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis , et paraverunt Pascha. Vespere autem facto, venit cum duodecim. Et discumbentibus eis , et manducantibus, ait Jesus : Amen dico vobis , quia unus ex vobis tradet me , qui manducat mecum. At illi cœperunt

contristari, et dicere ei singulatim: Numquid ego? Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: væ autem homini illi, per quem Filius hominis tradetur! Bonum erat ei, si non esset natus homo ille. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem: et benedicens fregit, et dedit eis, et ait: Sumite, hoc est corpus meum. Et accepto calice, gratias agens dedit eis: et biberunt ex illo omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur. Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. Et hymno dicto, exierunt in montem Olivarum. Et ait eis Jesus: Omnes scandalizabimini in me in nocte ista; quia scriptum est: Percutiam pastorem, et dispergentur oves. Sed postquam resurrexero, præcedam vos in Galilæam. Petrus autem ait illi: Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. Et ait illi Jesus: Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. At ille amplius loquebatur: Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant. Et veniunt in prædium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis: Sedete hic donec orem. Et assumit Petrum et Jacobum. et Joannem secum: et cœpit pavere, et tædere. Et ait illis: Tristis est anima mea usque ad mortem: sustinete hic, et vigilate. Et cum processisset paululum, procidit super terram: et orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora: et dixit: Abba, Pater, omnia tibi possibilia sunt: transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu. Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro: Simon, dormis? non potuisti una hora vigilare? Vigilate et orate, ut non intretis intentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma. Et iterum abiens oravit, eumdem sermonem dicens. Et reversus, denuo invenit eos dormientes (erant enim oculi eorum gravati): et ignorabant quid responderent ei. Et venit tertio, et ait illis: Dormite jam et requiescite. Sufficit: venit hora: ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite, eamus. Ecce

qui me tradet, prope est. Et adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes, unus de duodecim, et cum eo turba multa cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus et Scribis et senioribus. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens: Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute. Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait: Ave, Rabbi. Et osculatus est eum. At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum. Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis: et amputavit illi auriculam. Et respondens Jesus, ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me? quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturæ. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: et tenuerunt eum. At ille, rejecta sindone, nudus profugit ab eis. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem: et convenerunt omnes sacerdotes, et Scribæ, et seniores. Petrus autem a longe secutus est eum usque intro in atrium summi sacerdotis et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. Summi vero sacerdotes et omne concilium, quærebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: et convenientia testimonia non erant. Et quidam surgentes falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manufactum, et per triduum aliud non manufactum ædificabo. Et non erat conveniens testimonium illorum. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ab ea, quæ tibi objiciuntur ab his? Ille autem tacebat, et nihil respondit. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei: Tu es Christus Filius Dei benedicti? Jesus autem dixit illi: Ego sum: et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus cœli. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes con-

demnaverunt eum esse reum mortis. Et cœperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum cædere, et dicere ei: Prophetiza. Et ministri alapsis eum cædebant. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis: et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait: Et tu cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit, dicens: Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. Rursus autem cum vidisset illum ancilla, cœpit dicere circumstantibus: Quia hic ex illis est. At ille iterum negavit. Et post pusillum, rursus qui astabant, dicebant Petro: Vere ex illis es: nam et Galilæus es. Ille autem capit anathematizare et jurare: Quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus: Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et cœpit flere. Et confestim mane consilium facientes summi sacerdotes cum senioribus et Scribis et universo concilio, vincientes Jesum, duxerunt et tradiderunt Pilato. Et interrogavit eum Pilatus: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens, ait illi: Tu dicis. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? Vide in quantis te accusant. Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petiissent. Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. Et cum ascendisset turba, cœpit rogare, sicut semper faciebat illis. Pilatus autem respondit eis, et dixit: Vultis dimittam vobis Regem Judæorum? Sciebat enim, quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam Regi Judæorum? At illi iterum clamaverunt: Crucifige eum! Pilatus vero dicebat illis: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant: Crucifige eum! Pilatus autem volens populo satisfacere, dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum flagellis cæsum, ut crucifigeretur. Milites autem duxerunt eum in atrium

prætorii, et convocant totam cohortem, et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. Et cœperunt salutare eum: Ave, rex Judæorum. Et percutiebant caput ejus arundine: et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum ut crucifigerent eum. Et angariaverunt prætereuntem quempiam, Simonem Cyrenæum venientem de villa, patrem Alexandri, et Rufi, ut tolleret crucem ejus. Et perducunt illum in Golgotha locum, quod est interpretatum Calvariæ locus. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: et non accepit. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret. Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum. Et erat titulus causæ ejus inscriptus: Rex Judæorum. Et cum eo crucifigunt duos latrones: unum a dextris et alium a sinistris ejus. Et impleta est Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus est. Et prætereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes: Vah qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reædificas: salvum fac temetipsum, descendens de cruce. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant: Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. Christus, Rex Israel, descendat nunc de cruce, ut videamus et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei. Et facta hora sexta, tenebræ factæ sunt per totam terram, usque in horam nonam. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lamma sabacthani? Quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? Et quidam de circumstantibus audientes: dicebant: Ecce Eliam vocat. Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens: Sinite, videamus, si veniat Elias ad deponendum eum. Jesus autem emissa voce magna expiravit. *(Hic genuflectitur, et pausatur aliquantulum.)* Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. Videns autem centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat. Erant autem et mulieres de longe aspicientes,

inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome: et cum esset in Galilæa, sequebantur eum, et ministrabant ei, et aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Jerosolymam.

Et cum jam sero esset factum (quia erat Parasceve quod est ante sabbatum), venit Joseph ab Arimathæa, nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Pilatus autem mirabatur, si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum, si jam mortuus esset. Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti.

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *pag. 444.*

*Ant.* Potestatem habeo ponendi animam meam, et iterum sumendi eam.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis ita dominicæ passionis Sacramenta peragere, ut indulgentiam percipere mereamur. Per eumdem Dominum nostrum.

FERIA QUARTA.

*In Missa legitur:*

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SECUNDUM LUCAM *Cap. 22 et 23.*

In illo tempore: Appropinquabat dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha: et quærebant principes sacerdotum et Scribæ, quomodo Jesum interficerent: timebant vero plebem. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et gavisi sunt, et pacti sunt pecuniam illi dare. Et spopondit. Et quærebat opportunitatem, ut traderet illum sine turbis. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum et Joannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, ut manducemus. At illi dixerunt: Ubi vis paremus? Et dixit ad eos: Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam, amphoram aquæ portans: sequimini eum in

domum, in quam intrat, et dicetis patrifamilias domus: Dicit tibi Magister: Ubi est diversorium, ubi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse ostendet vobis cœnaculum magnum stratum, et ibi parate. Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt Pascha. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. Et ait illis: Desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos. Dico enim vobis, quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter et calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: verumtamen væ homini illi, per quem tradetur! Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Facta est autem et contentio inter eos, quis eorum videretur esse major. Dixit autem eis: Reges Gentium dominantur eorum: et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic: sed qui major est in vobis, fiat sicut minor: et qui præcessor est, sicut ministrator. Nam quis major est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat: vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum, ut edatis, et bibatis super mensam meam in regno meo: et sedeatis super thronos, judicantes duodecim tribus Israel. Ait autem Dominus: Simon, Simon, ecce satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos. Qui dixit ei: Domine, tecum paratus sum et in carcerem, et in mortem ire. At ille dixit: Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis: Quan-

do misi vos sines sacculo, et pera, et calceamentis; numquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt. Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet sacculum, tollat similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. Dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. Et cum pervenisset ad locum, dixit illis: Orate, ne intretis in tentationem. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis: et positis genibus orabat, dicens: Pater, si vis, transfer calicem istum a me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. Apparuit autem illi Angelus de cœlo, confortans eum. Et factus in agonia, prolixius orabat. Et factus est sudor ejus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes præ tristitia. Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. Adhuc eo loquente, ecce turba: et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. Jesus autem dixit illi: Juda, osculo, Filium hominis tradis? Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio? Et percussit unus ex illis servum principis sacerdotem, et amputavit auriculam ejus dexteram. Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc. Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eum. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi et seniores: Quasi ad latromen existis cum gladiis et fustibus? cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum Principis sacerdotum: Petrus vero sequebatur a longe. Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. Quem cum vidisset ancilla quædam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit: Et hic

cum illo erat. At ille negavit eum, dicens: Mulier, non novi illum. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Petrus vero ait: O homo, non sum. Et intervallo facto quasi horæ unius, alius quidam affirmabat, dicens: Vere et hic cum illo erat: nam et Galilæus est. Et ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Et continuo adhuc illo loquente cantavit gallus. Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat: Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras Petrus flevit amare. Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et velaverunt eum, et percutiebant faciem ejus: et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis et principes sacerdotum et Scribæ, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei: Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. At illi dixerunt. Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi enim audivimus de ore ejus. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. Cœperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se Christum Regem esse. Pilatus autem interrogavit eum, dicens: Tu es Rex Judæorum? At ille respondens ait: Tu dicis. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum et turbas: Nihil invenio causæ in hoc homine. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum docens per universam Judæam, incipiens a Galilæa usque huc. Pilatus autem audiens Galilæam, interrogavit si homo Galilæus esset. Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus. Herodes autem viso Jesu, gavisus est valde. Erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. Interroga-

bat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. Stabant autem principes sacerdotum, et Scribæ constanter accusantes eum. Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo: et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die, nam antea inimici erant ad invicem. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, dixit ad illos: Obtulistis mihi hunc hominem, quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his, in quibus eum accusatis. Sed neque Herodes: nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. Emendatum ergo illum dimittam. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum. Exclamavit autem simul universa turba, dicens: Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam. Qui erat, propter seditionem quamdam factam in civitate et homicidium, missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. At illi succlamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum! Ille autem tertio dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? Nullam causam mortis invenio in eo: corripiam ergo illum, et dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur. Et invalescebant voces eorum. Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. Dimisit autem illis eum, qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant: Jesum vero tradidit voluntati eorum. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa: et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. Sequebatur autem illum multa turba populi et mulierum, quæ plangebant et lamentabantur eum. Conversus autem ad illas Jesus, dixit: Filiæ Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, et ventres, qui non genuerunt, et ubera, quæ non lactaverunt. Tunc incipient dicere montibus: Cadite super nos; et collibus: Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet? Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, ut interficerentur. Et postquam venerunt in

locum, qui vocatur Calvariæ, ibi crucifixerunt eum; et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. Jesus autem dicebat: Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt. Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes: Alios salvos fecit: se salvum faciet, si hic est Christus Dei electus. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei, et dicentes: Si tu es Rex Judæorum, salvum te fac. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Græcis et Latinis, et Hebraicis: Hic est Rex Judæorum. Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus salvum fac temetipsum, et nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus: hic vero nihil mali gessit. Et dicebat ad Jesum: Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. Et dixit illi Jesus: Amen dico tibi: Hodie mecum eris in paradiso. Erat autem fere hora sexta, et tenebræ factæ sunt in universam terram usque in horam nonam. Et obscuratus est sol: et velum templi scissum est medium. Et clamans voce magna Jesus ait: Pater, in manus tuas, commendo spiritum meum. Et hæc dicens, expiravit. *(Hic genuflectitur, et pausatur aliquantulum.)* Videns autem centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat. Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertebantur. Stabant autem omnes noti ejus a longe: et mulieres, quæ secutæ eum erant a Galilæa, hæc videntes.

Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus: hic non consenserat consilio, et actibus eorum, ab Arimathæa civitate Judææ, qui expectabat et ipse regnum Dei. Hic accessit ad Pilatum: et petiit corpus Jesu: et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

HYMNUS.

Vexilla Regis prodeunt, etc. *pag.* 444.

*Ant.* Ancilla dixit Petro: Vere tu ex illis es: nam et

loquela tua manifestum te facit.

℣. Eripe me, Domine, ab homine malo.

℟. A viro iniquo eripe me.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui nostris excessibus incessanter affligimur, per unigeniti Filii tui passionem liberemur, Qui tecum.

FERIA QUINTA IN CŒNA DOMINI.

*Feria V in Cœna Domini, duæ consecrantur in Missa majores hostiæ, quarum una sumitur a sacerdote, altera vero servatur pro Missa Præsanctificatorum feriæ VI, in Parasceve, in qua Missa non fit consecratio. Hæc sacrosancta Hostia in apto quodam loco eleganter ornato deponitur, atque ad eam illuc deferendam fit processio, in qua cantatur:* Pange lingua, etc. *pag.* 110.

Evang. Joan. 13. 1, 15. *Cum dilexisset suos.*

*Ant.* Cœnantibus autem illis, accepit Jesus panem, et benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem.

Miserere mei, etc. *pag. 43, et in fine:*

ORATIO.

Respice, quæsumus, Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium, et Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit.

FERIA SEXTA IN PARASCEVE.

*In Missa Præsanctificatorum legitur vel canitur:*

PASSIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SECUNDUM JOANNEM. *Capit. 18 et 19.*

In illo tempore: Egressus est Jesus cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse, et discipuli ejus. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisæis ministros, venit illuc cum laternis et facibus et armis. Jesus itaque sciens omnia, quæ ventura erant super eum, processit, et dixit eis: Quem quæritis? Responderunt ei: Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus: Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. Ut ergo dixit eis: Ego sum: abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. Iterum

ergo interrogavit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: Jesum Nazarenum. Respondit Jesus: Dixi vobis, quia ego sum: Si ergo me quæritis, sinite hos abire. Ut impleretur sermo, quem dixit: Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum: et percussit Pontificis servum: et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. Dixit ergo Jesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum? Cohors ergo, et tribunus, et ministri Judæorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum: et adduxerunt eum ad Annam primum; erat enim socer Caiphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judæis: Quia expedit unum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici, et introivit cum Jesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici, et dixit ostiariæ: et introduxit Petrum. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria: Numquid et tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille: Non sum. Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se: erat autem cum eis et Petrus stans et calefaciens se. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis et de doctrina ejus. Respondit ei Jesus: Ego palam locutus sum mundo: ego semper docui in synagoga et in templo, quo omnes Judæi conveniunt: et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis: ecce hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes Pontifici? Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me cædis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit: Non sum. Dicit ei unus ex servis Pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam: Nonne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negavit Petrus: et sta-

tim gallus cantavit. Adducunt ergo Jesum a Caipha in prætorium. Erat autem mane. Et ipsi non introierunt in prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? Responderunt et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judæi: Nobis non licet interficere quemquam. Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. Introivit ergo iterum in prætorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es Rex Judæorum? Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: Numquid ego Judæus sum? Gens tua et Pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti? Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Judæis: nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit ad Judæos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha: vultis ergo dimittam vobis Regem Judæorum? Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. Et veniebant ad eum et dicebant: Ave, Rex Judæorum. Et dabant ei alapas. Exivit ergo iterum Pilatus foras et dicit eis: Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis, quia nullam invenio in eo causam. (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam, et purpureum vestimentum.) Et dicit eis: Ecce homo. Cum ergo vidissent eum Pontifices et ministri, clamabant, dicentes: Crucifige, crucifige eum! Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos, et crucifi-

gite: ego enim non invenio in eo causam. Responderunt ei Judæi: Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit. Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium iterum: et dixit ad Jesum: Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te? Respondit Jesus: Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Judæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem, cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem Parasceve Paschæ, hora quasi sexta, et dicit Judæis: Ecce Rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum! Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, ut crucifigeretur. Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. Et bajulans sibi crucem, exivit in eum, qui dicitur Calvariæ locum, Hebraice autem Golgotha: ubi crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc, et hinc, medium autem Jesum. Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit super crucem. Erat autem scriptum: JESUS NAZARENUS, REX JUDÆORUM. Hunc ergo titulum multi Judæorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice, Græce et Latine. Dicebant ergo Pilato Pontifices Judæorum: Noli scribere, Rex Judæorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo, cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus (et fecerunt quatuor partes: unicuique militi partem) et tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad invicem: Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut Scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, et in vestem meam miserunt sortem.

Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem juxta crucem Jesu, mater ejus, et soror matris ejus Maria Cleophæ, et Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. *(Hic genuflectitur, et pausatur aliquantulum.)* Judæi ergo (quoniam Parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura et alterius qui crucifixus est cum eo. Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut et vos credatis. Facta sunt enim hæc, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Post hæc autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathea (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judæorum), ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo, et tulit corpus Jesu. Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ et aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judæis sepelire. Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus: et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceven Judæorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

*Quando SS. Sacramentum portatur e loco, in quo pridie fuerat repositum, canitur Hymnus* VEXILLA REGÏS, etc. *pag. 444.*

*Ant.* Cum accepisset ace-

tum, dixit: Consummatum est. Et inclinato capite emisit spiritum.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Miserere mei, etc. *pag. 43. et in fine :*

ORATIO.

Respice, etc. *pag. 465.*

SABBATO SANCTO.

Evang. Matth. 28. 1, 7. *Vespere autem Sabbati.*

*Ant.* Mulieres sedentes ad monumentum lamentabantur, flentes Dominum.

℣. Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod et Deus exaltavit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

Miserere mei, etc. *pag. 43. et in fine:*

ORATIO.

Respice, etc. *pag. 465.*

DOMINICA PASCHÆ.

Evang. Marc. 16. 1, 7. *Surrexit, non est hic.*

Expurgate vetus fermentum, inquit Apostolus 1. *Cor.* 5. 7., ut sitis nova conspersio, et ambuletis *in novitate vitæ.* Offer ergo resurgenti Christo *cor novum,* quale præcipit Dominus per Ezech.: *Facite vobis cor novum. 18. 31.*

SEQUENTIA.

Victimæ Paschali laudes immolent Christiani. Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores. Mors et vita duello conflixere mirando. Dux vitæ mortuus regnat vivus. Dic nobis, Maria, quid vidisti in via? Sepulchrum Christi viventis, et gloriam vidi resurgentis. Angelicos testes, sudarium et vestes. Surrexit Christus, spes mea: præcedet vos in Galilæam. Scimus Christum surrexisse a mortuis vere: tu nobis victor Rex miserere. Amen. Alleluia.

*Ant.* Et respicientes viderunt revolutum lapidem: erat quippe magnus valde. Alleluia.

℣. Hæc dies quam fecit Dominus.

℟. Exultemus et lætemur in ea.

ORATIO.

Deus, qui hodierna die per Unigenitum tuum, æternitatis nobis aditum devicta morte reserasti: vota nostra quæ præveniendo aspiras, etiam adjuvando prosequere. Per eumdem Dominum nostrum.

FERIA II. PASCHÆ.

Evang. Lucæ 24. 13, 35. *Duo ibant in Emmaus.*

Ardebat cor horum, loquente cum illis Jesu. Utinam et cor tuum divino ejusdem verbo accendatur, eique offeras, quod hoc Evangelium tibi suggerit, *cor ardens!*

SEQUENTIA.

Victimæ Paschali laudes, etc. *pag. 470.*

*Ant.* Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes? Alleluia.

℣. Hæc dies quam fecit Dominus.

℟. Exultemus et lætemur in ea.

ORATIO.

Deus, qui solemnitate Paschali mundo remedia contulisti: populum tuum, quæsumus, cœlesti dono prosequere; ut et perfectam libertatem consequi mereatur, et ad vitam proficiat sempiternam. Per Dominum.

FERIA III. PASCHÆ.

Evang. Lucæ 24. 36, 47. *Pax vobis: obtulerunt ei partem piscis et favum mellis.*

Quandoquidem Christus adeo pacem amat, offer illi *cor pacificum,* quale omnibus precatur Apostolus: *Pax Christi exultet in cordibus vestris.* Coloss. 3. 15.

SEQUENTIA.

Victimæ, etc. *p. 470.*

*Ant.* Videte manus meas et pedes meos, quia ego ipse sum. Alleluia, alleluia.

℣. Hæc dies quam fecit Dominus.

℟. Exultemus et lætemur in ea.

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiam tuam novo semper fœtu multiplicas: concede famulis tuis; ut Sacramentum vivendo teneant, quod fide perceperunt. Per Dominum.

FERIA QUARTA.

Evang. Joan. 12. 1, 14. *Manifestavit se iterum Jesus.*

SEQUENTIA.

Victimæ, etc. *p. 470.*

*Ant.* Dixit Jesus discipulis suis: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. Ascendit autem Simon Petrus, et traxit rete in terram plenum magnis piscibus. Alleluia.

℣, Hæc dies quam fecit Dominus.

℟. Exultemus et lætemur in ea.

ORATIO.

Deus, qui nos resurre-

ctionis Dominicæ annua solemnitate lætificas: concede propitius; ut per temporalia festa quæ agimus, pervenire ad gaudia æterna mereamur. Per eumdem Dominum.

FERIA QUINTA.

Evang. Joan. 20. 11, 18. *Maria stabat ad monumentum.*

SEQUENTIA.

Victimæ, etc. *p. 470.*

*Ant.* Tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum: si tu sustulisti eum, dicito mihi. Alleluia: et ego eum tollam. Alleluia.

℣. Hæc dies quam fecit Dominus.

℟. Exultemus et lætemur in ea.

ORATIO.

Deus, qui diversitatem gentium in confessione tui nominis adunasti: da, ut renatis fonte baptismatis una sit fides mentium, et pietas actionum. Per Dominum.

FERIA SEXTA.

Evang. Matth. 28. 16, 20. *Undecim discipuli abierunt in Galilæam.*

SEQUENTIA.

Victimæ, etc. *p. 470.*

*Ant.* Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra. Alleluia.

℣. Hæc dies quam fecit Dominus.

℟. Exultemus et lætemur in ea.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale Sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contulisti: da mentibus nostris; ut quod professione celebramus, imitemur effectu Per Dominum.

SABBATO IN ALBIS.

Evang. Joan. 20. 1, 9. *Una sabbati Maria Magdalene venit mane ad monumentum.*

SEQUENTIA.

Victimæ, etc. *pag. 470.*

*Ant.* Currebant duo simul, et ille alius discipulus præcucurrit citius Petro, et venit prior ad monumentum. Alleluia.

℣. Hæc dies quam fecit Dominus.

℟. Exultemus et lætemur in ea.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui festa Paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur. Per Dominum.

DOMINICA IN ALBIS.

Evang. Joan. 20. 16, 29.

*Post dies octo iterum venit Jesus januis clausis. Thomæ incredulitas reprehenditur.*

Procide ante Jesum, manus in ejus latus cum Thoma pone: fidem profitere, et Christo offer *cor credulum*, de quo Apostolus: *Corde creditur ad justitiam*. Rom. 10. 10.

HYMNUS.

Ad regias Agni dapes
Stolis amicti candidis,
Post transitum maris rubri,
Christo canamus principi.
Divina cujus charitas
Sacrum propinat Sanguinem
Almique membra Corporis
Amor sacerdos immolat.
Sparsum cruorem postibus
Vastator horret Angelus;
Fugitque divisum mare:
Merguntur hostes fluctibus.
Jam Pascha nostrum Christus est,
Paschalis idem victima:
Et pura puris mentibus,
Sinceritatis azyma.
O vera cœli Victima,
Subjecta cui sunt Tartara,
Soluta mortis vincula,
Recepta vitæ præmia!
Victor subactis inferis
Trophæa Christus explicat,
Cœloque aperto, subditum
Regem tenebrarum trahit:
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium,
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Ant.* Post dies octo januis clausis ingressus Dominus dixit eis: Pax vobis. Alleluia, alleluia.

℣. Mane nobiscum Domine. Alleluia.

℞. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui Paschalia festa peregimus, hæc, te largiente, moribus et vita teneamus. Per Dominum.

DOMINICA II. POST PASCHA.

Evang. Joan. 10, 11, 16. *Ego sum Pastor bonus.*

Bene custoditur ovis, cujus pastor Jesus est. Nemo prædabitur, quod ipsius manibus commissum fuerit. Quin ergo cor tuum illi pascendum tradis? Offers ei *cor custoditum*, quale nobis precatur Apostolus: *Pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, custodiat corda vestra*. Phil. 4. 7.

HYMNUS.

Ad regias Agni dapes, etc. *ut supra.*

*Ant.* Ego sum Pastor bonus, qui pasco oves meas;

et pro ovibus meis pono animam meam. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui in Filii tui humilitate jacentem mundum erexisti: fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam; ut quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis. Per eumdem Dominum.

DOMINICA III. POST PASCHA.

Evang. Joann. 16. 16, 22. *Modicum et non videbitis me. Plorabitis et flebitis vos.*

Tristitia Discipulorum versa est in gaudium. Idem cum iis sperare poteris, si nunc Jesu offeras *cor tribulatum*, quale S. Pauli fuit: *Ex multa* inquit, *tribulatione et angustia cordis scripsi vobis per multas lacrymas.* 2. Cor. 2. 4.

HYMNUS.

Ad regias etc. *pag. 473.*

*Ant.* Amen dico vobis, quia plorabitis et flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos vero contristabimini; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Deus qui errantibus ut in viam possint redire justitiæ, veritatis tuæ lumen ostendis: da cunctis, qui Christiana professione censentur, et illa respuere, quæ huic inimica sunt nomini, et ea quæ sunt apta sectari. Per Dominum.

*Hodie in toto orbe catholico celebratur festum Patrocinii S. Josephi.* (PIUS IX. *10 Sept. 1847.)*

Evang. Lucæ 3. 21, 23. *Factum est autem cum baptizaretur.*

HYMNUS.

Te Joseph, etc, *ut die 19 Martii.*

*Ant.* Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce pater tuus et ego dolentes quærebamus te. Alleluia.

℣. Sub umbra illius quem desideraveram, sedi. Alleluia.

℟. Et fructus ejus dulcis gutturi meo. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentia beatum Joseph sanctissimæ Genitricis tuæ sponsum eligere dignatus es: præsta, quæsumus; ut quem protectorem veneramur in terris, intercessorem habere

mereamur in cœlis. Qui vivis.

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Evang. Joan. 6. 5, 15. *Vado ad eum, qui misit me. Quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum.*

Quo tristius cor nostrum est, hoc magis videtur Christo placere. Quamobrem discipulis suis, quorum *cor tristitia impletum* erat, promittit Paracletum, hoc est, consolatorem. Quin ergo et tu denuo tale cor Christo offers, ut eodem mereamur Paraclito repleri?

HYMNUS.

Ad regias Agni dapes, etc. *pag. 473.*

*Ant.* Vado ad eum qui misit me; sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia implevit cor vestrum. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui fidelium mentes unius efficis voluntatis: da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promittis; ut inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, ubi vera sunt gaudia. Per Dominum.

DOMINICA V. POST PASCHA

Evang. Joan. 16. 33, 30 *Quidquid petieritis Patrem.*

Quin tu nunc vota et desideria tua Christo proponis, quandoquidem hic promittit, quod ea omnia velit explere. Ne proinde formides hodie eidem Christo offerre *cor semper petens.* Audi Davidem: *Dabit tibi petitiones cordis tui.* Ps. 36. 4.

HYMNUS.

Ad regias, etc. *pag. 473.*

*Ant.* Petite, et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum; ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis et credidistis. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Deus, a quo bona cuncta procedunt: largire supplicibus tuis; ut cogitemus, te inspirante, quæ recta sunt, et te gubernante, eadem faciamus. Per Dominum nostrum.

FERIA SECUNDA IN ROGATIONIBUS.

Evang. Lucæ 11. 5, 13. *Amice, commoda mihi tres panes.*

HYMNUS.

Ad regias, etc. *pag. 473.*

*Ant.* Petite, et accipietis: quærite, et invenietis: pulsate, et aperietur vobis. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra adversa omnia tua semper protectione muniamur. Per Dominum.

FERIA TERTIA IN ROGATIONIBUS.

Evang. Lucæ 11. 5, 13. *Amice, commoda mihi tres panes.*

HYMNUS.

Ad regias, etc. *pag. 473.*

*Ant.* Exivi a Patre, et veni in mundum; iterum relinquo mundum. et vado ad Patrem. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Deus, a quo, etc. *p. 475.*

FERIA QUARTA IN ROGATIONIBUS.

Evang. Lucæ 11. 5, 13. *Amice, commoda mihi tres panes.*

HYMNUS.

Ad regias, etc. *pag. 473.*

*Ant.* Pater venit hora; clarifica Filium tuum claritate quam habui, priusquam mundus esset apud te. Alleluia.

℣. Mane nobiscum, Domine. Alleluia.

℟. Quoniam advesperascit. Alleluia.

ORATIO.

Deus a quo, etc. *p. 475.*

IN ASCENSIONE DOMINI.

Evang. Marc. 16. 14, 20. *Postquam locutus est eis, assumptus est in cælum.*

Quotidie, o anima mea, in sacrificio Missæ audis *sursum corda.* Ne proinde amplius sis gravi corde, quod terrenis rebus adhæreat; sed hodie Christo tuo offer *cor ascendens*, quale tibi vix ille beatus proponit qui *ascensiones in corde suo disposuit.* Ps. 83. 6.

HYMNUS.

Salutis humanæ sator,
Jesu, voluptas cordium,
Orbis redempti Conditor,
Et casta lux amantium.

Qua victus es clementia,
Ut nostra ferres crimina;
Mortem subires innocens,
A morte nos ut tolleres?

Perrumpis infernum chaos,

Vinctis catenas detrahis,
Victor triumpho nobili
Ad dexteram Patris sedes.
Te cogat indulgentia,
Ut damna nostra sarcias,
Tuique vultus compotes
Dites beato lumine.
Tu dux ad astra et semita,
Sis meta nostris cordibus,
Sis lacrymarum gaudium,
Sis dulce vitæ præmium.
Amen.

*Ant.* O Rex gloriæ, Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos; sed mitte promissum Patris in nos Spiritum veritatis. Alleluia.

℣. Dominus in cœlo. Alleluia.

℟. Paravit sedem suam. Alleluia.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui hodierna die Unigenitum tuum Redemptorem nostrum ad cœlos ascendisse credimus, ipsi quoque mente in cœlestibus habitemus. Per eumdem Dominum.

DOMINICA INFRA OCTAVAM ASCENSIONIS.

Evang. Joan. 15. 26, et 16. 4. *Paraclitus Spiritus veritatis testimonium perhibebit de me.... Hæc locutus sum vobis, ut eorum reminiscamini.*

Æterna salus tua inde, anima mea, pendet, ut dicta et facta Redemptoris tui Jesu Christi non obliviscaris. Vide ut *cor* semper eorum *memor* illi hodie offeras, quale olim a populo suo Dominus exegit: *Ne excidant (verba mea) de corde tuo cunctis, diebus vitæ tuæ* Deut. 4. 9.

HYMNUS.

Salutis humanæ sator, etc. *pag. 476.*

*Ant.* Hæc locutus sum vobis, ut cum venerit hora eorum, reminiscamini, quia ego dixi vobis. Alleluia.

℣. Dominus in cœlo. Alleluia.

℟. Paravit sedem suam. Alleluia.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus; fac nos tibi semper et devotam gerere voluntatem, et Majestati tuæ sincero corde servire. Per Dominum nostrum.

IN FESTO PENTECOSTES.

Evang. Joan. 14 23, 31. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit. Non turbetur cor vestrum, neque formidet.*

Evangelium hoc suggerit,

ut Christo hodie offeras *cor intrepidum*, quale Deus etiam in populo suo esse voluit. Sic enim præcepit: *Non pertimescat cor vestrum.* Deut. 20. 3. Talecor tuum faciet Spiritus sanctus; illum proinde ardenter hodie invoca.

HYMNUS.

Veni, Creator, etc. *pag. 1.*

*Ant.* Hodie completi sunt dies Pentecostes, alleluia: hodie Spiritus sanctus in igne discipulis apparuit, et tribuit eis charismatum dona: misit eos in universum mundum prædicare et testificari: qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit. Alleluia.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli. Alleluia.

℟. Magnalia Dei. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui hodierna die corda fidelium sancti Spiritus illustratione docuisti: da nobis in eodem Spiritu recta sapere, et de ejus semper consolatione gaudere. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem.

FERIA II. PENTECOSTES.

Evang. Joan. 3. 16, 21. *Sic Deus dilexit mundum.*

Utinam ex hujus divini in nos amoris incendio aliquam concipiat flammulam cor tuum, ut eidem hodie offeras *cor inflammatum*, quale Davidis, viri secundum cor Dei, fuit, qui exclamare cogitur: *Inflammatum est cor meum.* Ps. 72. 21.

HYMNUS.

Veni, Creator, etc. *pag. 1.*

*Ant.* Si quis diligit me, sermonem meum servabit: et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus. Alleluia.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli. Alleluia.

℟. Magnalia Dei. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui Apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum: concede plebi tuæ piæ petitionis effectum; ut quibus dedisti fidem, largiaris et pacem. Per Dominum. In unitate ejusdem Spiritus.

FERIA TERTIA PENTECOSTES.

Evang. Joan. 10. 1, 10. *Qui intrat per ostium, pastor est ovium.*

Tu tamquam bona ovicula gregis Christi, offer eidem *cor sequax:* ut cum Propheta Daniele omnibusque Sanctis vere possis dicere

illud: *Nunc sequimur te in toto corde.* Dan. 3. 41.

HYMNUS.

Veni, Creator, etc. *pag. 1.*

*Ant.* Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis. Alleluia.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli. Alleluia.

℟. Magnalia Dei. Alleluia.

ORATIO.

Adsit nobis, quæsumus, Domine, virtus Spiritus sancti, quæ et corda nostra clementer expurget, et ab omnibus tueatur adversis. Per Dominum. In unitate ejusdem Spiritus.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMP. POST PENTECOSTEN.

Evang. Joan. 6. 44, 52. *Ego sum panis vivus.*

HYMNUS.

Veni Creator, etc. *pag. 1.*

*Ant.* Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi: si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum; et panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Alleluia.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli. Alleluia.

℟. Magnalia Dei. Alleluia.

ORATIO.

Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paracletus, qui a te procedit, illuminet; et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem. Qui tecum vivit et regnat in unitate ejusdem Spiritus.

FERIA QUINTA.

Evang. Lucæ 9. 1, 6. *Jesus misit discipulos prædicare.*

HYMNUS.

Veni, Creator, etc. *pag.* 1

*Ant.* Spiritus, qui a Patre procedit, alleluia: ille me clarificabit. Alleluia, alleluia.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli. Alleluia.

℟. Magnalia Dei. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui hodierna, etc. *pag. 478.*

FERIA SEXTA QUATUOR TEMP. POST PENTECOSTEN.

Evang. Lucæ 5. 17, 26. *Jesus sedebat docens.*

HYMNUS.

Veni, Creator, etc. *pag. 1.*

*Ant.* Paracletus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et sug-

geret vobis omnia quæcumque dixero vobis. Alleluia.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli. Alleluia.

℟. Magnalia Dei. Alleluia.

ORATIO.

Da, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus; ut sancto Spiritu congregata, hostili nullatenus incursione turbetur. Per Dominum. In unitate ejusdem Spiritus.

SABBATO QUATUOR TEMPORUM POST PENTECOSTEN.

Evang. Lucæ 4. 38, 44. *Socrus Simonis tenebatur magnis febribus.*

HYMNUS.

Veni, Creator, etc. *pag. 1.*

*Ant.* Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per inhabitantem Spiritum ejus in nobis. Alleluia.

℣. Loquebantur variis linguis Apostoli. Alleluia.

℟. Magnalia Dei. Alleluia.

ORATIO.

Mentibus nostris, quæsumus, Domine, Spiritum sanctum benignus infunde; cujus et sapientia conditi sumus, et providentia gubernamur. Per Dominum. In unitate ejusdem.

IN FESTO SS. TRINITATIS.

Evang. Matth. 28. 18, 20. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.*

Mortuus in peccato Adæ per hoc lavacrum et invocationem SS. Trinitatis vivificatus es. Offer ergo quod ex gratia a Deo accepisti *cor vivum.* Quicumque enim id fecerint: *Vivent corda eorum in sæculum sæculi.* Ps. 21. 28.

HYMNUS.

Jam sol recedit igneus:
Tu lux perennis Unitas,
Nostris, beata Trinitas,
Infunde amorem cordibus.

Te mane laudum carmine,
Te deprecamur vespere:
Digneris, ut te supplices
Laudemus inter cœlites.

Patri simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria.
Amen.

*Ant.* Te Deum patrem ingenitem, te Filium Unigenitum, te Spiritum sanctum Paraclitum, sanctam et individuam Trinitatem, toto corde et ore confitemur, laudamus atque benedicimus: tibi gloria in sæcula.

℣. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli.

℟. Et laudabilis et gloriosus in sæcula.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne

Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, et in potentia Majestatis adorare unitatem: quæsumus, ut ejusdem fidei firmitate, ab omnibus semper muniamur adversis. Per Dominum.

*Eodem die fit commemoratio primæ Dominicæ post Pentecosten.*

*Ant.* Nolite judicare, ut non judicemini: in quo enim judicio judicaveritis, judicabimini, dicit Dominus.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, in te sperantium fortitudo, adesto propitius invocationibus nostris: et quia sine te nihil potest mortalis infirmitas, præsta auxilium gratiæ tuæ; ut in exequendis mandatis tuis et voluntate tibi et actione placeamus. Per Dominum.

IN FESTO CORPORIS CHRISTI.

Evang. Joan. 6. 56, 59. *Caro mea vere est cibus.*

Sæpe quereris, cor tuum deficere, et quasi exarescere. En cibum, quo confortetur. Ad hunc accede, et Christo in eo præsenti offer *cor aridum;* demisseque cum Davide confitere: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Ps. 101. 3.

HYMNUS.

Pange lingua, etc. *p. 110.*

*Ant.* O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, et futuræ gloriæ nobis pignus datur. Alleluia.

℣. Panem de cœlo præstitisti eis. Alleluia.

℟. Omne delectamentum in se habentem. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ memoriam reliquisti: tribue, quæsumus, ita nos Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria venerari; ut Redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentiamus. Qui vivis et regnas.

IN FESTO SS. CORDIS JESU.

*Ubique fere hoc festum celebratur, alibi feria sexta post Octavam Corporis Christi, alibi vero Dominica post eamdem Octavam.*

Evang. Joan. 19. 31, 35. *Judæi (quoniam Parasceve erat) ut non remanerent,* etc.

HYMNUS.

Auctor beate sæculi,

Christe Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo.
Amor coegit te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut novus Adam redderes
Quod vetus ille abstulerat.
Ille amor almus artifex
Terræ marisque, et siderum,
Errata patrum miserans,
Et nostra rumpens vincula.
Non corde discedat tuo
Vis illa amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.
Percussum ad hoc est lancea,
Passumque ad hoc est vulnera:
Ut nos lavaret sordibus,
Unda fluente et sanguine.
Decus Parenti, et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria
Regnumque in omne est sæculum. Amen.

*Ant.* Improperium expectavit cor meum, et miseriam; et sustinui, qui simul contristaretur, et non fuit: et qui consolaretur, et non inveni.

℣. Ignem veni mittere in terram.

℟. Et quid volo, nisi ut accendatur?

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus; ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, præcipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur, et fructu. Per eumdem Dominum.

DOMINICA INFRA OCTAVAM CORPORIS CHRISTI.

Evang. Lucæ 14. 16, 24. *De cœna magna.*

Exclusi sunt in perpetuum hac cœna magna, quotquot se excusarunt. Tu te ad omnia semper promptum vocanti Christo Filio siste, eique offer *cor paratum* et dic cum Davide: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum.* Ps. 107.

HYMNUS.

Pange lingua, etc. *p. 110.*

*Ant.* Exi cito in plateas et vicos civitatis et pauperes ac debiles, cæcos et claudos compelle intrare, ut impleatur domus mea. Alleluia.

℣. Cibavit illos ex adipe frumenti. Alleluia.

℟. Et de petra melle saturavit eos. Alleluia.

ORATIO.

Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter et amorem fac nos habere perpetuum: quia numquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis. Per Dominum.

DOMINICA III. POST PENT.

Evang. Lucæ 15. 1, 10. *De ove perdita et drachma.*

Ne sinas cor tuum ita evagari, ut de te videatur dici illud Osee 7. 11. Factus est Ephraim quasi columba seducta *non habens cor:* offer hodie Christo *cor servatum,* juxta præceptum Salomonis: *Omni custodia serva cor tuum.* Prov. 4. 23.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p.430.*

*Ant.* Quæ mulier habens drachmas decem, et si perdiderit drachmam unam, nonne accendit lucernam, et everrit domum, et quærit diligenter, donec inveniat.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum; multiplica super nos misericordiam tuam, ut te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna. Per Dominum.

DOMINICA IV. POST PENT.

Evang. Lucæ 5. 1, 11. *Jesus docet ex naviculo. In nomine tuo laxabo rete.*

Quam felici eventu Petrus seposita fiducia propriarum virium, quibus innitebatur, Christi verbis confidit, et in ejus nomine laxavit rete! Hunc tu in omnibus actionibus tuis imitare, Christoque hodie offer *cor* in eo *fiduciam habens.* Cujus insigne prototypon tibi casta exhibet Susanna, de qua: *Erat cor ejus fiduciam habens in Domino.* Daniel 13. 35.

HYMNUS.

Lucis Creator. etc. *p. 430.*

*Ant.* Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus; in verbo autem tuo laxabo rete.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine, ut et mundi cursus pacifice nobis tuo ordine dirigatur: et Ecclesia tua tranquilla devotione lætetur. Per Dominum.

DOMINICA V. POST PENT.

Evang. Matt. 5. 20, 24. *De justitia Pharisæorum..., Vade prius reconciliari fratri tuo.*

Adeo Christus nos omnes charitatis vinculo vult esse conjunctos, ut sine eo nul-

lum ipsi munus gratum esse possit. Utinam *cor charitate plenum* hodie Christo offeras, et in te ostendas, *quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris.* Rom. 5. 5.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Si offers munus tuum ad altare, et recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo: et tunc veniens offeres munus tuum. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, qui diligentibus te bona invisibilia præparasti: infunde cordibus nostris tui amoris affectum; ut te in omnibus et super omnia diligentes, promissiones tuas, quæ omne desiderium superant, consequamur. Per Dominum.

DOMINICA VI. POST PENT.

Evang. Marc. 8. 1, 9. *Jesus 7 panibus cibat 4000.*

Facile in hac vita *tabescit omne cor, et dissolvuntur universæ manus,* prout lamentatur. *Ezech. 21. 7.* Tuum *cor tabescens* offer hodie Christo; et ora, ut illud septem cœlestibus panibus, h. e. septem donis sancti Spiritus reficiat, et in gratia confirmet.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Misereor super turbam: quia ecce jam triduo sustinent me, nec habent quod manducent, et si dimisero eos jejunos, deficient in via. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus virtutum, cujus est totum quod est optimum, insere pectoribus nostris amorem tui nominis, et præsta in nobis religionis augmentum: ut quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias. Per Dominum.

DOMINICA VII. POST PENT.

Evang. Matth. 7. 15, 21. *Attendite a falsis Prophetis.*

Caute in omnibus procedendum est, quandoquidem sub vestimentis ovium latent falsi Prophetæ, et Satan non raro se transformat in Angelum lucis. Hæc prudenter expende, et hodie *cor cautum* offer. Ita enim Dominus præcepit: *Cavete,*

*ne forte decipiatur cor vestrum.* Deut 11. 16.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Non potest arbor bona fructus malos facere, nec arbor mala fructus bonos facere: omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, cujus providentia in sui dispositione non fallitur: te supplices exoramus, ut noxia cuncta submoveas, et omnia nobis profutura concedas. Per Dominum.

DOMINICA VIII. POST PENT.

Evang. Lucæ 16. 1, 9. *De villico diffamato.*

Hujus prudentia in rationibus instituendis commendatur. Tu quoque prudenter res tuas institue, ut in reddendis Deo rationibus subsistas. *Cor prudens* in illum finem a Christo pete, illudque eidem offer. *Cor prudens possidebit scientiam.* Prov. 18. 25.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p.430.*

*Ant.* Quid faciam, quia dominus meus aufert a me villicationem? Fodere non valeo, mendicare erubesco: scio quid faciam, ut, cum amotus fuero a villicatione, recipiant me in domos suas.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Largire nobis, quæsumus, Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt, propitius et agendi: ut qui sine te esse non possumus, secundum te vivere valeamus. Per Dominum.

DOMINICA IX. POST PENT.

Evang. Lucæ 16. 41, 46. *Videns civitatem flevit.*

Jesus non tantum hujus urbis mala, sed et tua peccata deflet. Quod si autem juxta Apostoli monitum flendum nobis est cum flentibus, id profecto hodie faciendum est. Offer ergo Christo *cor gemens,* et Davidem pœnitentem imitare, qui de se dicit: *Rugiebam a gemitu cordis mei.* Ps. 37. 9.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Scriptum est enim: Quia domus mea domus orationis est cunctis gentibus; vos autem fecistis illam spe-

luncam latronum: et erat quotidie docens in templo.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Pateant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium: et ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita postulare. Per Dominum.

DOMINICA X. POST PENT.

Evang. Lucæ 8. 9, 14. *De Pharisæo et Publicano.*

Utinam omnes hujus Publicani pœnitentiam imitentur, et *cor pœnitens* tecum hodie Christo offerant, de quo ita Salomon: *Quod si egerint pœnitentiam in toto corde suo, propitiaberis populo tuo, qui peccavit tibi.* 3. Reg. 8. 47.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p.430.*

*Ant.* Descendit hic justificatus in domum suam ab illo. Quia omnis, qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maxime et miserando manifestas: multiplica super nos misericordiam tuam: ut ad tua promissa currentes, cœlestium bonorum facias esse consortes. Per Dominum.

DOMINICA XI. POST PENT.

Evang. Matth. 7. 31, 37. *De surdo et muto.*

Christi bonitas et potentia hominem hunc a miseria sua liberavit. Quoties et tu ad salutares admonitiones surdus, in divinis laudibus mutus es! Remedium apud Christum quære, qui sanat omnes infirmitates tuas; illique offer *cor audiens et loquens.* Primum exigit Siracides: *In verbis meis attende in corde tuo.* Eccli. 16. 25. Alterum tibi in Anna matre Samuelis proponitur, *quæ loquebatur in corde suo.* 1. Reg. 1.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p.430.*

*Ant.* Bene omnia fecit, et surdos fecit audire, et mutos loqui.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pieta-

tis tuæ et merita supplicum excedis et vota: effunde super nos misericordiam tuam; ut dimittas quæ conscientia metuit, et adjicias quod oratio non præsumit. Per Dominum nostrum.

DOMINICA XIII. POST PENT.

Evang. Lucæ 10. 23, 37. *De homine, qui incidit in latrones.*

Samaritanus afflicti hominis misertus est, vulneribus medicinam adhibuit, et in hospitium duxit. Utinam tu hujus exemplo offeras hodie *cor liquescens* ex commiseratione similium hominum, et vere cum Davide dicas: *Factum est cor meum tamquam cera liquescens*. Ps. 21. 15.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, qui etiam despoliaverunt eum, et plagis impositis abierunt, semivivo relicto.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, de cujus munere venit, ut tibi a fidelibus tuis digne et laudabiliter serviatur: tribue, quæsumus, nobis; ut ad promissiones tuas sine offensione curramus. Per Dominum.

DOMINICA XIII. POST PENT.

Evang. Lucæ 17. 11, 19. *De decem leprosis.*

Quoties et te Christus a lepra animæ tuæ per Sacramentum Pœnitentiæ mundat? Nonne ergo æquum est, ut illi hodie *cor gratum* offeras, quod Dei beneficia cum gaudio semper prædicat juxta præceptum Apostoli: *Cantantes et psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper.* Eph. 5. 19.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Unus autem ex illis, ut vidit quod mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, da nobis fidei, spei et charitatis augmentum; et ut mereamur assequi quod promittis, fac nos amare

quod præcipis. Per Dominum.

DOMINICA XIV. POST PENT.

Evang. Matth. 6. 24, 33. *Nemo potest duobus dominis servire.*

Veluti cor duplex, quo quis duobus dominis servire studet, Dominus detestatur, ita corde simplice, quo illi soli adhæremus, nihil habet gratius. Offer proinde hodie *cor simplex* de quo sic David: *Scio, Deus meus, quod probes corda, et simplicitatem diligas: unde et ego in simplicitate cordis mei lætus obtuli universa hæc.* 2. Paral. 29. 17.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p.430.*

*Ant.* Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Custodi, Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua: et quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis et abstrahatur a noxiis, et ad salutaria dirigatur. Per Dominum nostrum.

FERIA QUARTA QUATUOR TEMP. SEPTEMBRIS.

Evang. Marc. 9. 16, 28. *De Filio habente spiritum mutum.*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p.430.*

*Ant.* Hoc genus dæmoniorum in nullo potest exire, nisi in oratione et jejunio.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Misericordiæ tuæ remediis, quæsumus, Domine, fragilitas nostra subsistat; ut quæ sua conditione atteritur, tua clementia reparetur. Per Dominum.

FERIA SEXTA QUATUOR TEMP. SEPTEMBRIS.

Evang. Lucæ 7. 36, 50. *Et ingressus domum Pharisæi.*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Mulier quæ erat in civitate peccatrix, stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat, et osculabatur pedes ejus, et unguento ungebat.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut observationes sacras annua devotione recolentes, et corpore tibi placeamus, et mente. Per Dominum nostrum Jesum Christum.

SABBATO QUATUOR TEMP. SEPTEMBRIS.

Evang. Lucæ 13. 6, 17. *Arborem fici habebat quidam.*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Illuminare, Domine, his qui in tenebris sedent, et dirige pedes nostros in viam pacis, Deus Israel.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui per continentiam salutarem corporibus mederis et mentibus: Majestatem tuam supplices exoramus; ut pia jejunantium deprecatione placatus, et præsentia nobis subsidia tribuas, et futura. Per Dominum.

DOMINICA XV. POST PENT.

Evang. Lucæ 7. 11, 16. *De Vidua Naim.*

Quam tenere miseris et afflictis omnibus Christus compatiatur, quamque impenso affectu eos consoletur, non modo ex hoc Evangelio, verum ex multis aliis Scripturæ locis patet. Gratum quoque illi erit, si et tu ipse *cor consolans* afflictos offeras; agasque, ut vere dicas cum Jobo: *Cor viduæ consolatus sum.* Job. 29. 33.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Propheta magnus surrexit in nobis, et quia Deus visitavit plebem suam.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet et muniat: et quia sine te non potest salva consistere, tuo semper munere gubernetur. Per Dominum.

DOMINICA XVI. POST PENT.

Evang. Lucæ 14. 1, 11. *Ipsi observabant eum. Curatur hydropicus. Qui se exaltat, humiliabitur.*

Quanto melius est, se di-

mittere ad infima quæque, quam tanto damno se extollere! Si te vis a Deo aliquando exaltari, nunc illi *cor depressum* offer, quod suadet Siracides: *Deprime cor tuum, et sustine.* Eccl. 2.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *pag.* 430.

*Ant.* Cum vocatus fueris ad nuptias, recumbe in novissimo loco, ut dicat tibi qui te invitavit: Amice, ascende superius: et erit tibi gloria coram simul discumbentibus. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℞. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Tua nos, quæsumus, Domine, gratia semper et præveniat et sequatur: ac bonis operibus jugiter præstet esse intentos. Per Dominum.

DOMINICA XVII. POST PENT.

Evang. Matth. 22. 35, 45. *Mandatum magnum diliges.*

Mandatum magnum videtur exigere *cor magnum*, quo diligatur Deus et proximus, quod tibi cum aliis Scriptura precatur: *Benefaciat vobis Deus, ut colatis eum, et faciatis ejus voluntatem corde magno.* 2. Mach. 1. 1. Hoc vero *cor magnum*, non divisum, sed *totum* offer; mandatum enim magnum est: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.*

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *pag.* 34.

*Ant.* Quid vobis videtur de Christo? cujus Filius est? Dicunt ei omnes, David. Dicit eis Jesus: Quomodo David in Spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℞. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Da, quæsumus, Domine, populo tuo diabolica vitare contagia, et te solum Deum pura mente sectari. Per Dominum.

DOMINICA XVIII. POST PENT.

Evang. Matth. 9. 1, 8. *De paralytico: confide, fili.*

Anxius erat hic paralyticus, ne peccata, quorum sibi conscius erat, obstarent, quominus sanitatem obtineret: cui angori Christus prævenit his verbis: Remittuntur tibi peccata tua. Utinam et tu eadem a

Christo audias! Offer in hunc finem illi tuum *cor anxium;* et hic cum Davide: *Ad te clamavi dum anxiaretur cor meum.* Ps. 60. 2.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *pag. 430.*

*Ant.* Tulit ergo paralyticus lectum suum, in quo jacebat, magnificans Deum: et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Dirigat corda nostra, quæsumus, Domine, tuæ miserationis operatio: quæ tibi sine te placere non possumus. Per Dominum nostrum.

DOMINICA XIX. POST PENT.

Evang. Matth. 22. 2, 14. *De veste nuptiali.*

Dum tu, o anima mea, ad nuptias Domini tui invitaris, vide ne sordido habitu compareas: munda et exorna in illum finem cor tuum, ut illi *splendidum et bonum cor* offeras, de quo dici possit illud: Ecce ibi *splendidum cor, et bonum in epulis.* Eccli. 30.27.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *pag. 430.*

*Ant.* Intravit autem Rex, ut videret discumbentes: et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, et ait illi: Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, universa nobis adversantia propitiatus exclude: ut mente et corpore pariter expediti, quæ tua sunt, liberis mentibus exequamur. Per Dominum nostrum.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Evang. Joan. 4. 47, 53. *Reguli filius infirmabatur.*

Amaro, procul dubio, fuit corde hic Regulus, filio in agone constituto: non videtur cor tale displicuisse Christo. Exaudivit enim illico et exhilaravit rogantem. Tu quoque illi offer *cor amarum.* Nam *cor, quod novit amaritudinem animæ suæ, in gaudio ejus non miscebitur extraneus.* Prov. 14. 10.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc, *pag. 430.*

*Ant.* Cognovit autem pater, quia illa hora erat, in qua dixit Jesus: Filius tuus vivit: et credidit ipse, et domus ejus tota.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Largire, quæsumus, Domine, fidelibus tuis indulgentiam placatus et pacem: ut pariter ab omnibus mundentur offensis, et secura tibi mente deserviant. Per Dominum.

DOMINICA XXI. POST PENT.

Evang. Marc. 18, 23, 35. *Rex rationem ponit cum servis: unus illi debebat decem millia talenta.*

Quandoquidem demisse instabat hic servus 10000 talentorum debitor, remittuntur illi omnia debita: quia vero conservo humiliter petenti centum denariorum debitum remittere noluit, in carcerem conjicitur, et ad exactam solutionem adigitur. Tu proinde *cor remittens* omnium injuriarum hodie offer; Christi enim verba sunt in hoc Evang.: *Sic Pater meus cœlestis faciet vobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus vestris.*

HYMNES.

Lucis Creator, etc. *pag. 430.*

*Ant.* Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quoniam rogasti me; nonne ergo oportuit et te misereri conservi tui, sicut et ego tui misertus sum? Alleluia.

℟. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Familiam tuam, quæsumus, Domine, continua pietate custodi, ut a cunctis adversitatibus te protegente sit libera, et in bonis actibus tuo nomini sit devota. Per Dominum.

DOMINICA XXII. POST PENT.

Evang. Matth. 22. 15, 21. *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari.*

Falso et doloso corde Pharisæi ista Christo verba dixerunt: *Magister, scimus quia verax es.* Tu vero, o anima mea, omnem dolum et falsitatem amove: et Jesu æternæ veritati offer *cor verum:* vult enim Apostolus, ut Christum *accedamus cum*

*vero corde in plenitudine fidei.* Hebr. 10, 22.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *pag. 430.*

*Ant.* Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: et quæ sunt Dei, Deo. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Deus, refugium nostrum et virtus: adesto piis Ecclesiæ tuæ precibus, auctor ipse pietatis, et præsta; ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Dominum nostrum.

DOMINICA XXIII. POST PENT.

Evang. Matth. 9. 18, 26. *Filia principis Synagogæ resuscitatur, et sistitur fluxus sanguinis mulieris.*

Quam subito speciosa illa principis Synagogæ filia funus facta est! ne crede juvenili ætati, et fallaci formæ. Potius *cor cinereum* Christo offer: tale enim est cor uniuscujusque hominis, teste Salomone: *Cinis est,* inquit, *cor ejus, et terra supervacua spes illius, et luto vilior, vita ejus.* Sap, 15. 10.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* At Jesus conversus, et videns eam dixit: Confide, filia, fides tua te salvam fecit. Alleluia.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Absolve, quæsumus, Domine, tuorum delicta populorum: ut a peccatorum nostrorum nexibus, quæ pro nostra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur. Per Dominum.

N. B. *Si in aliquo anno tantum essent* Dominicæ XXIII post Pentecosten, *tunc hujus loco ponitur* Dominica XXIV, *quæ semper est ultima post Pentecosten, juxta Ritum Romanum. Quod si essent post Pentecosten* Dominicæ XXV, *una* Dominica, *videlicet* VI post Epiphaniam, *hic inseritur, ita ut sequens* Dominica XXIV *fiat* XXV. *Si essent post Pentecosten* Dominicæ XXVI, *inseruntur hic* Dominicæ V et VI post Epiphaniam. *Si essent post Pentecosten* Dominicæ XXVII, *tres hic inseruntur* Dominicæ post Epiphaniam, *videlicet* IV, V et VI. *Si denique essent post Pentec.* Dominicæ XXVIII, *inseruntur hic* Dominicæ III, IV, V et VI post Epiphaniam.

DOMINICA XXIV. POST PENT.

Evang. Matth. 24. 15, 18. *Cum videritis abominationem.*

Ne expavescas, o anima mea: mature pœnitentiam age. Est enim suavis Dominus universis: et miserationes ejus super omnia opera ejus. Non cupit merita sua Christus in ullis peccatoribus esse frustranea. *Dabis eis,* o Christe Jesu, *scutum cordis laborem tuum,* inquit Jeremias *Thren.* 3. 65. Insuper Sanguinem tuum iis redimendis dedisti. Hoc scuto *cor protectum* hodie eidem Redemptori tuo offer, et eris in die illa tremenda securus.

HYMNUS.

Lucis Creator, etc. *p. 430.*

*Ant.* Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant; cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt, dicit Dominus.

℣. Dirigatur, Domine, oratio mea.

℟. Sicut incensum in conspectu tuo.

ORATIO.

Excita, quæsumus, Domine, tuorum fidelium voluntates; ut divini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia majora percipiant. Per Dominum nostrum.

# XXXVII.

# MODUS COLENDI

## CELEBRIORUM SANCTORUM FESTA.

*Inter celebriores Sanctos ii sane habendi sunt, quorum in Officiis suis ipsa meminit Ecclesia, in promptu autem est, eorum festa precibus publicis optime coli, quales sunt illi hymni et versiculi, illæ antiphonæ et orationes, quibus eadem illa Ecclesia utitur. Quare non mirum videatur, quod ad Sanctos rite honorandos, ipsius Officii publici pars maxime usitata cæteris omnibus pietatis exercitiis præferatur.*

—

### PRIMA DIE LIBERA POST 4 JANUARII.

IN FESTO S. TITI EPISCOPI CONFESSORIS.

Evang. Lucæ 10. 1. 9. *Designavit Dominus.*

HYMNUS.

Iste confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Amavit eum Dominus et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, et ad portas paradisi coronavit eum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℞. Et ostendit illi regnum Dei.

ORATIO.

Deus qui beatum Titum, Confessorem tuum atque Pontificem, apostolicis virtutibus decorasti: ejus meritis et intercessione concede; ut juste et pie viventes in hoc sæculo, ad cœlestem patriam pervenire mereamur. Per Dominum.

### DIE 5 JANUARII.

IN VIGILIA EPIPHANIÆ FIT COMM. S. TELESPHORI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus pro lege Dei sui certavit usque ad mortem, et a verbis impiorum non timuit: fundatus enim erat supra firmam petram.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

℞. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *p. 261.*

DOM. II POST EPIPH.

FESTUM SS. NOMINIS JESU.

Evang. Lucæ 2. 21. *Postquam consummati sunt.*

HYMNUS.

Jesu dulcis memoria,
Dans vera cordi gaudia:
Sed super mel et omnia,
Ejus dulcis præsentia.
Nil canitur suavius,
Nil auditur jucundius,
Nil cogitatur dulcius,
Quam Jesus Dei Filius.
Jesu spes pœnitentibus,
Quam pius es petentibus!
Quam bonus te quærentibus!
Sed quid invenientibus?
Nec lingua valet dicere,
Nec littera exprimere:
Expertus potest credere,
Quid sit Jesum diligere.
Sis, Jesu, nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria
Per cuncta semper sæcula. Amen.

*Ant.* Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Alleluia.

℣. Sit nomen Domini benedictum. Alleluia.

℟. Ex hoc nunc et usque in sæculum. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui unigenitum Filium tuum constituisti humani generis Salvatorem, et JESUM vocari jussisti: concede propitius; ut cujus sanctum Nomen veneramur in terris, ejus quoque aspectu perfruamur in cœlis. Per eumdem Dominum.

## DIE 11 JANUARII.

COMM. S. HYGINI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus, *p. 495.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

## DIE 14 JANUARII.

IN FESTO S. HILARII EPISC. CONF. ET ECCL. DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 19. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor Domini, colentes
Quem pie laudant populi per orbem,
Hac die lætus meruit beatas
Scandere sedes.
*Si non est dies obitus:*
Hac die lætus meruit supremos
Laudis honores.
Qui pius, prudens, humilis, pudicus

Sobriam duxit sine labe vitam,
Donec humanos animavit auræ
Spiritus artus.
Cujus ob præstans meritum frequenter,
Ægra quæ passim jacuere membra,
Viribus morbi domitis, saluti
Restituuntur.
Noster hinc illi chorus obsequentem
Concinit laudem, celebresque palmas;
Ut piis ejus precibus juvemur
Omne per ævum.
Sit salus illi, decus atque virtus,
Qui super cœli solio coruscans,
Totius mundi seriem gubernat,
Trinus et unus. Amen.

*Ant.* O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Hilari, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℣. Elegit eum Dominus sacerdotem sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

ORATIO.

Deus qui populo, etc. *p. 262.*

PRO COMM. S. FELICIS.

*Ant.* Iste Sanctus, *Vers. et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut ad meliorem vitam Sanctorum tuorum exempla nos provocent; quatenus quorum solemnia agimus etiam actus imitemur. Per Dominum.

## DIE 15 JANUARII.

### IN FESTO S. PAULI, PRIMI EREMITÆ.

Evang. Matth. 11. 25, 30. *Confitebor tibi, Pater.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir despiciens mundum, et terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

ORATIO.

Deus, qui nos, etc. *p. 262.*

PRO COMM. S. MAURI, ABBATIS.

*Ant.* Similabo eum viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

ORATIO.

Intercessio nos, quæsumus, etc. *pag. 262.*

## DIE 16 JANUARII.

IN FESTO S. MARCELLI, PAPÆ ET MART.

Evang. Matth. 16. 24, 25. *Si quis vult post me venire.*

HYMNUS.

Deus, tuorum militum
Sors et corona, præmium,
Laudes canentes Martyris
Absolve nexu criminis.
Hic nempe mundi gaudia,
Et blanda fraudum pabula
Imbuta felle deputans,
Pervenit ad cœlestia.
Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,
Fundensque pro te sanguinem,
Æterna dona possidet.
Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime:
In hoc triumpho Martyris
Dimitte noxam servulis.
Laus et perennis gloria
Patri sit, atque Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Ant.* Qui vult venire post me, abneget semetipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

ORATIO.

Preces populi tui, quæsumus, Domine, clementer exaudi: ut beati Marcelli, Martyris tui atque Pontificis, meritis adjuvemur, cujus passione lætamur. Per Dominum.

## DIE 17. JANUARII.

IN FESTO S. ANTONII, ABBATIS.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor Domini, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Similabo. *Vers. et Resp.* *pag. 497.*

ORATIO.

Intercessio nos, *p. 262.*

## DIE 18 JANUARII.

IN FESTO CATH. S. PETRI, QUA ROMÆ PRIMUM SEDIT.

Evang. Matth. 16. 23, 19. *Venit Jesus in partes Cæsareæ.*

HYMNUS.

Quodcumque in orbe nexibus revinxeris,
Erit revinctum, Petre, in arce siderum;
Et quod resolvit hic potestas tradita,
Erit solutum cœli in alto vertice:
In fine mundi judicabis sæculum.
Patri perenne sit per ævum gloria,

Tibique laudes concinamus
inclytas,
Æterne nate; sit, superne
Spiritus,
Honor tibi decusque; sancta
jugiter
Laudetur omne Trinitas per
sæculum. Amen.

*Ant.* Dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

℣. Elegit te Dominus sacerdotem sibi.

℟. Ad sacrificandum ei hostiam laudis.

ORATIO.

Deus, qui beato Petro apostolo tuo, collatis clavibus Regni cœlestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti; concede, ut intercessionis ejus auxilio a peccatorum nostrorum nexibus liberemur. Qui vivis.

EODEM DIE FIT COMM. S. PAULI.

*Ant.* Sancte Paule apostole, prædicator veritatis et doctor gentium: intercede pro nobis ad Deum, qui te elegit.

℣. Tu es vas electionis, Sancte Paule apostole.

℟. Prædicator veritatis in universo mundo.

ORATIO.

Deus, qui multitudinem gentium beati Pauli apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus, ut cujus commemorationem colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

POSTEA FIT COMM. S. PRISCÆ, VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

℣. Specie tua et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede, et regna.

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus; ut qui beatæ Priscæ, virginis et martyris tuæ, natalitia colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per Dominum.

## DIE 19 JANUARII.

IN FESTO S. CANUTI, DANIÆ REG. ET MART.

Evang. Matth. 16. 24, 27.
*Si quis vult post me venire.*

HYMNUS.

Deus, tuorum militum, etc. *pag. 498.*

*Ant. Vers. et Resp. p. 498.*

ORATIO.

Deus, qui, ad illustrandam Ecclesiam tuam, beatum Canutum martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es: concede

propitius; ut sicut ipse Dominicæ passionis imitator fuit, ita nos per ejus vestigia gradientes, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. MARII, MARTHÆ, AUDIFACIS ET ABACHUM, MART.

*Ant.* Istorum est enim regnum cœlorum, qui contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia Regni et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Lætamini in Domino, et exultate, justi.

℟. Et gloriamini, omnes recti corde.

ORATIO.

Exaudi, Domine, populum tuum, cum Sanctorum tuorum patrocinio supplicantem; ut et temporalis vitæ nos tribuas pace gaudere, et æternæ reperire subsidium. Per Dominum.

## DIE 20 JANUARII.

IN FESTO SS. MART. FABIANI ET SEBASTIANI.

Evang. Lucæ 6. 17, 23. *Descendens Jesus de monte.*

HYMNUS.

Sanctorum meritis inclyta gaudia
Pangamus socii, gestaque fortia:
Gliscens fert animus promere cantibus
Victorum genus optimum.

Hi sunt, quos fatue mundus adhorruit:
Hunc fructu vacuum, floribus aridum,
Contempsere tui nominis asseclæ,
Jesu, Rex bone Cœlitum.

Hi pro te furias atque minas truces
Calcarunt hominum sævaque verbera;
His cessit lacerans fortiter ungula,
Nec carpsit penetralia.

Cæduntur gladiis more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia:
Sed corde impavido mens bene conscia
Conservat patientiam.

Quæ vox, quæ poterit lingua retexere,
Quæ tu Martyribus munera præparas?
Rubri nam fluido sanguine fulgidis
Cingunt tempora laureis.

Te, summa o Deitas, unaque poscimus,
Ut culpas abigas, noxia subtrahas,
Des pacem famulis, ut tibi gloriam
Annorum in seriem canant.
Amen.

*Ant.* Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo exultant sine fine.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

ORATIO.

Infirmitatem nostram respice, omnipotens Deus: et quia pondus propriæ actionis gravat, beatorum martyrum tuorum Fabiani et Sebastiani intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

## DIE 21 JANUARII.

### IN FESTO S. AGNETIS, VIRG. ET MART.

Evang. Matt. 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum decem Virginibus.*

HYMNUS.

Jesu, corona Virginum,
Quem Mater illa concipit,
Quæ sola Virgo parturit:
Hæc vota clemens accipe.

Qui pergis inter lilia,
Septus choreis Virginum,
Sponsus decorus gloria,
Sponsisque reddens præmia.

Quocumque tendis, Virgines
Sequuntur, atque laudibus
Post te canentes cursitant,
Hymnosque dulces personant.

Te deprecamur supplices,
Nostris ut addas sensibus,
Nescire prorsus omnia
Corruptionis vulnera.

Virtus, honor, laus, gloria,
Deo Patri cum Filio,
Sancto simul Paraclito,
In sæculorum sæcula.
Amen.

*Ant.* Stans beata Agnes in medio flammæ, expansis manibus orabat ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende, benedico te, et glorifico nomen tuum in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

ORATIO

Omnipotens sempiterne Deus, qui infirma mundi eligis, ut fortia quæque confundas: concede propitius; ut qui beatæ Agnetis virginis et martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum.

## DIE 22 JANUARII.

### IN FESTO SS. VINCENTII ET ANASTASII, MART.

Evang. Lucæ 21. 9, 19. *Cum audieritis prælia.*

HYMNUS.

Sanctorum meritis inclyta, etc. *pag. 500.*

*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. p. 501.*

ORATIO.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beatorum martyrum tuorum Vincentii et Anastasii intercessione liberemur. Per Dominum.

## DIE 23 JANUARII.

IN FESTO S. RAYMUNDI DE PENNAFORT, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

*Ant.*Hic vir. *Vers.et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Raymundum pœnitentiæ Sacramenti insignem ministrum elegisti, et per maris undas mirabiliter traduxisti: concede, ut ejus intercessione dignos pœnitentiæ fructus facere, et ad æternæ salutis portum pervenire valeamus. Per Dominum.

*In multis regionibus hodie celebratur festum Desponsationis B. M. V. Festum vero S. Raymundi de Pennafort transfertur in aliam diem.*

IN FESTO DESPONSAT, B. V. MARIÆ CUM S. JOSEPH.

Evang. Matth. 1. 18, 21. *Cum esset desponsata.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant.* Desponsatio tua, Dei genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem, et confundens mortem donavit nobis vitam sempiternam.

℣. Desponsatio est hodie sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

ORATIO.

Famulis tuis, quæsumus, Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus exstitit salutis exordium, Desponsationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

EODEM DIE FIT ETIAM COMM. S. EMERENTIANÆ, VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. pag. 499.*

ORATIO.

Indulgentiam nobis, quæ-

sumus, Domine, beata Emerentiana virgo et martyr imploret: quæ tibi grata semper exstitit et merito castitatis, et tuæ professione virtutis. Per Dominum.

## DIE 24 JANUARII.

### IN FESTO S. TIMOTHEI, EPISC. ET MART.

Evang. Lucæ 14. 26, 33. *Si quis venit ad me.*

### HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*
*Ant.* Qui vult. *Vers. et Resp. pag. 498.*

### ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

## DIE 25 JANUARII.

### IN FESTO CONVERS. S. PAULI.

Contigit ea anno secundo post Christi mortem, quando Damascum ipse tendebat ad delendos Christianos. *Act. 9.*
Evang. Matth. 19. 27, 29. *Ecce nos reliquimus omnia.*

### HYMNUS.

Egregie doctor Paule, mores instrue,
Et nostra tecum pectora in cœlum trahe:
Velata dum meridiem cernat fides,
Et solis instar sola regnet charitas.
Sit Trinitati sempiterna gloria.
Honor, potestas atque jubil[illegible],
In unitate quæ gubernat omnia,
Per universa æternitatis sæcula. Amen.

*Ant.* Sancte Paule. *Vers. et Resp. pag. 499.*

### ORATIO.

Deus, qui universum mundum beati Pauli apostoli prædicatione docuisti: da nobis, quæsumus; ut qui ejus hodie conversionem colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

### EODEM DIE FIT COMM. S. PETRI.

*Ant.* Tu es Pastor ovium, princeps apostolorum, tibi traditæ sunt claves regni cœlorum.
℣. Tu es Petrus.
℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

### ORATIO.

Deus, qui beato Petro, etc. *pag. 499.*

## DIE 26 JANUARII.

### IN FESTO S. POLICARPI, EPISC. ET MART.

Evang. Matth. 10. 26, 32. *Nihil est opertum.*

### HYMNUS.

Deus, tuorum militum, etc. *pag. 498.*

*Ant. Vers. et Resp. p. 498.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

## DIE 27 JANUARII.

### IN FESTO S. JOANNIS CHRYSOST., EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Joannes, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

ORATIO.

Ecclesiam tuam, quæsumus, Domine, gratia cœlestis amplificet: quam beati Joannis, confessoris tui atque Pontificis, illustrare voluisti gloriosis meritis et doctrinis. Per Dominum.

## DIE 28 JANUARII.

### IN FESTO S. AGNETIS SECUNDO.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu corona, etc. *p. 501.*

*Ant.* Stans a dextris ejus Agnus nive candidior, Christus sibi sponsam et martyrem consecravit.

℣. Specie tua et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede et regna.

ORATIO.

Deus, qui nos annua beatæ Agnetis virginis et martyris tuæ solemnitate lætificas: da, quæsumus; ut quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per Dominum.

## DIE 29 JANUARII.

### IN FESTO S. FRANCISCI SALESII EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 25. 14, 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Amavit eum Dominus et ornavit eum, stolam gloriæ induit eum, et ad portas Paradisi coronavit eum.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

ORATIO.

Deus, qui ad animarum salutem beatum Franciscum, confessorem tuum atque Pontificem, omnibus omnia factum esse voluisti: concede propitius; ut charitatis

tuæ dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis ac suffragantibus meritis, æterna gaudia consequamur. Per Dominum.

## DIE 30 JANUARII.

### IN FESTO S. MARTINÆ, VIRG. ET MART.

Evang. Matth. 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Martinæ celebri plaudite nomini,
Cives Romulei, plaudite gloriæ;
Insignem meritis dicite virginem,
Christi dicite martyrem.

Hæc dum conspicuis orta parentibus
Inter delicias, inter amabiles
Luxus illecebras ditibus affluit
Faustæ muneribus domus:

Vitæ despiciens commoda, dedicat
Se rerum Domino et munifica manu
Christi pauperibus distribuens opes,
Quærit præmia cœlitum.

Non illam crucians ungula, non feræ,
Non virgæ horribili vulnere commovent:
Hinc lapsi e superum sedibus Angeli
Cœlesti dape recreant.

Quin et deposita sævitie leo
Se rictu placido projicit ad pedes:
Te, Martina, tamen dans gladius neci
Cœli cœtibus inserit.

Te, thuris redolens ara vaporibus
Quæ fumat, precibus jugiter invocat,
Et falsum perimens auspicium, tui
Delet nominis omine.

A nobis abigas lubrica gaudia,
Tu, qui martyribus dexter ades, Deus
Une et trine: tuis da famulis jubar,
Quo clemens animos beas. Amen.

*Ant.* Veni, sponsa, *p. 499.*

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

ORATIO.

Deus, qui inter cætera, etc. *pag. 262.*

## DIE 31 JANUARII.

### IN FESTO S. PETRI NOLASCI, CONF.

Evang. Lucæ 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir, *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui in tuæ charitatis exemplum ad fidelium redemptionem, sanctum Petrum Ecclesiam tuam nova prole fœcundare divinitus docuisti: ipsius nobis intercessione concede, a peccati servitute solutis in cœlesti patria perpetua libertate gaudere. Qui vivis.

## DIE 1 FEBRUARII.

### IN FESTO S. IGNATII, EPISC. ET MART.

Evang. Joan. 12. 24, 26. *Amen, amen, dico vobis.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*
*Ant. Vers. et Resp. p. 498.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

## DIE 2 FEBRUARII.

### IN FESTO PURIFICAT. B. M. V.

Ibat quadragesimus a partu virgineo dies, cum intemerata Mater legi, qua non tenebatur, satisfactura, se suumque dulcem Natum in templo Hierosolymis sistit, et pro munere oblato, vaticinantibus Anna et Simeone, doloris gladium reportat.

Evang. Lucæ 2. 22, 32. *Tulerunt illum in Jerusalem.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant.* Hodie beata Virgo Maria puerum Jesum præsentavit in templo, et Simeon repletus Spiritu sancto accepit eum in ulnas suas, et benedixit Deum in æternum.

℣. Responsum accepit Simeon a Spiritu sancto.

℟. Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, Majestatem tuam supplices exoramus: ut sicut unigenitus Filius tuus hodierna die cum nostræ carnis substantia in templo est præsentatus; ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari. Per eumdem Dominum.

CANTICUM SIMEONIS.

Nunc dimittis, etc. *p. 108.*

## DIE 3 FEBRUARII.

### COMM. S. BLASII, EP. ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag, 261.*

## DIE 4 FEBRUARII.

IN FESTO S. ANDREÆ CORSINI, EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 25. 14, 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc.*p.496.*
*Ant.* Amavit eum. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Deus, qui in Ecclesia tua nova semper instauras exempla virtutum: da populo tuo beati Andreæ, confessoris tui atque Pontificis, ita sequi vestigia; ut assequatur et præmia. Per Dominum.

## DIE 5 FEBRUARII.

IN FESTO S. AGATHÆ, VIRG. ET MART.

Evang. Matth. 19. 3, 12. *Accesserunt ad Jesum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*
*Ant.* Stans beata Agatha in medio carceris, expansis manibus orabat ad Dominum: Domine Jesu Christe, Magister bone, gratias tibi ago, qui me fecisti vincere tormenta carnificum: jube me, Domine, ad tuam immarcescibilem gloriam feliciter pervenire.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

ORATIO.

Deus, qui inter, etc.*p.262.*

## DIE 6 FEBRUARII.

COMM. S. DOROTHEÆ, VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni sponsa. *Vers. et Resp. pag. 499.*

ORATIO.

Indulgentiam, etc. *p.262.*

## DIE 7 FEBRUARII.

IN FESTO S. ROMUALDI, ABBATIS.

Evang. Matth. 11. 25, 30. *Confiteor tibi, Pater.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc.*p. 496.*
*Ant.* Hic vir, *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Intercessio, etc. *p. 262.*

## DIE 8 FEBRUARII.

IN FESTO S. JOANNIS DE MATHA, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc.*p.496.*
*Ant.* Hic vir, *Vers. et Resp.* etc. *pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui per sanctum Joannem Ordinem sanctissi-

mæ Trinitatis, ad redimendum de potestate Saracenorum captivos, cœlitus instituere dignatus es: præsta, quæsumus; ut ejus suffragantibus meritis, a captivitate corporis et animæ, te adjuvante, liberemur. Per Dominum.

## DIE 9 FEBRUARII.

### COMM. S. APOLLONIÆ, VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. pag. 499.*

ORATIO.

Deus, qui inter, etc. *pag. 262.*

## DIE 10 FEBRUARII.

### IN FESTO S. SCHOLASTICÆ, VIRG.

Evang. Matth. 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*
*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. p. 499.*

ORATIO.

Deus, qui animam beatæ virginis tuæ Scholasticæ, ad ostendendam innocentiæ viam, in columbæ specie cœlum penetrare fecisti: da nobis ejus meritis et precibus ita innocenter vivere; ut ad æterna mereamur gaudia pervenire. Per Dominum.

## DIE 14 FEBRUARII.

### COMM. S. VALENTINI, PRESB. ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui beati Valentini martyris tui natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus ejus intercessione liberemur. Per Dominum.

## DIE 15 FEBRUARII.

### COMM. SS. FAUSTINI ET JOVITÆ, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. p. 500.*

ORATIO.

Deus, qui nos annua, etc. *pag. 261.*

## DIE 18 FEBRUARII.

### IN FESTO S. SIMEONIS, EPISC. ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

## DIE 22 FEBRUARII.

### IN FESTO CATHEDRÆ, S. PETRI ANTIOCHIÆ.

*Dicitur ut supra in Cath. Romana, pag. 498.*

## DIE 23 FEBRUARII.

### IN FESTO S. PETRI DAMIANI, EPISC., CONF. ET DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 20. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Concede nos, quæsumus, omnipotens Deus, beati Petri, confessoris tui atque Pontificis, monita et exempla sectari; ut per terrestrium rerum contemptum æterna gaudia consequamur. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. VIGILIÆ, S. MATHIÆ (IN ANNO BISSEXT. DIE 24.)

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus; ut beati Mathiæ apostoli tui, quam prævenimus, veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

## DIE 24 VEL 25 FEBRUARII.

### IN FESTO S. MATTHIÆ, APOST.

Hic in locum Judæ divina sorte surrogatus, Judææ et Æthiopiæ Evangelii lucem detulit, et mox lapidibus ac securi percussus, sortem hæreditatis æternæ adiit, sub Nerone Imp. anno 33.

Evang. Matth. 11. 25, 30. *Confiteor tibi, Pater.*

HYMNUS.

Exultet orbis gaudiis,
Cœlum resultet laudibus,
Apostolorum gloriam
Tellus et astra concinunt.
Vos sæculorum judices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite voces supplicum.
Qui templa cœli clauditis,
Serasque verbo solvitis,
Nos a reatu noxios
Solvi jubete, quæsumus.
Præcepta quorum protinus
Languor salusque sentiunt:
Sanate mentes languidas,
Augete nos virtutibus.
Ut, cum redibit Arbiter
In fine Christus sæculi,
Nos sempiterni gaudii
Concedat esse compotes.
Patri, simulque Filio,
Tibique sancte Spiritus,
Sicut fuit sit jugiter
Sæclum per omne gloria.
Amen.

*Ant.* Estote fortes in bello, et pugnate cum antiquo serpente: et accipietis regnum æternum. Alleluia.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

ORATIO.

Deus, qui beatum Mathiam apostolorum tuorum collegio sociasti: tribue, quæsumus; ut ejus interventione tuæ circa nos pietatis semper viscera sentiamus. Per Dominum.

## DIE 4 MARTII.

### IN FESTO S. CASIMIRI, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui inter regales delicias et mundi illecebras sanctum Casimirum virtute constantiæ roborasti: quæsumus, ut ejus intercessione fideles tui terrena despiciant, et ad cœlestia semper aspirent. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. LUCII, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

## DIE 7 MARTII.

### IN FESTO S. THOMÆ DE AQUINO, CONF. ET DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomæ confessoris tui mira eruditione clarificas, et sancta operatione fœcundas: da nobis, quæsumus, et quæ docuit, intellectu conspicere; et quæ egit, imitatione complere. Per eumdem.

EODEM DIE FIT COMM. SS. PERPETUÆ ET FELICITATIS.

*Ant.* Istarum est enim regnum cœlorum, quæ contempserunt vitam mundi, et pervenerunt ad præmia regni, et laverunt stolas suas in sanguine Agni.

℣. Gloria et honore coronasti eas, Domine.

℟. Et constituisti eas super opera manuum tuarum.

ORATIO.

Da nobis, etc. *pag. 263.*

## DIE 8 MARTII.

### IN FESTO S. JOANNIS DE DEO, CONF.

Evang. Matth. 22. 35, 46. *Accesserunt ad Jesum.*

### HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

### ORATIO.

Deus, qui beatum Joannem, tuo amore succensum, inter flammas innoxium incedere fecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti: præsta ipsius suffragantibus meritis; ut igne charitatis tuæ vitia nostra curentur, et remedia nobis æterna proveniant. Per Dominum.

## DIE 9 MARTII.

### IN FESTO S. FRANCISCÆ, VIDUÆ ROMANÆ.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

### HYMNUS.

Fortem virili pectore
Laudemus omnes fœminam,
Quæ sanctitatis gloria
Ubique fulget inclyta.

Hæc sancto amore saucia,
Dum mundi amorem noxium
Horrescit, ad cœlestia
Iter peregit arduum.

Carnem domans jejuniis,
Dulcique mentem pabulo
Orationis nutriens,
Cœli potitur gaudiis.

Rex Christe, virtus fortium,
Qui magna solus efficis,
Hujus precatu, quæsumus
Audi benignus supplices.

Deo Patri sit gloria,
Ejusque soli Filio,
Cum Spiritu Paraclito
Nunc, et per omne sæculum.
Amen.

*Ant.* Manum suam aperuit inopi, et palmas suas extendit ad pauperem, et panem otiosa non comedit.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

### ORATIO.

Deus, qui beatam Franciscam famulam tuam, inter cætera gratiæ tuæ dona, familiari Angeli consuetudine decorasti: concede, quæsumus; ut intercessionis ejus auxilio Angelorum consortium consequi mereamur. Per Dominum.

## DIE 10 MARTII.

### IN FESTO SS. QUADRAGINTA MARTYRUM.

Evang. Lucæ 6. 17, 23. *Descendens Jesus de monte.*

### HYMNUS.

Sanctorum, etc. *pag. 500.*

*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. pag. 501.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus; ut qui gloriosos martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

DIE 12 MARTII.

IN FESTO S. GREGORII, PAPÆ, CONF. ET DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496*,

*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui animæ famuli tui Gregorii æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius; ut qui peccatorum nostrorum pondere premimur, ejus apud te precibus sublevemur. Per Dominum.

DIE 17 MARTII.

IN FESTO S. PATRITII, EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 25. 14. 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Amavit eum. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui ad prædicandam gentibus gloriam tuam beatum Patritium, confessorem atque Pontificem, mittere dignatus es: ejus meritis et intercessione concede; ut quæ nobis agenda præcipis, te miserante, adimplere possimus. Per Dominum nostrum.

DIE 18 MARTII.

*In plurimis regionibus hodie celebratur festum S. Gabrielis archangeli.*

IN FESTO S. GABRIELIS, ARCH.

Evang. Lucæ 1. 26. 38. *Missus est Angelus.*

HYMNUS.

Christe, sanctorum decus Angelorum,
Gentis humanæ Sator et Redemptor,
Cœlitum nobis tribuas beatas
Scandere sedes.

Angelus pacis Michael in ædes
Cœlitus nostras veniat, serenæ
Auctor ut pacis lacrymosa in orcum
Bella releget.

Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, et amica cœlo

Quæ triumphator statuit per orbem,
Templa revisat.

Angelus nostræ medicus salutis
Adsit e cœlo Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, dubiosque vitæ
Dirigat actus.

Virgo, dux pacis, genitrixque lucis,
Et sacer nobis Chorus Angelorum
Semper assistat, simul et micantis
Regina Cœli.

Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

*Ant.* Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

ORATIO.

Deus, qui inter cæteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuæ Mysterium, Gabrielem archangelum elegisti: concede propitius, ut qui festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis. Qui vivis et regnas.

## DIE 19 MARTII.

### IN FESTO S. JOSEPH, CONF.

Joseph, vir Mariæ, de qua natus est Jesus, qui vocatur Christus. *Matth.* 1. 16. Quod encomiorum omnium, quæ adferri possunt, compendium est.

Evang. Matth. 1. 18, 28. *Cum esset desponsata.*

HYMNUS.

Te, Joseph, celebrent agmina cœlitum,
Te cuncti resonent Christiadum chori,
Qui, clarus meritis, junctus es inclytæ
Casto fœdere Virgini.

Almo cum tumidam germine conjugem
Admirans, dubio tangeris anxius,
Afflatu superi Flaminis Angelus
Conceptum Puerum docet.

Tu natum Dominum stringis, ad exteras
Ægypti profugum tu sequeris plagas:

Amissum Solymis quæris, et invenis,
Miscens gaudia fletibus.
Post mortem reliquos mors pia consecrat,
Palmamque emeritos gloria suscipit:
Tu vivens, superis par, frueris Deo,
Mira sorte beatior.
Nobis, summa Trias, parce precantibus,
Da Joseph meritis sidera scandere:
Ut tandem liceat nos tibi perpetim
Gratum promere canticum.
Amen.

*Ant.* Ecce fidelis servus et prudens, quem constituit Dominus super familiam suam.

℣. Gloria et divitiæ in domo ejus.

℟. Et justitia ejus manet in sæculum sæculi.

ORATIO.

Sanctissimæ, etc. *p. 240.*

DIE 21 MARTII.

IN FESTO S. BENEDICTI, ABB.

Evang. Matth. 19. 27; 29. *Ecce nos reliquimus omnia.*

HYMNUS.

Iste Confessor etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Intercessio, etc. *pag. 262.*

DIE 25 MARTII.

IN FESTO ANNUNTIATIONIS B. M. V.

Hac die Verbum Caro factum est, et habitavit in nobis.

Evang. Lucæ 1. 26, 38. *Missus est angelus.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *pag. 323.*

*Ant.* Gabriel angelus locutus est Mariæ dicens: Ave, gratia plena: Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.

℣. Ave, Maria, gratia plena.

℟. Dominus tecum.

ORATIO.

Deus, qui, etc. *pag. 312.*

DIE 2 APRILIS.

IN FESTO S. FRANCISCI DE PAULA, CONF.

Evang. Lucæ 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor Domini, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, humilium celsitudo, qui beatum Franciscum confessorem Sanctorum tuorum

gloria sublimasti: tribue, quæsumus; ut ejus meritis et imitatione promissa humilibus præmia feliciter consequamur. Per Dominum.

DIE 4 APRILIS.

IN FESTO S. ISIDORI, EP. CONF.

Evang. Matt. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor Domini, etc. *pag. 496.*
*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui populo tuo æternæ, etc. *pag. 262.*

DIE 5 APRILIS.

IN FESTO S. VINCENTII FERR., CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Vincentii confessoris tui meritis et prædicatione illustrare dignatus es: concede nobis famulis tuis, ut et ipsius instruamur exemplis, et ab omnibus ejus patrocinio liberemur adversis. Per Dominum.

DIE 11 APRILIS.

IN FESTO S. LEONIS, PAPÆ CONF. ET ECCL. DOCT.

Evang. Matth. 16. 13, 19. *Venit Jesus in partes.*

HYMNUS.

Iste Confessor Domini, etc. *pag. 496.*
*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Exaudi, etc. *pag. 261.*

DIE 13 APRILIS.

IN FESTO S. HERMENEGILDI, MART.

Evang. Joan. 15. 1, 7. *Ego sum vitis vera.*

HYMNUS.

Regali solio fortis Iberiæ
Hermenegilde jubar, gloria
Martyrum,
Christi quos amor almis
Cœli cœtibus inserit.
Ut perstas patiens, pollicitum Deo
Servans obsequium! quo
potius tibi
Nil proponis, et arces
Cautus noxia, quæ placent!
Ut motus cohibes, pabula
qui parant
Surgentis vitii, non dubios
agens
Per vestigia gressus
Quo veri via dirigit!

Sit rerum Domino jugis honor Patri,
Et Natum celebrent ora precantium,
Divinumque supremis
Flamen laudibus efferant. Amen.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495. Temp. Pasch. mut. Vers. et Resp.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Hermenegildum martyrem tuum cœlesti regno terrenum postponere docuisti : da, quæsumus, nobis ejus exemplo caduca despicere, atque æterna sectari. Per Dominum.

DIE 14 APRILIS.

COMM. SS. MARTYRUM TIBURTII, VALERIANI ET MAXIMI.

*Ant.* Istorum est, *Vers. et Resp. pag. 500. Temp. Pasch. mut. Vers. et Resp.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Tiburtii, Valeriani et Maximi solemnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur. Per Dominum.

DIE 17 APRILIS.

COMM. S. ANICETI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495. Temp. Pasch. mut. Vers. et Resp.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati Aniceti martyris, etc. *pag. 261.*

DIE 21 APRILIS.

IN FESTO S. ANSELMI, EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui populo tuo, etc. *pag. 262.*

DIE 22 APRILIS.

IN FESTO SS. MART. ET PONT SOTERIS ET CAJI.

Evang. Joan. 15. 5, 11. *Ego sum vitis, vos palmites.*

HYMNUS.

Rex gloriose Martyrum,
Corona confitentium,
Qui respuentes terrea
Perducis ad cœlestia :
Aurem benignam protinus
Intende nostris vocibus :
Trophæa sacra pangimus :
Ignosce quod deliquimus.
Tu vincis inter Martyres,
Parcisque Confessoribus ;
Tu vince nostra crimina
Largitor indulgentiæ.
Deo Patri sit gloria.

Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Ant.* Sancti et justi in Domino gaudete, alleluia : vos elegit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia.

℣. Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia.

℞. Mors Sanctorum ejus. Alleluia.

ORATIO.

Beatorum, etc. *pag. 261.*

## DIE 23 APRILIS.

### IN FESTO S. GEORGII, MART.

Evang. Joan. 15. 1, 7. *Ego sum vitis vera.*

HYMNUS.

Rex gloriose, etc. *p. 516.*

*Ant.* Sancti et justi. *Vers. et Resp. ut supra.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati Georgii martyris tui meritis et intercessione lætificas: concede propitius ; ut qui tua per eum beneficia poscimus, dona tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum nostrum.

## DIE 24 APRILIS.

### IN FESTO S. FIDELIS A SIGMARINGA , MART.

Evang. Joan. 15. 1, 7. *Ego sum vitis vera.*

HYMNUS.

Deus, tuorum militum, etc. *pag. 498.*

*Ant.* Lux perpetua lucebit Sanctis tuis , Domine , et æternitas temporum. Alleluia.

℣. Sancti et justi in Domino gaudete. Alleluia.

℞. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui beatum Fidelem, seraphico spiritus ardore succensum in veræ fidei propagatione, martyrii palma et gloriosis miraculis decorare dignatus es : ejus, quæsumus, meritis et intercessione ita nos per gratiam tuam in fide et charitate confirma, ut in servitio tuo fideles usque ad mortem inveniri mereamur. Per Dominum.

## DIE 25 APRILIS.

### IN FESTO S. MARCI, EVANG.

Marcus ex 72 discipulis Christi , ejusdem Evangelium conscripsit, uti a S. Petro acceperat , illudque Ægypto intulit, ubi quum Dominicæ resurrectionis festo ad aram sacra faceret , inde captus raptusque per urbem, paschalis ipse pro Christo fieri meruit victima, anno Christi 64.

Evang. Lucæ 10. 1,9. *Designavit Dominus et alios septuaginta duos.*

HYMNUS.

Tristes erant Apostoli
De Christi acerbo funere,
Quem morte crudelissima
Servi necarant impii.
Sermone verax Angelus
Mulieribus prædixerat:
Mox ore Christus gaudium
Gregi feret fidelium.
Ad anxios Apostolos
Currunt statim dum nuntiæ
Illæ micantis obvia
Christi tenent vestigia.
Galilææ ad alta montium
Se conferunt Apostoli;
Jesuque voti compotes
Almo beantur lumine.
Ut sis perenne mentibus
Paschale Jesu gaudium;
A morte dira criminum
Vitæ renatos libera.
Deo Patri sit gloria,
Et Filio, qui a mortuis
Surrexit, ac Paraclito,
In sempiterna sæcula.
Amen.

*Ant.* Sancti et justi. *Vers. et Resp. pag. 517.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Marcum, Evangelistam tuum, evangelicæ prædicationis gratia sublimasti: tribue, quæsumus, ejus nos semper et eruditione proficere, et oratione defendi. Per Dominum.

DIE 26 APRILIS.

IN FESTO SS. CLETI ET MARCELLINI, PONT. ET MART.

Evang. Joan. 15. 5, 11. *Ego sum vitis, vos palmites.*

HYMNUS.

Rex gloriose, etc. *pag. 516.*

*Ant.* Sancti et justi. *Vers. et Resp. pag. 517.*

ORATIO.

Beatorum martyrum pariterque pontificum Cleti et Marcellini nos, Domine, foveat pretiosa confessio: et pia jugiter intercessio tueatur. Per Dominum.

DIE 28 APRILIS.

COMM. S. VITALIS, MART.

*Ant.* Lux perpetua lucebit sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum. Alleluia.

℣. Sancti et justi in Domino gaudete. Alleluia.

℟. Vos eligit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia.

ORATIO.

Præsta.... ut qui, etc, *pag. 261.*

DIE 29 APRILIS.

IN FESTO S. PETRI, MART.

Evang. Matth. 15. 1, 7. *Ego sum vitis vera.*

### HYMNUS.

Rex gloriose, etc. *pag. 516.*

*Ant.* Sancti et justi. *Vers. et Resp. pag. 517.*

### ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Petri martyris tui fidem congrua devotione sectemur, qui pro ejusdem fidei dilatatione, martyrii palmam meruit obtinere. Per Dominum nostrum.

## DIE 30 APRILIS.

### IN FESTO S. CATHARINÆ SENENSIS, VIRG.

Evang. Matth. 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

*Ant.* Veni, sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

### ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Catharinæ virginis tuæ natalitia colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ virtutis proficiamus exemplo. Per Dominum.

## DIE 1 MAJI.

### IN FESTO SS. APOST. PHILIPPI ET JACOBI.

Philippus, vir inter hominum piscatores allectus, captum illico Nathanaelem ad Christum adduxit: eo duce Jesum vident, qui ejus videndi desiderio accesserant. Eo consiliario Christus ipse utitur, cum ingenti multitudini commeatum parabat: illo rogante discipulis in Filio Pater ostenditur. In orbis divisione Scythiam Phrygiamque nactus provincias, iis, satis excultis, pro mercede lapides et crucem abstulit Hieropoli, anno Christi 54.

Jacobus Justus, Domini frater et minor cognominatus, Solymæ Antistes, a teneris annis carne sibi et vino interdixit: ob precandi assiduitatem callum genibus obduxit: hac virtutis et sanctitatis prærogativa donatus, ut illi uni in Sancta Sanctorum aditus pateret, et vel oram vestis ejus prehendere, partem felicitatis ducerent. Demum e templi fastigio dejectus, et inter preces, quas pro hostibus fundebat, fuste fullonis percussus, vivere desiit anno ætatis 96, partæ salutis per Christum 63.

Evang. Joan. 14. 1, 13. *Non turbetur cor vestrum.*

HYMNUS.

Tristes erant, etc. *pag. 518.*

*Ant.* Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque petieritis fiet vobis. Alleluia, alleluia, alleluia.

℣. Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia.

℟. Mors sanctorum ejus. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui nos annua Apostolorum tuorum Philippi et Jacobi solemnitate lætificas : præsta, quæsumus ; ut quorum gaudemus meritis instruamur exemplis. Per Dominum.

## DIE 2 MAJI.

IN FESTO S. ATHANASII, EPISC. CONF. ET DOCT.

Evang. Joan. 10. 25, 28. *Cum persequentur vos.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Exaudi quæsumus, etc. *pag. 261.*

## DIE 3 MAJI.

IN FESTO INVENT. S. CRUCIS.

Postquam Maxentium Constantinus sanctis auspiciis debellasset, mater ejus Helena Judæorum odiis plus quam terra sepultam Christi Crucem in lucem extraxit ; et cum inter tres omnino similes, miraculo reviviscentis ad ejusdem contactum desperatæ vitæ mulieris, quænam vera esset salutis nostræ tessera sufficienter distinxisset, palam illam in exstructo magnificentissime templo, mundo universo adorandam proposuit, quæ hodiernæ celebritatis summa est.

Evang. Joan. 3. 1, 15. *Nicodemus venit ad Jesum.*

HYMNUS.

Vexilla, Regis, etc. *pag. 444.*

N. B. *Stropha sexta ita hoc tempore dicitur :*

O Crux, ave, spes unica,
Paschale quæ fers gaudium,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

*Ant.* Crucem sanctam subiit, qui infernum confregit, accinctus est potentia, surrexit die tertia. Alleluia.

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo. Alleluia.

℟. Cum Dominus ad judicandum venerit. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui in præclara salutiferæ Crucis inventione, passionis tuæ miracula suscitasti: concede, ut vitalis ligni pretio æternæ vitæ suffragia consequamur. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. ALEXANDRI, EVENTII ET THEODULI, MART., AC S. JUVENALIS, EPISC. ET CONF.

*Ant.* Lux perpetua. *Vers. et Resp. pag. 518.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut qui sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, Theoduli atque Juvenalis natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus, eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

DIE 4 MAJI.

IN FESTO S. MONICÆ, VIDUÆ.

Evang. Lucæ 7. 11, 16. *Ibat Jesus in civitatem Naim.*

HYMNUS.

Fortem virili. etc. *pag. 511.*

*Ant. Vers. et Resp. pag. 511.*

ORATIO.

Deus, mœrentium consolator, et in te sperantium salus, qui beatæ Monicæ pias lacrymas in conversione filii sui Augustini misericorditer suscepisti: da nobis utriusque interventu peccata nostra deplorare, et gratiæ tuæ indulgentiam invenire. Per Dominum.

DIE 5 MAJI.

IN FESTO S. PII. V. PAPÆ ET CONF.

Evang. Matth. 25. 14, 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Dum esset summus Pontifex, terrena non metuit, sed ad cœlestia regna gloriosus migravit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

ORATIO.

Deus, qui ad conterendos Ecclesiæ tuæ hostes, et ad divinum cultum reparandum, beatum Pium Pontificem Maximum eligere dignatus es: fac nos ipsius defendi præsidiis, et ita tuis inhærere obsequiis, ut omnium hostium superatis insidiis, perpetua pace lætemur. Per Dominum.

DIE 6 MAJI.

IN FESTO S. JOANNIS ANTE PORT. LAT.

Evang. Matth. 20. 20, 23. *Accessit ad Jesum.*

HYMNUS.

Tristes erant, etc. *p. 518.*

*Ant.* In ferventis olei dolium missus beatus Joannes apostolus, divina se protegente gratia, illæsus exivit. Alleluia.

℣. Pretiosa in conspectu Domini. Alleluia.

℟. Mors Sanctorum ejus. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui conspicis, quia nos undique mala nostra perturbant: præsta, quæsumus; ut beati Joannis Apostoli tui et Evangelistæ intercessio gloriosa nos protegat. Per Dominum.

## DIE 7 MAJI.

IN FESTO S. STANISLAI, EPISC. ET MART.

Evang. Matth. 15. 1, 7. *Ego sum vitis vera.*

HYMNUS.

Rex gloriose, etc. *p. 516.*

*Ant.* Sancti. *Vers. et Resp. pag. 517.*

ORATIO.

Deus, pro cujus honore gloriosus Pontifex Stanislaus gladiis impiorum occubuit: præsta, quæsumus; ut omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum

## DIE 8 MAJI.

IN APPARIT. S. MICHAELIS ARCH.

Evang. Matth. 18. 1, 10. *Accesserunt Discipuli.*

HYMNUS.

Te, splendor et virtus Patris,
Te, vita Jesu, cordium,
Ab ore qui pendent tuo.
Laudamus inter Angelos.

Tibi mille densa millium
Ducum corona militat:
Sed explicat victor Crucem
Michael salutis signifer.

Draconis hic dirum caput
In ima pellit Tartara,
Ducemque cum rebellibus
Cœlesti ab arce fulminat.

Contra ducem superbiæ
Sequamur hunc nos principem,
Ut detur ex Agni throno
Nobis corona gloriæ.

Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria.
Amen.

*Ant.* Princeps gloriosissime, Michael archangele, esto memor nostri, hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei. Alleluia, alleluia.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus. Alleluia.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo. Alleluia.

ORATIO.

Deus, qui miro ordine Angelorum ministeria hominumque dispensas: concede propitius; ut a quibus tibi ministrantibus in cœlo semper assistitur, ab his in terra vita nostra muniatur. Per Dominum.

## DIE 9 MAJI.

IN FESTO S. GREGORII NAZIANZ. EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui populo tuo, etc. *pag. 262.*

## DIE 10 MAJI.

IN FESTO S. ANTONINI, EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 25. 14, 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. p. 496.
*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Sancti Antonini, Domine, confessoris tui atque Pontificis meritis adjuvemur: ut sicut te in illo mirabilem prædicamus, ita in nos misericordem fuisse gloriemur. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. GORDIANI ET EPIMACHI MART.

*Ant.* Lux perpetua. *Vers. et Resp. p. 518.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatorum martyrum tuorum Gordiani et Epimachi solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum,

## DIE 12 MAJI.

IN FESTO SS. NEREI, ACHILLEI, DOMITILLÆ ATQUE PANCRATII, MARTYRUM.

*Ant.* Sancti et justi. *Vers. et Resp. pag. 517.*

ORATIO.

Semper nos, Domine, martyrum tuorum Nerei, Achillei, Domitillæ atque Pancratii, foveat, quæsumus, beata solemnitas, et tuo dignos reddat obsequio. Per Dominum.

## DIE 14 MAJI.

COMM. S. BONIFACII, MART.

*Ant.* Lux perpetua. *Vers. et Resp. pag. 518.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omni-

potens Deus: ut qui beati Bonifacii martyris tui solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

## DIE 16 MAJI.

IN FESTO S. UBALDI, EP. CONF.

Evang. Matth. 25. 14, 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Auxilium tuum nobis, Domine, quæsumus, placatus impende, et intercessione beati Ubaldi, confessoris tui atque Pontificis, contra omnes diaboli nequitias dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

*In Germania et quibusdam aliis locis hodie celebratur festum S. Joannis Nepomuceni*

IN FESTO S. JOANNIS NEPOM. MART.

Evang. Matth. 10. 26, 33. *Nihil est opertum.*

*Temp. Pasch. mut. Vers. et Resp.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.* *Ant. Vers. et Resp. p. 498.*

ORATIO.

Deus, qui ob invictum beati Joannis sacramentale silentium nova Ecclesiam tuam martyrii corona decorasti: da nobis ejus intercessione et exemplo linguam caute custodire, ac omnia potius mala quam animæ detrimentum in hoc sæculo tolerare. Per Dominum.

## DIE 17 MAJI.

IN FESTO S. PASCHALIS BAYLON CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir, *Vers. et Resp. p. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Paschalem, confessorem tuum, mirifica erga Corporis et Sanguinis tui sacra Mysteria dilectione decorasti: concede propitius; ut quam ille ex hoc divino convivio spiritus percepit pinguedinem, eamdem et nos percipere mereamur. Qui vivis.

## DIE 18 MAJI.

IN FESTO S. VENANTII, MART.

Evang. Joann. 15. 1, 7. *Ego sum vitis vera.*

HYMNUS.

Martyr Dei Venantius,
Lux et decus Camertium,
Tortore victo et judice
Lætus triumphum concinit.

Annis puer, post vincula,
Post carceres, post verbera
Longa fame frementibus
Cibus datur leonibus.
Sed ejus innocentiæ
Parcit leonum immanitas,
Pedesque lambunt martyris,
Iræ famisque immemores.
Verso deorsum vertice
Haurire fumum cogitur;
Costas utrinque et viscera,
Succensa lampas ustulat.
Sit laus Patri, sit Filio.
Tibique, sancte Spiritus;
Da per preces Venantii
Beata nobis gaudia. Amen.

*Tempore Paschali:*

*Ant.* Sancti et justi. *Vers. et Resp. pag. 517.*

*Extra tempus Paschale:*

*Ant.* Qui vult. *Vers. et Resp. pag. 498.*

ORATIO.

Deus, qui hunc diem beati Venantii martyris tui triumpho consecrasti: exaudi preces populi tui, et præsta, ut qui ejus merita veneramur, fidei constantiam imitemur. Per Dominum nostrum.

## DIE 19 MAJI.

### IN FESTO S. PETRI CŒLESTINI, PAPÆ ET CONF.

Evang. Matth. 19. 27, 29. *Ecce nos reliquimus omnia.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Dum esset. *Vers. et Resp. pag. 521.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Petrum ad summi pontificatus apicem sublimasti: quique illum humilitati postponere docuisti: concede propitius; ut ejus exemplo cuncta mundi despicere et ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur. Per Dominum.

### EODEM DIE FIT COMM. S. PUDENTIANÆ, VIRG.

*Ant.* Veni sponsa. *Vers. et Resp. p. 499.*

ORATIO.

Exaudi nos, etc. *p. 262.*

## DIE 20 MAJI.

### IN FESTO S. BERNARDINI SENENSIS, CONF.

Evang. Matth. 19. 27, 29. *Ecce nos reliquimus omnia.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Domine Jesu, qui beato Bernardino confessori tuo eximium sancti nominis tui amorem tribuisti: ejus, quæsumus, meritis et intercessione, spiritum nobis tuæ dilectionis benignus infunde. Qui vivis.

## DIE 24 MAJI.

*Hodie in Urbe et in bene multis aliis locis celebratur festum B. M. V. titulo :* Auxilium Christianorum.

IN FESTO B. MARIÆ VIRGINIS TITULO : AUXILIUM CHRIST.

Evang. Lucæ 11. 27, 28. *Extollens vocem quædam mulier.*

HYMNUS.

Sæpe, dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis.
Venit adjutrix pia Virgo, cœlo
Lapsa sereno.

Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariæ
Cantici lætis modulis referre,
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis et Orbis.

O dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri sedes fidei Magistrum
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit!

Virgines castæ puerique puri,
Gestiens clerus populusque grato
Corde Reginæ celebrare cœli
Munera certent.

Virginum Virgo, benedicta Jesu
Mater, hæc auge bona fac, precamur,
Ut gregem pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu;
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent.
Amen.

*Ant.* Ecce Maria erat spes nostra, ad quam confugimus in auxilium, ut liberaret nos, et venit in adjutorium nobis.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui ad defensionem populi Christiani in beatissima Virgine Maria perpetuum auxilium mirabiliter constituisti : concede, propitius; ut tali præsidio muniti certantes in vita, victo-

riam de hoste maligno consequi valeamus in morte. Per Dominum.

DIE 25 MAJI.

IN FESTO S. GREGORII VII, PAPÆ ET CONF.

Evang. Matth. 24, 42, 47. *Vigilate quia nescitis.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Deus, in te sperantium fortitudo, qui beatum Gregorium, confessorem tuum atque Pontificem, pro tuenda Ecclesiæ libertate, virtute constantiæ roborasti; da nobis ejus exemplo et intercessione, omnia adversantia fortiter superare. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. URBANI, PAPÆ ET MART.

*Tempore Paschali:*

*Ant.* Lux perpetua lucebit Sanctis tuis, Domine, et æternitas temporum. Alleluia.

℣. Sancti et justi, in Domino gaudete. Alleluia.

℟. Vos elegit Deus in hæreditatem sibi. Alleluia.

*Extra tempus Paschale:*

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beati Urbani martyris tui atque Pontificis solemnia colimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

DIE 26 MAJI.

IN FESTO S. PHILIPPI NERII, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Amavit eum. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Philippum confessorem tuum Sanctorum tuorum gloria sublimasti: concede, propitius, ut cujus solemnitate lætamur, ejus virtutum proficiamus exemplo. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. ELEUTHERII, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Lux perpetua. *Vers. et Resp. supra.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

*A die 26 Maji usque ad 19 Junii inclus. Comm. unius vel plur. mart. aliquoties fiunt per Ant. et Vers. extra tempus Paschale.*

DIE 27 MAJI.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ DE PAZZIS, VIRG.

Evang. Matth. 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*

*Ant.* Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

ORATIO.

Deus, virginitatis amator, qui beatam Mariam Magdalenam virginem tuo amore succensam, cœlestibus donis decorasti : da, ut quam festiva celebritate veneramur, puritate et charitate imitemur. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. JOANNIS, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Lux perpetua. *Vers. et Resp. pag. 527.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

DIE 30 MAJI.

*In regionibus Hispaniæ subjectis et alibi celebratur hodie festum S. Ferdinandi.*

IN FESTO B. FERDINANDI III, CAST. ET LEG. REG.

Evang. Lucæ 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beato confessori tuo Ferdinando præliari prælia tua, et fidei inimicos superare dedisti : concede ut ejus nos intercessione muniti, ab hostibus mentis et corporis liberemur. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. FELICIS, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Lux perpetua. *Vers. et Resp. pag. 527.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

DIE 31 MAJI.

COMM. S. PETRONILLÆ, VIRG.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. pag. 499.*

ORATIO.

Exaudi nos, etc. *p. 262.*

FERIA VI. POST OCT. SS. CORP. CHRISTI.

*In Festo SS. Cordis Jesu*

Evang. *Joann. 19. 31, 35. Judæi (quoniam parasceve erat).*

HYMNUS.

Auctor beate sæculi,
Christe Redemptor omnium,

Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo.
Amor coegit te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus ille abstulerat.
Ille amor almus artifex,
Terræ marisque, et siderum
Errata patrum miserans,
Et nostra rumpens vincula.
Non corde discedat tuo
Vis illa amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.
Percussum ad hoc est lancea,
Passumque ad hoc est vulnera:
Ut nos lavaret sordibus:
Unda fluente et sanguine.
Decus Parenti, et Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum. Amen.

*Ant.* Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis et aqua.

℣. Haurietis aquas in gaudio.

℟. De fontibus Salvatoris.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, præcipua in nos charitatis ejus beneficia recolimus, eorum pariter et actu delectemur, et fructu. Per eumdem Dominum.

## DIE 2 JUNII.

### COMM. SS. MARCELLINI, PETRI ATQUE ERASMI, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Deus, qui nos annua, etc. *pag. 261.*

## DIE 4 JUNII.

### IN FESTO S. FRANCISCI CARACCIOLI, CONF. NON PONT.

Evang. Lucæ 12 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Franciscum novi Ordinis institutorem orandi studio et pœnitentiæ amore decorasti: da famulis tuis in ejus imitatione ita proficere, ut semper orantes, et corpus in servitutem redigentes, ad cœlestem gloriam pervenire mereamur. Per Dominum.

## DIE 6 JUNII.

IN FESTO S. NORBERTI, EPISC. ET CONF.

Evang. Lucæ 12, 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Norbertum, confessorem tuum atque Pontificem, verbi tui præconem eximium effecisti, et per eum Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti: præsta, quæsumus, ut ejusdem suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum.

## DIE 9 JUNII.

COMM. SS. PRIMI ET FELICIANI, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Fac nos, quæsumus, Domine, Sanctorum martyrum tuorum Primi et Feliciani semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentiamus. Per Dominum.

## DIE 10 JUNII.

IN FESTO S. MARGARITÆ, REG. SCOTIÆ.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cœlorum thesauro.*

HYMNUS.

Fortem virili, etc. *p. 511.* *Ant. Vers. et Resp. p. 511.*

ORATIO.

Deus, qui beatam Margaritam reginam eximia in pauperes charitate mirabilem effecisti: da, ut ejus intercessione et exemplo tua in cordibus nostris charitas jugiter augeatur. Per Dominum.

## DIE 11 JUNII.

IN FESTO S. BARNABÆ, APOST.

Sanctus Barnabas, vir Spiritu sancto plenus, Antiochiæ, Seleuciæ et in Cypro Evangelium prædicavit; multos ubique ad Christi fidem convertit, nihil in ore versans nisi Jesum et hunc crucifixum. Adeo verum est, ex abundantia cordis os loqui. Utinam nos etiam Christi doctrinam et exempla in corde et actibus nostris exhiberemus!

Evang. Matth. 10. 16, 22. *Ecce ego mitto vos.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.* *Ant. Vers. et Resp. p. 509.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati Bar-

nabæ apostoli tui meritis et intercessione lætificas : concede, propitius ; ut qui tota per eum beneficia poscimus, dono tuæ gratiæ consequamur. Per Dominum.

## DIE 12 JUNII.

### IN FESTO S. JOANNIS A. S. FACUNDO, CONF

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, auctor pacis et amator charitatis, qui beatum Joannem confessorem tuum mirifica dissidentes componendi gratia decorasti : ejus meritis et intercessione concede ; ut in tua charitate firmati, nullis a te tentationibus separemur. Per Dominum.

### EODEM DIE FIT COMM. SS. BASILIDIS, ETC. MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp pag. 500.*

ORATIO.

Sanctorum martyrum tuorum Basilidis, Cyrini, Naboris atque Nazarii, quæsumus, Domine natalitia nobis votiva resplendeant : et quod illis contulit excellentia sempiterna, fructibus nostræ devotionis accrescat. Per Dominum.

## DIE 13 JUNII.

### IN FESTO S. ANTONII DE PADUA, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Ecclesiam tuam, Deus, beati Antonii confessoris tui solemnitas votiva lætificet : ut spiritualiter semper muniatur auxiliis, et gaudiis perfrui mereatur æternis. Per Dominum.

## DIE 14 JUNII.

### IN FESTO S. BASILII MAGNI EPISC. ET CONF.

Evang. Lucæ 14. 26, 35 *Si quis venit ad me.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Exaudi, etc. *pag. 261.*

## DIE 15 JUNII.

COMM. SS. VITI, MODESTI ATQUE CRESCENTIÆ, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500*

ORATIO.

Da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, Domine, sanctis martyribus tuis Vito, Modesto atque Crescentia intercedentibus, superbe non sapere, sed tibi placita humilitate proficere: ut prava descipiens, quæcumque recta sunt, libera exerceat charitate. Per Dominum.

## DIE 18 JUNII.

COMM. SS. MARCI ET MARCELLIANI, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Marci et Marcelliani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

## DIE 19 JUNII.

IN FESTO S. JULIANÆ DE FALCONERIIS, VIRG.

Evang. Matth, 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Cœlestis Agni nuptias,
O Juliana, dum petis,
Domum paternam deseris,
Chorumque ducis Virginum.
Sponsumque suffixum Cruci
Noctes diesque dum gemis,
Doloris icta cuspide,
Sponsi refers imaginem.
Quin septiformi vulnere
Fles ad genu Deiparæ:
Sed crescit infusa fletu,
Flammasque tollit charitas.
Hinc morte fessam proxima
Non usitato te modo
Solatur et nutrit Deus,
Datem supernam porrigens.
Æterne rerum conditor,
Æterne Fili par Patri,
Et par utrique Spiritus,
Soli tibi sit gloria. Amen.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. pag. 528.*

ORATIO.

Deus, qui beatam Julianam virginem tuam extremo morbo laborantem pretioso Filii tui Corpore mirabiliter recreare dignatus es: concede, quæsumus; ut ejus intercedentibus meritis, nos quoque eodem in mortis agone refecti ac roborati, ad cœlestem patriam perducamur. Per eumdem Dominum nostrum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. GERVASII ET PROTASII, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Deus, qui nos annua, etc. *pap. 261.*

DIE 20 JUNII.

COMM. S. SILVERII, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

DIE 21 JUNII.

IN FESTO S. ALOYSII GONZAGÆ, CONF.

Evang. Matth. 22. 29, 40. *Erratis nescientes Scripturas.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Cœlestium, etc. *p. 278.*

DIE 22 JUNII.

COMM. S. PAULINI, EP. CONF.

*Ant.* Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *p. 261.*

DIE 23 JUNII.

IN VIGILIA S. JOANNIS BAPT.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut familia tua per viam salutis incedat, et beati Joannis præcursoris hortamenta sectando, ad eum, quem prædixit, secura perveniat, Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

DIE 24 JUNII.

IN FESTO NATIVITATIS S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Sterilibus, sed justis natus parentibus Zacharia et Elisabetha, jam ante repletus fuit Spiritu sancto, quam in mundum prodiret, de quo Christus testatur: inter natos mulierum non surrexit major. A teneris annis in solitudine vixit incredibili vitæ austeritate, donec vox clamantis in deserto viam Domino prætpararet, quem etiam Jordanis flumine tingere meruit, applaudente cœlo et Dei Filium proclamante. Denique Herodiadis impulsu capite truncatus vaticinii veritatem probavit:

*Me oportet minui,* anno a Christi nat. 33.

Evang. Lucæ 1, 57, 68. *Quis putas puer iste erit?*

HYMNUS.

Ut queant laxis resonare fibris
Mira gestorum famuli tuorum,
Solve polluti labii reatum,
Sancte Joannes.
Nuntius celso veniens olympo,
Te patri magnum fore nasciturum,
Nomen et vitæ seriem gerendæ
Ordine promit.
Ille promissi dubius superni,
Perdidit promptæ modulos loquelæ:
Sed reformasti genitus peremptæ
Organa vocis.
Ventris obstruso recubans cubili,
Senseras Regem thalamo manentem:
Hinc parens nati meritis uterque
Abdita pandit.
Sit decus Patri genitæque proli,
Et tibi compar utriusque virtus
Spiritus semper, Deus unus, omni
Temporis ævo. Amen.

*Ant.* Puer, qui natus est nobis, plus quam propheta est: hic est enim, de quo Salvator ait: Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.

℣. Iste puer magnus coram Domino.

℟. Nam et manus ejus cum ipso est.

ORATIO.

Deus, qui præsentem diem honorabilem nobis in beati Joannis nativitate fecisti: da populis tuis spiritualium gratiam gaudiorum. et omnium fidelium mentes dirige in viam salutis æternæ. Per Dominum nostrum.

## DIE 25 JUNII.

IN FESTO S. GULIELMI, ABB.

Evang. Matth. 19. 27, 29 *Ecce nos reliquimus.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic. vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui infirmitati nostræ ad terendum salutis viam in Sanctis tuis exemplum et præsidium collocasti; da nobis ita beati Gulielmi abbatis merita venerari, ut ejusdem suscipiamus suffragia, et vestigia prosequamur. Per Dominum nostrum.

## DIE 26 JUNII.

### IN FESTO SS. JOANNIS ET PAULI, MART.

Evang. Lucæ 12. 1, 8. *Attendite a fermento.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc. *pag. 500.*

*Ant.* Isti sunt duæ olivæ, et duo candelabra lucentia ante Dominum: habent potestatem claudere cœlum nubibus, et aperire portas ejus, quia linguæ eorum claves cœli factæ sunt.

℣. Exultabunt sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

ORATIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut nos geminata lætitia hodiernæ festivitatis excipiat, quæ de beatorum Joannis et Pauli glorificatione procedit, quos eadem fides et passio vere fecit esse germanos. Per Dominum nostrum.

## DIE 28 JUNII.

### IN FESTO S. LEONIS, PAPÆ ET CONF.

Evang. Matth. 24. 42, 47. *Vigilate quia nescitis.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Dum esset. *Vers. et Resp. pag. 521.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Leonem Pontificem Sanctorum tuorum meritis coæquasti: concede propitius, ut qui commemorationis ejus festa percolimus, vitæ quoque imitemur exempla. Per Dominum.

### EODEM DIE FIT COMMEM. DE VIGILIA SS. APOSTOLORUM.

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut nullis nos permittas perturbationibus concuti, quos in apostolicæ confessionis petra solidasti. Per Dominum.

## DIE 29 JUNII.

### IN FESTO SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Petrus apostolus et Paulus doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine, eamque sanguine suo consignarunt, per crucem ille, hic per ensem, sublatus jussu Neronis imp. anno Christi 69 in urbe mundi principe Roma, in qua Petrus caput Ecclesiæ a Christo constitutus, *Matth. 16. Joan. 21.* postquam Antiochiæ 7 annis, deinceps 25 eidem cum suprema pote-

state præfuit; venerat enim Romam anno 44 Christi, 18 Jan. cum Marco, Apollinare et Martiale. Paulus vero ex tribu Benjamin in lege Mosaico per Gamalielem probe instructus, cum nascentem Ecclesiam persequeretur, in via Damasci mirabiliter à Christo conversus, nomen ejusdem per universum mundum prædicavit, innumerisque exantlatis propter illius amorem laboribus et periculis, Romæ martyrium una cumPetro collega die et anno eodem obiit: Unde illa Ecclesiæ Antiphona: *Gloriosi principes terræ, quomodo in vita sua dilexerunt se, ita et in morte non sunt separati.*

Evang. Matth. 16. 13, 19. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam.*

HYMNUS.

Decora lux æternitatis auream
Diem beatis irrigavit ignibus,
Apostolorum quæ coronat principes,
Reisque in astra liberam pandit viam.

Mundi magister atque cœli janitor,
Romæ parentes arbitrique gentium;
Per ensis ille, hic per crucis victor necem,
Vitæ senatum laureati possident.

O Roma felix, quæ duorum Principum
Es consecrata glorioso sanguine;
Horum cruore purpurata, cæteras
Excellis orbis una pulchritudines.

Sit Trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque jubilatio,
In unitate quæ gubernat omnia,
Per universa sæculorum sæcula. Amen.

*Ant.* Hodie Simon Petrus ascendit crucis patibulum, alleluia. Hodie clavicularius regni gaudens migravit ad Christum. Hodie Paulus apostolus, lumen orbis terræ, inclinato capite pro Christi nomine martyrio coronatus est. Alleluia.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

ORATIO.

Deus, qui hodiernam diem apostolorum tuorum Petri et Pauli mysterio consecrasti: da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi præceptum, per quos religionis sumpsit exordium. Per Dominum.

## DIE 30 JUNII.

IN COMM. S. PAULI, APOST.

Evang. Matth. 10. 16, 22. *Ecce ego mitto.*

HYMNUS.

Egregie doctor, etc. *pag. 503.*

*Ant.* Sancte Paule. *Vers. et Resp. pag 499.*

ORATIO.

Deus qui multitudinem, etc. *pag. 499.*

EODEM DIE FIT COMM. S. PETRI, UT IN CONVERS. S. PAULI, 25 JANUARII.

INFRA OCTAVAM SS. APOST. PETRI ET PAULI.

*Ant.* Petrus apostolus et Paulus, doctor gentium, ipsi nos docuerunt legem tuam, Domine.

℣. Constitues eos principes super omnem terram.

℟. Memores erunt nominis tui, Domine.

ORATIO.

Deus, qui, etc. *pag. 536.*

## DOMINICA 1 JULII.

DE PRETIOSISSIMO SANGUINE D. N. J. C.

Evang. Joan. 19. 30, 35. *Cum accepisset Jesus acetum.*

HYMNUS.

Festivis resonent compita vocibus.
Cives lætitiam frontibus explicent,
Tædis flammiferis ordine prodeant
Instructi pueri et senes.

Quem dura moriens Christus in arbore
Fudit multiplici vulnere Sanguinem,
Nos facti memores dum colimus, decet
Saltem fundere lacrymas.

Humano generi pernicies gravis
Adami veteris crimine contigit:
Adami integritas et pietas novi
Vitam reddidit omnibus.

Clamorem validum summus ab æthere
Languentis Geniti si Pater audiit
Placari potius sanguine debuit,
Et nobis veniam dare.

Hoc quicumque stolam sanguine proluit,
Abstergit maculas, et roseum decus,
Quo fiat similis protinus Angelis,
Et Regi placeat, capit.

A recto instabilis tramite postmodum
Se nullus retrahat, meta sed ultima
Tangatur: tribuet nobile præmium,
Qui cursum Deus adjuvat.

Nobis propitius sis, Genitor potens,
Ut quos unigenæ Sanguine Filii
Emisti, et placido Flamine recreas,
Cœli ad culmina transferas. Amen.

*Ant.* Accessistis ad Sion montem, et civitatem Dei viventis, Jerusalem cœlestem, et testamenti novi mediatorem, Jesum, et sanguinis aspersionem melius loquentem quam Abel.

℣. Redemisti nos, Domine, in sanguine tuo.

℟. Et fecisti nos Deo nostro regnum.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui unigenitum Filium tuum mundi Redemptorem constituisti, ac ejus Sanguine placari voluisti: concede, quæsumus, salutis nostræ pretium solemni cultu ita venerari, atque a præsentis vitæ malis ejus virtute defendi in terris, ut fructu perpetuo lætemur in cœlis. Qui tecum

## DIE 2 JULII.

IN FESTO VISITATIONIS B.M.V.

Accepto ab Angelo diu expectato nuntio de incarnando Verbo Dei, Mater abiit cum festinatione per montana ad cognatam Elisabeth, ejusque servitio tres omnino menses impendit, non sine multiplici domus illius benedictione. Canticum ibidem cecinit: Magnificat, etc. *pag. 104.*

Evang. Lucæ 1. 39, 47. *Maria abiit in montana.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *pag. 323.*

*Ant.* Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Alleluia.

℣. Benedicta tu in mulieribus.

℟. Et benedictus fructus ventris tui.

ORATIO.

Famulis tuis, quæsumus Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium; Visitationis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. MART. PROCESSI ET MARTINIANI.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Deus, qui nos sanctorum martyrum tuorum Processi et Martiniani gloriosis confessionibus circumdas et

protegis : da nobis et eorum imitatione proficere, et intercessione gaudere. Per Dominum.

## DIE 6 JULII.

### IN OCT. SS. APOST. PETRI ET PAULI.

Evang. Matth. 14. 22, 33. *Compulit Jesus discipulos.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.*
*Ant.* Petrus apostolus *Vers. et Resp. pag. 537.*

ORATIO.

Deus, cujus dextera beatum Petrum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit : et coapostolum ejus Paulum, tertio naufragantem, de profundo pelagi liberavit : exaudi nos propitius et concede, ut amborum meritis æternitatis gloriam consequamur. Qui vivis.

## DIE 8 JULII.

### IN FESTO S. ELISABETH, REG. PORTUG.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Domare cordis impetus
Elisabeth
Fortis inopsque, Deo
Servire, regno prætulit.
En fulgidis recepta cœli sedibus,
Sidereæque domus
Ditata sanctis gaudiis.
Nunc regnat inter cœlites beatior,
Et premit astra, docens
Quæ vera sint regni bona.
Patri potestas, Filioque gloria ;
Perpetuumque decus
Tibi sit, alme Spiritus. Am.

*Ant.* Elisabeth, pacis et patriæ mater, in cœlo triumphans, dona nobis pacem.
℣. Ora pro nobis, beata Elisabeth.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

ORATIO.

Clementissime Deus, qui beatam Elisabeth reginam inter ceteras egregias dotes, bellici furoris sedandi prærogativa decorasti : da nobis ejus intercessione, post mortalis vitæ, quam suppliciter petimus, pacem, ad æterna gaudia pervenire. Per Dominum nostrum.

## DIE 10 JULII.

### IN FESTO SS. MART. SEPTEM FRATRUM AC RUFINÆ ET SECUNDÆ, VIRG. ET MART.

Evang. Matth. 12. 46, 50. *Loquente Jesu.*
*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. pag. 501.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos Martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

DIE 11 JULII.

COMM. S. PII, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

DIE 12 JULII.

IN FESTO S. JOANNIS GUALB. ABB.

Evang. Matth. 5. 43, 48. *Audistis quia dictum est.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. p. 497.*

ORATIO.

Intercessio, etc. *p. 262.*

EODEM DIE FIT COMM. SS. NABORIS ET FELICIS, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, Domine, ut, sicut nos sanctorum martyrum tuorum Naboris et Felicis natalitia celebranda non deserunt, ita jugiter suffragiis comitentur. Per Dominum.

DIE 13 JULII.

IN FESTO S. ANACLETI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

DIE 14 JULII.

IN FESTO S. BONAVENTURÆ, EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui populo tuo, etc. *pag. 262.*

DIE 15 JULII.

IN FESTO S. HENRICI, IMPER. ET MART.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic. vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui hodierna die beatum Henricum confessorem tuum e terreni culmine imperii ad regnum æternum

transtulisti: te supplices exoramus, ut sicut illum, gratiæ tuæ ubertate præventum, illecebras sæculi superare fecisti, ita nos facias ejus imitatione mundi hujus blandimenta vitare, et ad te puris mentibus pervenire. Per Dominum.

## DIE 16 JULII.

### IN FESTO B. M. V. DE MONTE CARMELO.

Evang. Lucæ 11. 27, 28. *Loquente Jesu ad turbas.*

#### HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant.* Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam solemnem commemorationem.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

#### ORATIO.

Deus, qui beatissimæ semper Virginis et Genitricis tuæ Mariæ singulari titulo Carmeli ordinem decorasti: concede, propitius, ut cujus hodie commemorationem solemni celebramus officio, ejus muniti præsidiis, ad gaudia sempiterna pervenire mereamur. Qui vivis.

## DIE 17 JULII.

### IN FESTO S. ALEXII, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

#### HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

#### ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 262.*

## DIE 18 JULII.

### IN FESTO S. CAMILLI DE LELLIS, CONF.

Evang. Joann. 15. 11, 15. *Hoc est præceptum meum.*

#### HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. p. 497.*

#### ORATIO.

Deus, qui sanctum Camillum ad animarum in extremo agone luctantium subsidium singulari charitatis prærogativa decorasti: ejus quæsumus, meritis spiritum nobis tuæ dilectionis infunde, ut in hora exitus nostri hostem vincere et ad cœlestem mereamur coronam pervenire. Per Dominum.

COMM. SS. SYMPHOROSÆ CUM SEPTEM FIL. MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Deus qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Symphorosæ et filiorum ejus natalitia colere ; da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

DIE 19 JULII.

IN FESTO S. VINCENTII A PAULO, CONF.

Evang. Lucæ 10. 1, 11. *Designavit Dominus.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. p. 496. *Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui ad evangelizandum pauperibus, et Ecclesiastici Ordinis decorem promovendum, beatum Vincentium apostolica virtute roborasti : præsta, quæsumus ; ut cujus pia merita veneramur, virtutum quoque instruamur exemplis. Per Dominum.

DIE 20 JULII.

IN FESTO S. HIERONYMI ÆMILIANI, CONF.

Evang. Matth. 19. 13, 21. *Oblati sunt Jesu parvuli.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Deus, misericordiarum Pater, per merita et intercessionem beati Hieronymi; quem orphanis adjutorem et patrem esse voluisti, concede: ut spiritum adoptionis, quo filii tui nominamur, et sumus, fideliter custodiamus. Per Dominum.

COMM. S. MARGARITÆ, VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. p. 499.*

ORATIO.

Indulgentiam, etc. *p. 262.*

DIE 21 JULII.

COMM. S. PRAXEDIS, VIRG.

*Ant.* Veni sponsa. *Vers et Resp. pag. 499.*

ORATIO.

Exaudi nos, etc. *pag. 262.*

DIE 22 JULII.

IN FESTO S. MARIÆ MAGDALENÆ.

Evang. Lucæ 7, 36, 50. *Mulier in civitate peccatrix.*

HYMNUS.

Pater superni luminis,
Cum Magdalenam respicis,

Flammas amoris excitas,
Geluque solvis pectoris.
Amore currit saucia
Pedes beatos ungere,
Lavare fletu, tergere
Comis, et ore lambere.
Adstare non timet cruci,
Sepulchro inhæret anxia,
Truces nec horret milites:
Pellit timorem Charitas.
O vera, Christe, Charitas,
Tu nostra purga crimina,
Tu corda reple gratia,
Tu redde cœli præmia.
Patri, simulque Filio,
Tibique, sancte Spiritus,
Sicut fuit, sit jugiter
Sæclum per omne gloria.
Amen.

*Ant.* Mulier, quæ erat in civitate peccatrix, attulit alabastrum unguenti, et stans retro secus pedes Domini, lacrymis cœpit rigare pedes ejus, et capillis capitis sui tergebat.

℣. Elegit eam Deus, et præelegit eam.

℟. In tabernaculo suo habitare fecit eam.

ORATIO.

Beatæ Mariæ Magdalenæ, quæsumus Domine, suffragiis adjuvemur: cujus precibus exoratus, quatriduanum fratem Lazarum vivum ab inferis resuscitasti. Qui vivis et regnas.

## DIE 23 JULII.

### IN FESTO S. APOLLINARIS, EPISC. ET MART.

Evang. Lucæ 22. 24, 30. *Facta est contentio.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *pag. 498.*

*Ant. Vers. et Resp. p. 498.*

ORATIO.

Deus, fidelium remunerator animarum, qui hunc diem beati Apolinaris sacerdotis tui martyrio consecrasti: tribue nobis, quæsumus, famulis tuis, ut cujus venerandam celebramus festivitatem, precibus ejus indulgentiam consequamur. Per Dominum.

ET FIT COMM. S. LIBORII, EPISC. ET CONF.

*Ant.* Sacerdos et Pontifex, et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *pag. 261.*

## DIE 24 JULII.

VIGILIA S. JACOBI, APOST.

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *pag. 260.*

EODEM DIE FIT COMM. S. CHRISTINÆ, VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. pag. 499.*

ORATIO.

Indulgentiam, etc. *pag. 262*

## DIE 25 JULII.

IN FESTO S. JACOBI. APOST.

Jacobus major, filius Zebedæi et Mariæ Salome, frater Joannis, quocum a Christo nomen Boanergis, id est, filii tonitrui reportavit : unus ex tribus illis, quos Christus secretissimis quibusque gestis testes adesse voluit. Jam ante Apostolorum dispersionem, tum in Judæa, tum in Hispania zelum suum ostendit. Ab Herode gladio percussus anno Christi 44, primus Apostolorum cœlum ingressus est. Sepulchrum ejus Compostellæ in Galæcia peregrinorum undequaque confluentium devotione est gloriosissimum.

Evang. Matth. 20. 20, 24. *Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus a dextris et alter a sinistris.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *pag. 509.*

*Ant.* Estote fortes. *Vers. et Resp. pag. 509.*

ORATIO.

Esto Domine, plebi tuæ sanctificator et custos : ut apostoli tui Jacobi munita præsidiis, et conversatione tibi placeat, et secura mente deserviat. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. CHRISTOPHORI, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Præsta.... ut qui, etc *pag. 261.*

## DIE 26 JULII.

IN FESTO S. ANNÆ, MATRIS B. M. V.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Fortem virili, etc. *p. 511.*

*Ant. Vers. et Resp. pag. 511.*

ORATIO.

Deus, qui beatæ Annæ gratiam conferre dignatus es, ut genitricis unigeniti Filii tui mater effici mereretur : concede, propitius, ut cujus solemnia celebra-

mus, ejus apud te patrociniis adjuvemur. Per eumdem Dominum.

DIE 27 JULII.

COMM. S. PANTALEONIS, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Præsta... ut intercedente, etc. *pag 261.*

DIE 28 JULII.

IN FESTO SS. MART. NAZARII, CELSI ET VICTORIS, AC INNOCENTII, PAPÆ ET CONF.

Evang. Lucæ 21. 9, 19. *Cum audieritis prælia.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc. *pag.500.*
*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. p. 501.*

ORATIO.

Sanctorum tuorum nos, Domine, Nazarii, Celsi, Victoris ac Innocentii confessio beata communiat, et fragilitati nostræ subsidium dignanter exoret. Per Dominum nostrum.

DIE 29 JULII.

IN FESTO S. MARTHÆ, VIRG.

Evang. Lucæ 10. 38, 42. *Intravit Jesus in quoddam.*

HYMNUS.

Jesu, Corona, etc. *pag. 501.*

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. p. 519.*

ORATIO.

Exaudi nos, etc. *pag. 262.*

EODEM DIE FIT COMM. SS FELICIS, SIMPLICII, FAUSTINI ET BEATRICIS, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. p. 500.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, Domine, ut sicut populus christianus martyrum tuorum Felicis, Simplicii, Faustini et Beatricis temporali solemnitate congaudet, ita perfruatur æterna ; et quod votis celebrat, comprehendat effectu. Per Dominum.

DIE 30 JULII.

COMM. SS. ABDON ET SENNEN, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Deus, qui sanctis tuis Abdon et Sennen ad hanc gloriam veniendi copiosum munus gratiæ contulisti : da famulis tuis suorum veniam peccatorum ; ut sanctorum tuorum intercedentibus meritis, ab omnibus mereamur adversitatibus liberari. Per Dominum nostrum.

## DIE 31 JULII.

IN FESTO S. IGNATII DE LOYOLA, CONF.

Evang. Marci 10. 1, 9. *Designavit Dominus et alios.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir, *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui ad majorem tui nominis gloriam propagandam, novo per beatum Ignatium subsidio militantem Ecclesiam roborasti : concede, ut ejus auxilio et imitatione certantes in terris, coronari cum ipso mereamur in cœlis. Qui vivis.

## DIE 1 AUGUSTI.

IN FESTO S. PETRI AD VINCULA.

Evang. Matth. 16. 13, 19. *Venit Jesu in partes.*

HYMNUS.

Miris modis repente liber ferrea
Christo jubente vincula Petrus exuit :
Ovilis ille pastor et rector gregis,
Vitæ recludit pascua et fontes sacros,
Ovesque servat creditas, arcet lupos.
Patri perenne sit per ævum gloria,
Tibique laudes concinamus inclytas,
Æterne Nate ; sit, superne Spiritus,
Honor tibi decusque ; sancta jugiter
Laudetur omne Trinitas per sæculum. Amen.

*Ant.* Solve jubente Deo terrarum, Petre, catenas; qui facis ut pateant cœlestia regna beatis.

℣. Tu es Petrus.

℟. Et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

ORATIO.

Deus, qui beatum Petrum Apostolum a vinculis absolutum, illæsum abire fecisti : nostrorum, quæsumus, absolve vincula peccatorum, et omnia mala a nobis propitiatus exclude. Per Dominum nostrum.

EODEM DIE FIT COMM. S. PAULI.

*Ut supra in Cathedra S. Petri, pag. 499.*

*Postea SS. Martyrum Machabæorum.*

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Fraterna nos, Domine, Martyrum tuorum corona lætificet : quæ et fidei nostræ præbeat incrementa virtutum, et multiplici nos suffragio consoletur. Per Dominum.

## DIE 2 AUGUSTI.

IN FESTO S. ALPONSI MARIÆ DE LIGORIO, CONF. PONT.

Evang. Lucæ 10. 1, 9. *Designavit Dominus et alios.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Deus, qui per beatum Alphonsum Mariam, confessorem tuum atque Pontificem, animarum zelo succensum, Ecclesiam tuam nova prole fœcundasti; quæsumus, ut ejus salutaribus monitis edocti et exemplis roborati, ad te pervenire feliciter valeamus. Per Dominum.

COMM. S. STEPHANI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

## DIE 3 AUGUSTI.

IN FESTO INV. S. STEPHANI, MARTYRIS.

Evang. Matth. 23. 34, 39. *Ecce ego mitto ad vos.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*

*Ant.* Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat signa magna in populo.

℣. Sepelierunt Stephanum viri timorati.

℟. Et fecerunt planctum magnum super eum.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere: quia ejus Inventionem celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

## DIE 4 AUGUSTI.

IN FESTO S. DOMINICI, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir, *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Dominici, confessoris tui illuminare dignatus es meritis et doctrinis: concede, ut ejus intercessione temporalibus non destituatur auxiliis, et spiritualibus semper proficiat incrementis. Per Dominum.

## DIE 5 AUGUSTI.

IN FESTO S. MARIÆ AD NIVES.

Evang. Lucæ 7. 27, 28. *Loquente Jesu.*

*Ant.* Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuam sanctam festivitatem.

℣. Dignare me laudare te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

Concede nos, etc. *p. 324.*

## DIE 6 AUGUSTI.

IN FESTO TRANSFIG. D. N. J. C.

Evang. Matth. 17. 1, 9. *Assumpsit Jesus.*

HYMNUS.

Quicumque Christum quæritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriæ.

Illustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum,
Antiquius cœlo et chao.

Hic ille Rex est gentium,
Populique Rex Judaici,
Promissus Abrahæ patri,
Ejusque in ævum semini.

Hunc et Prophetis testibus,
Iisdemque signatoribus,
Testator et Pater jubet
Audire nos et credere.

Jesu tibi sit gloria,
Qui te revelas parvulis,
Cum Patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

*Ant.* Christus Jesus, splendor Patris et figura substantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, in monte excelso gloriosus apparere hodie dignatus est.

℣. Gloriosus apparuisti in conspectu Domini.

℟. Propterea decorem induit te Dominus.

ORATIO.

Deus, qui fidei sacramenta in Unigeniti tui gloriosa transfiguratione, patrum testimonio roborasti: et adoptionem filiorum perfectam, voce delapsa in nube lucida, mirabiliter præsignasti: concede propitius; ut ipsius Regis gloriæ nos cohæredes efficias, et ejusdem gloriæ tribuas esse consortes. Per eumdem Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. XYSTI FELICISSIMI ET ACAPITI MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Deus qui nos concedis, etc. *pag. 261.*

## DIE 7 AUGUSTI.

IN FESTO S. CAJETANI, CONF.

Evang. Matth. 6. 24, 33. *Nemo potest duobus dominis servire.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Quærite primum regnum Dei et justitiam ejus, et hæc omnia adjicientur vobis.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

ORATIO.

Deus, qui beato Cajetano confessori tuo apostolicam vivendi formam imitari tribuisti: da nobis ejus intercessione et exemplo, in te semper confidere, et sola cœlestia desiderare. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. DONATI, EPISC. ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Deus, tuorum gloria sacerdotum, præsta, quæsumus, ut sancti martyris tui et episcopi Donati, cujus festa gerimus, sentiamus auxilium. Per Dominum nostrum.

## DIE 8 AUGUSTI.

IN FESTO SS. CYRIACI, LARGI ET SMARAGDI, MART.

Evang. Marc. 16. 15, 18. *Euntes in mundum.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc. *pag. 500.*

*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. 501.*

ORATIO.

Deus, qui nos annua sanctorum martyrum tuorum Cyriaci, Largi, et Smaragdi solemnitate lætificas: concede propitius; ut, quorum natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum.

## DIE 9 AUGUSTI.

IN VIG. S. LAURENTII, MART.

ORATIO.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris: et intercessione beati Laurentii martyris tui, cujus prævenimus festivitatem, perpetuam nobis misericordiam benignus impende. Per Dominum

EODEM DIE FIT COMM. S. ROMANI, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Præsta... ut intercedente, etc. *pag. 261.*

DIE 10 AUGUSTI.

IN FESTO S. LAURENTII, MART.

Evang. Joan. 12. 23, 26. *Nisi granum frumenti.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*

*Ant.* Beatus Laurentius, dum in craticula superpositus ureretur, ad impiissimum tyrannum dixit: Assatum est jam, versa et manduca: nam facultates Ecclesiæ, quas requiris, in cœlestes thesauros manus pauperum deportaverunt.

℣. Levita Laurentius bonum opus operatus est.

℞. Qui per signum crucis cæcos illuminavit.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare. Per Dominum.

DIE 11 AUGUSTI.

COMM. SS. TIBURTII ET SUSANNÆ, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Sanctorum martyrum tuorum Tiburtii et Susannæ nos, Domine, foveant continuata præsidia: quia non desinis propitius intueri, quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per Dominum.

DIE 12 AUGUSTI.

IN FESTO S. CLARÆ, VIRG.

Evang. Matth. 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. pag. 519.*

ORATIO.

Exaudi nos, etc. *p. 262.*

DIE 13 AUGUSTI.

COMM. SS. HIPOLYTI ET CASSIANI, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatorum martyrum tuorum Hippolyti et Cassiani veneranda solemnitas et devotionem nobis augeat et salutem. Per Dominum.

DIE 14 AUGUSTI.

IN VIGILIA ASSUMPT. B. M. V.

ORATIO.

Deus, qui virginalem aulam beatæ Mariæ, in qua habitares, eligere dignatus es: da, quæsumus, ut sua

nos defensione munitos, jucundos facias suæ interesse festivitati. Qui vivis.

EODEM DIE FIT COMM. S. EUSEBII, CONF.

*Ant.* Similabo eum. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati Eusebii confessoris tui annua solemnitate lætificas: concede propitius ; ut cujus natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

## DIE 15 AUGUSTI.

IN FESTO ASSUMPTIONIS B. M. V.

Evang. Lucæ 10. 38, 42. *Intravit Jesus in quoddam castellum.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant.* Hodie Maria Virgo cœlos ascendit: gaudete, quia cum Christo regnat in æternum.

℣. Exaltata est sancta Dei Genitrix.

℟. Super choros Angelorum ad cœlestia regna.

ORATIO.

Famulorum tuorum, quæsumus, Domine, delictis ignosce ; ut qui tibi placere de actibus nostris non valemus, Genitricis Filii tui Domini nostri intercessione salvemur. Qui tecum vivit et regnat.

DOM. INFRA OCT. ASSUMPT FESTUM S. JOACHIM, PATRIS B. M. V.

Evang. Matth. 1. 1, 16. *Liber generationis.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Laudemus virum gloriosum in generatione sua, quia benedictionem omnium gentium dedit illi Dominus: et testamentum suum confirmavit super caput ejus.

℣. Potens in terra erit semen ejus.

℟. Generatio rectorum benedicetur.

ORATIO.

Deus, qui præ omnibus Sanctis tuis beatum Joachim Genitricis Filii tui patrem esse voluisti: concede, quæsumus; ut cujus festa veneramur, ejus quoque perpetuo patrocinia sentiamus. Per eumdem Dominum.

## DIE 16 AUGUSTI.

IN FESTO S. HYACINTHI, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 262.*

DIE 17 AUGUSTI.

IN OCTAVA S. LAURENTII.

*Ant.* Beatus. *Vers. et Resp. pag. 550.*

ORATIO.

Excita, Domine, in Ecclesia tua Spiritum, cui beatus Laurentius levita servivit: ut eodem nos repleti, studeamus amare quod amavit, et opere exercere quod docuit. Per Dominum. In unitate ejusdem.

DIE 18 AUGUSTI.

COMM. S. AGAPITI, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Lætetur Ecclesia tua, Deus, beati Agapiti martyris tui confisa suffragiis: atque ejus precibus gloriosis et devota permaneat, et secura consistat. Per Dominum.

DIE 20 AUGUSTI.

IN FESTO S. BERNARDI, ABBATIS ET ECCL. DOCT.

Evang. Matt. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p.496.*

*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui populo, etc. *pag. 262.*

DIE 21 AUGUSTI.

IN FESTO S. JOANNÆ FRANCISCÆ FREMIOT DE CHANTAL, VIDUÆ.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cælorum thesauro.*

HYMNUS.

Fortem virili, etc. *pag. 511.*

*Ant.* Simile. *Vers. et Resp. pag. 555.*

ORATIO.

Omnipotens et misericors Deus, qui beatam Joannam Franciscam, tuo amore succensam admirabili spiritus fortitudine per omnes vitæ semitas; in via perfectionis donasti, quique per illam illustrare Ecclesiam tuam novo prole voluisti; ejus meritis et precibus concede, ut, qui infirmitatis nostræ conscii de tua virtute confidimus, cœlestis gratiæ auxilio, cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum.

DIE 22 AUGUSTI.

IN OCT. ASSUMPT. B. M. V.

*Ant.* Hodie Maria. *Vers. et Resp. pag. 551.*

ORATIO.

Famulorum. etc. *p. 551.*

EODEM DIE FIT COMM. SS. TIMOTHEI. HIPPOLYTI ET SYMPHORIANI, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Auxilium tuum nobis, Domine, quæsumus, placatus impende, et intercedentibus beatis martyribus tuis Timotheo, Hippolyto et Symphoriano, dexteram super nos tuæ propitiationis extende. Per Dominum.

## DIE 23 AUGUSTI.

IN FESTO S. PHILIPPI BENITII, CONF.

Evang. Lucæ 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui per beatum Philippum confessorem tuum eximium nobis humilitatis exemplum tribuisti: da famulis tuis, prospera mundi ex ejus imitatione despicere, et cœlestia semper inquirere. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. VIGILIÆ S. BARTHOLOMÆI, APOST.

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *p. 261.*

## DIE 24 AUGUSTI.

IN FESTO S. BARTHOLOMÆI, APOST.

Cappadocibus, majori Armeniæ, Indisque Christi legem annuntians, mirum in dæmones imperium exercuit, non tantum in idolis eos compescendo, sed etiam e corporibus, quæ invaserant, eos ejiciendo, uti id fecit erga ipsius Polymii regis filiam: cujus patris munera spernens, animam ejusdem cum 12 civitatibus Christo lucratus est: quam rem indigne ferens regis frater Astyages, pellem vivo detraxit, et capite truncavit.

Evang. Lucæ 6. 11, 19. *Jesus in monte orat: eligit duodecim.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.* *Ant.* Estote. *Vers. et Resp. pag. 509.*

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei venerandam sanctamque lætitiam in beati apostoli tui Bartholomæi festivitate tri-

buisti: da Ecclesiæ tuæ, quæsumus, et amare quod credidit, et predicare quod docuit. Per Dominum.

DIE 25 AUGUSTI.

IN FESTO S. LUDOVICI, REG. FRANCIÆ.

Evang. Lucæ 19, 12, 26. *Homo quidam nobilis.*

HYMNUS.

Iste confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Ludovicum confessorem tuum de terreno regno ad cœlestis regni gloriam transtulisti: ejus, quæsumus, meritis et intercessione, Regis regum Jesu Christi Filii tui facias nos esse consortes. Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus.

DIE 26 AUGUSTI.

COMM. S. ZEPHIRINI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus: ut beati Zephyrini, martyris tui atque Pontificis, cujus gaudemus meritis, instruamur exemplis. Per Dominum.

DIE 27 AUGUSTI.

IN FESTO S. JOSEPHI CALASANCTII, CONF.

Evang. Matth. 18. 1, 5. *Accesserunt discipuli ad Jesum.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui per sanctum Josephum confessorem tuum ad erudiendam spiritu intelligentiæ ac pietatis juventutem, novum Ecclesiæ tuæ subsidium providere dignatus es: præsta, quæsumus, nos ejus exemplo et intercessione ita facere et docere, ut præmia consequamur æterna. Per Dominum.

DIE 28 AUGUSTI.

IN FESTO S. AUGUSTINI, EPISC. CONF. ET DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Adesto supplicationibus

nostris, omnipotens Deus; et quibus fiduciam sperandæ pietatis indulges, intercedente beato Augustino, Confessore tuo atque Pontifice, consuetæ misericordiæ tribue benignus effectum. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. HERMETIS, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Hermetem martyrem tuum virtute constantiæ in passione roborasti: ex ejus nobis imitatione tribue, pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum.

## DIE 29 AUGUSTI

### IN FESTO DECOLLAT. S. JOANNIS BAPTISTÆ.

Evang. Marc. 6. 17. 29. *Misit Herodes.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*

*Ant.* Misit rex incredulus ministros detestabilis, et amputari jussit caput Joannis Baptistæ.

℣. Justus ut palma florebit.

℟. Sicut cedrus Libani multiplicabitur.

ORATIO.

Sancti Joannis Baptistæ præcursoris et martyris tui, quæsumus, Domine, veneranda festivitas, salutaris auxilii nobis præstet effectum. Qui vivis.

EODEM DIE FIT COMM. S. SABINÆ, MART.

*Ant.* Simile est regnum cœlorum homini negotiatori quærenti bonas margaritas: inventa una pretiosa, dedit omnia sua, et comparavit eam.

℣. Specie tua et pulchritudine tua.

℟. Intende, prospere procede et regna.

ORATIO.

Deus, qui inter, etc. *pag. 263.*

## DIE 30 AUGUSTI.

### IN FESTO S. ROSÆ A. S. MARIA, VIRG. LIMANÆ.

Evang. Matth. 25. 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. p. 519.*

ORATIO.

Bonorum omnium largitor, omnipotens Deus, qui beatam Rosam, cœlestis gra-

tiæ rore præventam, virginitatis et patientiæ decore Indis florescere voluisti: da nobis famulis tuis, ut in odorem suavitatis ejus currentes, Christi bonus odor effici mereamur. Qui tecum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. FELICIS ET ADAUCTI, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. p. 500.*

ORATIO.

Majestatem tuam, Domine, supplices exoramus, ut sicut nos jugiter Sanctorum tuorum commemoratione lætificas, ita semper supplicatione defendas. Per Dominum.

## DIE 31 AUGUSTI.

IN FESTO S. RAYMUNDI NONNATI, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui in liberandis fidelibus tuis ab impiorum captivitate, beatum Raymundum confessorem tuum mirabilem effecisti: ejus nobis intercessione concede, ut a peccatorum vinculis absoluti, quæ tibi sunt placita, liberis mentibus exequamur. Per Dominum.

## DIE 1 SEPTEMBRIS.

COMM. S. ÆGIDII, ABBATIS.

*Ant.* Similabo eum. *Vers. et Resp. p. 497.*

ORATIO.

Intercessio, etc. *pag. 262.*

EODEM DIE FIT COMM. SS. DUODECIM FRATRUM, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. p. 500.*

ORATIO.

Fraterna nos, etc. *p. 546.*

## DIE 2 SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. STEPHANI, HUNGARIÆ REGIS, CONF.

Evang. Lucæ 19. 12, 26. *Homo quidam nobilis.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Concede, quæsumus, Ecclesiæ tuæ, omnipotens Deus, ut beatum Stephanum confessorem tuum, quem regnantem in terris propagatorem habuit, propugnatorem habere mereatur gloriosum in cœlis. Per Dominum.

## DIE 4 SEPTEMBRIS.

*Hodie in multis locis celebratur festum S. Rosaliæ, virg. Panormitanæ.*

IN FESTO S. ROSALIÆ, VIRG. PANORM.

Evang. Matth. 25, 1, 12. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*
*Ant.* Veni sponsa. *Vers. et Resp. pag. 519.*

ORATIO.

Exaudi nos, Deus salutaris noster, ut sicut de beatæ Rosaliæ virginis tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu, et ejus, intercessione ab iracundiæ tuæ flagellis misericorditer liberemur. Per Dominum.

## DIE 5 SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. LAURENTII JUSTIN. CONF.

Evang. Matth. 25. 14, 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc, *p. 496.*
*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *p. 261.*

## DIE 8 SEPTEMBRIS.

IN NATIVITATE B. M. VIRG.

Evang. Matth. 1. 1, 16. *Liber generationis.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*
*Ant.* Nativitas tua, Dei Genitrix Virgo, gaudium annuntiavit universo mundo: ex te enim ortus est Sol justitiæ, Christus Deus noster, qui solvens maledictionem, dedit benedictionem; et confundens mortem, donavit nobis vitam sempiternam.

℣. Nativitas est hodie sanctæ Mariæ Virginis.

℞. Cujus vita inclyta cunctas illustrat Ecclesias.

ORATIO.

Famulis tuis, quæsumus, Domine, cœlestis gratiæ munus impertire: ut quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, Nativitatis ejus votiva solemnitas pacis tribuat incrementum. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. ADRIANI, MART.

*Ant.* Iste sanctus. *Vers. et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Præsta.. ut qui, etc. *p. 261.*

DOM. INFRA OCT. NATIV, B. M. V. FESTUM SS. NOMINIS EJUSDEM B. M. V.

Evang. Lucæ 1. 26, 38. *Missus est Angelus.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant. Ut in festo beatæ Mariæ ad Nives, mutando:* Tuam sanctam festivitatem *in* tui sancti Nominis commemorationem, *et Vers. ibid. pag. 548.*

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus, ut fideles tui, qui sub sanctissimæ Virginis Mariæ nomine et protectione lætantur: ejus pia intercessione a cunctis malis liberentur in terris, et ad gaudia æterna pervenire mereantur in cœlis. Per Dominum.

## DIE 9 SEPTEMBRIS.

COMM. S. GORGONII, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Sanctus tuus, Domine, Gorgonius, sua nos intercessione lætificet, et pia faciat solemnitate gaudere. Per Dominum.

## DIE 10 SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. NICOLAI TOLENT., CONF.

Evang. Lucæ 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Adesto, etc. *pag. 262.*

## DIE 11 SEPTEMBRIS.

COMM. SS. PROTI ET HYACINTHI MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Beatorum martyrum tuorum Proti et Hyacinthi nos, Domine, foveat pretiosa confessio, et pia jugiter intercessio tueatur. Per Dominum.

## DIE 14 SEPTEMBRIS.

IN FESTO EXALTAT. S. CRUCIS.

Cum salutifera Christi Crux a christiani nominis hoste Persarum regê Chosroe, occupata urbe Jerosolymitana, abducta fuisset in Persidem; dum Heraclius imperator post triplicem de hoste obtentam victoriam,

crucemque recuperatam, priori eam honori et loco, solemni pompa restituere vellet, ecce in ipsa urbis porta qua ad montem Calvariæ itur, vi occulta cogitur subsistere: nec progredi potest, nisi ubi, de Patriarchæ consilio, detracto omni splendore, nudum et humilem Christum nudipes et humili habitu imitatus fuisset, sicque demum feliciter signum triumphale restituit et exaltavit anno 629; cujus rei memoriam hac die Ecclesia recolit.

Evang. Joan. 12. 31, 36. *Nunc judicium est mundi.*

HYMNUS.

Vexilla Regis, etc. *pag. 444.*

*Stropha sexta ita hoc tempore dicitur:*

O Crux, ave, spes unica,
In hac triumphi gloria,
Piis adauge gratiam,
Reisque dele crimina.

*Ant.* O crux benedicta, quæ sola fuisti digna portare Regem cœlorum, et Dominum. Alleluia.

℣. Hoc signum Crucis erit in cœlo.

℟. Cum Dominus ad judicandum venerit.

ORATIO.

Deus, qui nos hodierna die exaltationis sanctæ Crucis annua solemnitate lætificas: præsta quæsumus, ut cujus mysterium in terra cognovimus, ejus redemptionis præmia in cœlo mereamur. Per eumdem.

## DIE 15 SEPTEMBRIS.

COMM. S. NICOMEDIS, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Adesto, Domine, populo tuo, ut beati Nicomedis martyris tui merita præclara suscipiens, ad impetrandam misericordiam tuam semper ejus patrociniis adjuvemur. Per Dominum nostrum.

## DOMINICA III. SEPT.

IN FESTO SEPTEM DOLORUM B. M. V.

Evang. Joan. 19. 25, 27. *Stabant juxta crucem.*

HYMNUS.

O quot undis lacrymarum,
Quo dolore volvitur,
Luctuosa de cruento
Dum revulsum stipite
Cernit ulnis incubantem
Virgo Mater Filium.

Os suave, mite pectus
Et latus dulcissimum,
Dexteramque vulneratam,
Et sinistram sauciam,
Et rubras cruore plantas
Ægra tingit lacrymis.

Centiesque milliesque
Stringit arctis nexibus

Pectus illud et lacertos,
Illa figit vulnera,
Sicque tota colliquescit
In doloris osculis.
Eja, Mater, obsecramus
Per tuas has lacrymas,
Filiique triste funus,
Vulnerumque purpuram,
Hunc tui cordis dolorem
Conde nostris cordibus.
Esto Patri, Filioque,
Et coævo Flamini,
Esto summæ Trinitati,
Sempiterna gloria:
Et perennis laus honorque
Hoc et omni sæculo. Amen.

*Ant.* Oppressit me dolor, et facies mea intumuit fletu, et palpebræ meæ caligaverunt.

℣. Regina Martyrum, ora pro nobis.

℟. Quæ juxta crucem Jesu constitisti.

ORATIO.

Deus, in cujus passione, secundum Simeonis prophetiam, dulcissimam animam gloriosæ Virginis et matris Mariæ doloris gladius pertransivit: concede propitius, ut qui dolores ejus venerando colimus, Passionis tuæ effectum felicem consequamur. Qui vivis.

## DIE 16 SEPTEMBRIS.

IN FESTO SS. MART. CORNELII ET CYPRIANI.

Evang. Lucæ 21. 9, 19. *Cum audieritis prælia.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc. *pag. 500.*

*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. pag. 501.*

ORATIO.

Beatorum, etc. *pag. 261.*

EODEM DIE FIT COMM. SS. EUPHEMIÆ, LUCIÆ ET GEMINIANI, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Præsta, Domine, precibus nostris cum exultatione proventum: ut sanctorum martyrum Euphemiæ, Luciæ et Geminiani, quorum diem passionis annua devotione recolimus, etiam fidei constantiam subsequamur. Per Dominum.

## DIE 17 SEPTEMBRIS.

IN FESTO IMPRES. S. STIGMATUM IN CORPORE S. FRANCIS.

Evang. Matth. 16. 24, 27 *Si quis vult post me venire.*

HYMNUS.

Iste Confessor, pag. 496.
*In tertio versu primæ strophæ dicitur:*
Hac die lætus meruit beata
Vulnera Christi.

*Ant.* Hic vir despiciens mundum et terrena triumphans, divitias cœlo condidit ore, manu.

℣. Signasti, Domine, servum tuum Franciscum.
℟. Signis redemptionis nostræ.

ORATIO.

Domine Jesu Christe, qui frigescente mundo, ad inflammandum corda nostra tui amoris igne, in carne beatissimi Francisci passionis tuæ sacra Stigmata renovasti: concede propitius, ut ejus meritis et precibus crucem jugiter feramus, et dignos fructus pœnitentiæ faciamus. Qui vivis.

## DIE 18 SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. JOSEPHI A CUPERTINO, CONF.

Evang. Matth. 22, 1, 14. *Simile factum est regnum cœlorum homini regi.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*
*Ant.* Existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam Jesu Christi Domini mei.
℣. Justum, etc. *pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum a terra omnia trahere disposuisti, perfice propitius, ut meritis et exemplo seraphici confessoris tui Josephi supra terrenas omnes cupiditates elevati, ad eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit.

## DIE 19 SEPTEMBRIS.

IN FESTO SS. MART. JANUARII, EPISC. ET SOC.

Evang. Matth. 24. 3, 13. *Sedente Jesu super montem.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc. *pag. 500.*
*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. pag. 501.*

ORATIO.

Deus, qui nos annua sanctorum martyrum tuorum Januarii et sociorum ejus solemnitate lætificas: præsta, quæsumus, ut quorum gaudemus meritis, accendamur exemplis. Per Dominum.

## DIE 20 SEPTEMBRIS.

IN FESTO SS. EUSTACHII ET SOC. MART.

Evang. Lucæ 6. 17, 23. *Descendens Jesus de monte.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc, *pag. 500.*
*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. pag. 501.*

ORATIO.

Deus, qui nos concedis martyrum tuorum Eustachii

et sociorum ejus natalitia colere; da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. VIGILIÆ S. MATTHÆI.

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *pag. 260.*

## DIE 21 SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. MATTHÆI, APOST. ET EVANG.

A telonio ad Christi scholam vocatus, Evangelium scripsit fidemque Parthis et Æthiopibus annuntiavit. Regis filiam a mortuis suscitavit, regemque cum universa provincia baptizavit, et tandem ob Christum et persuasum Iphigeniæ, regis filiæ Christianæ, virginitatis votum, ab Hirtaco rege sponsæ istius proco, ad aram securi percussus victima Deo factus est, an 90.

Evang, Lucæ 7. 27, 32. *Videns Jesus Publicanum ad telonium.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *pag. 509.*

*Ant. Vers. et Resp. pag. 509.*

ORATIO.

Beati apostoli et evangelistæ Matthæi, Domine, precibus adjuvemur: ut quod possibilitas nostra non obtinet, ejus nobis intercessione donetur. Per Dominum nostrum.

## DIE 22 SEPTEMBRIS.

IN FESTO S. THOMÆ DE VILLAN., EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 25. 14, 23. *Homo peregre proficiscens.*

*Ant.* Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in sæculum sæculi.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℞. Et ostendit illi regnum Dei.

ORATIO.

Deus, qui beatum Thomam Pontificem insignis in pauperes misericordiæ virtute decorasti: quæsumus, ut ejus intercessione in omnes, qui te deprecantur, divitias misericordiæ tuæ benignus effundas. Per Dominum.

COMM. SS. MAURITII ET SOC. MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Annue, quæsumus, omnipotens Deus, et sanctorum martyrum tuorum Mauritii et Sociorum ejus nos lætifi-

cet festiva solemnitas, ut quorum suffragiis nitimur, eorum natalitiis gloriemur. Per Dominum nostrum.

## DIE 23 SEPTEMBRIS.

### IN FESTO S. LINI, PAPÆ ET MART.

Evang. Lucæ 14. 26, 33. *Si quis venit ad me.*

HYMNUS.

Deus, tuorum etc, *p. 498.*
*Ant. Vers. et Resp. pag. 498.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

### EODEM DIE FIT COMM. S. THECLÆ VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni sponsa. *Vers. et Resp. pag. 499.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui beatæ Theclæ virginis et martyris tuæ natalitia colimus, et annua solemnitate lætemur, et tantæ fidei proficiamus exemplo. Per Dominum.

## DIE 24 SEPTEMBRIS.

### IN FESTO B. V. MARIÆ DE MERCEDE.

Evang. Lucæ 11. 27, 28. *Loquente Jesu ad turbas.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*
*Ant. Vers. et Resp. ut in festo B. M. V. ad Nives, pag. 548.*

ORATIO.

Deus, qui per gloriosissimam Filii tui Matrem ad liberandos Christi fideles a potestate paganorum, nova Ecclesiam tuam prole amplificare dignatus es: præsta, quæsumus, ut quam pie veneramur tanti operis institutricem, ejus pariter meritis et intercessione a peccatis omnibus et captivitate dæmonis liberemur. Per eumdem Dominum nostrum.

## DIE 26 SEPTEMBRIS.

### COMM. SS. CYPRIANI ET JUSTINÆ, MART.

*Ant.* Istorum est *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Beatorum martyrum Cypriani et Justinæ nos, Domine, foveant continuata præsidia: quia non desinis propitius intueri quos talibus auxiliis concesseris adjuvari. Per Dominum.

## DIE 27 SEPTEMBRIS.

### IN FESTO SS. MART. COSMÆ ET DAMIANI.

Evang. Lucæ 6. 17, 23. *Descendens Jesus de monte.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc. *pag. 500.* *Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. p. 501.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Cosmæ et Damiani natalitia colimus, a cunctis malis imminentibus eorum intercessionibus liberemur. Per Dominum.

## DIE 28 SEPTEMBRIS.

### IN FESTO S. WENCESLAI, DUCIS ET MART.

*Ant.* Qui vult. *Vers. et Resp. p. 498.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Wenceslaum per martyrii palmam a terreno principatu ad cœlestem gloriam transtulisti: ejus precibus nos ab omni adversitate custodi, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

## DIE 29 SEPTEMBRIS.

### IN FESTO DEDICAT. S. MICHAELIS, ARCHANG.

Merito Ecclesia S. Michaelis diem festum agit, ut quæ ejus curæ et tutelæ deputata est. Et hodie non illius tantum sacelli Archangeli, quod in hujus honorem consecratum est in monte Gargano, dedicatio celebratur; sed etiam illius, quod Romæ in ejusdem venerationem a Bonifacio Papa exædificatum est. Apparitionis autem illius in eodem monte Gargano memoria colitur 8 Maji.

Hac die omnes quoque sanctos angelos veneratur et invocat Ecclesia, quos inter etiam sunt Tutelares nostri.

Evang. Matth. 18. 1, 10 *Quis major est in regno cœlorum.*

HYMNUS.

Te splendor, etc. *p. 522* *Ant.* Princeps. *Vers. et Resp. p. 522.*

ORATIO.

Deus, qui miro ordine, etc. *pag, 523.*

## DIE 30 SEPTEMBRIS.

### IN FESTO S. HIERONYMI, PRESB. CONF. ET ECCL. DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor etc. *p. 496.* *Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiæ tuæ in exponendis sacris Scripturis beatum Hieronymum confessorem tuum, docto-

rem maximum providere dignatus es: præsta, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis, quod ore simul et opere docuit, te adjuvante exercere valeamus. Per Dominum.

## DOM. 1 OCTOBRIS.

FESTUM SS. ROSARII. B. M. V.

Evang. Lucæ. 11. 27, 28. *Loquente Jesu ad turbas.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant.* Sancta Maria. *Vers. et Resp. p. 548.*

ORATIO.

Deus, cujus Unigenitus per vitam, mortem et resurrectionem suam, nobis salutis æternæ præmia comparavit: concede, quæsumus, ut hæc Mysteria sanctissimo beatæ Mariæ virginis Rosario recolentes, et imitemur, quod continent, et quod promittunt, assequamur. Per eumdem Dominum.

## DIE 1 OCTOBRIS.

IN FESTO S. REMIGII, EP. CONF.

Evang. Matth. 25, 14. 23. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor etc. *p. 496.*

*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *pag. 261.*

## DIE 2 OCTOBRIS.

IN FESTO SS. ANGELOR. CUST.

Evang. Joan, 18. 1, 10. *Quis putas major est.*

HYMNUS.

Custodes hominum psallimus Angelos.
Naturæ fragili quos Pater addidit,
Cœlestis comites, insidiantibus.
Ne succumberet hostibus,
Nam quod corruerit proditor angelus.
Concessis merito pulsus honoribus,
Ardens invidia, pellere nititur
Quos cœlo Deus advocat.
Huc Custos igitur pervigil advola,
Avertens patria de tibi credita.
Tam morbos animi, quam requiescere
Quidquid non sinit incolas.
Sanctæ sit Triadi laus pia jugiter,
Cujus perpetuo numine machina
Triplex hæc regitur, cujus in omnia
Regnat gloria sæcula.
Amen.

*Ant.* Sancti Angeli Custodes nostri, defendite nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi, Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, et confitebor nomini tuo.

ORATIO.

Deus, qui ineffabili providentia sanctos Angelos tuos ad nostram custodiam mittere dignaris; largire supplicibus tuis, et eorum semper protectione defendi, et æterna societate gaudere. Per Dominum.

## DIE 4 OCTOBRIS.

IN FESTO S. FRANCISCI ASSIS., CONF.

Evang. Matth. 11. 25, 30. *Jugum meum suave est.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu novæ prolis amplificas; tribue nobis ejus imitatione terrena despicere, et cœlestium donorum semper participatione gaudere. Per Dominum.

## DIE 5 OCTOBRIS.

COMM. SS. PLACIDI ET SOCIORUM, MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Deus, qui nos concedis sanctorum martyrum tuorum Placidi et sociorum ejus natalitia colere; da nobis in æterna beatitudine de eorum societate gaudere. Per Dominum.

## DIE 6 OCTOBRIS.

IN FESTO S. BRUNONIS, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Sancti Brunonis confessoris tui, quæsumus, Domine, intercessionibus adjuvemur, ut qui Majestatem tuam graviter delinquendo offendimus, ejus meritis et precibus nostrorum delictorum veniam consequamur. Per Dominum.

## DIE 7 OCTOBRIS.

COMM. S. MARCI, PAPÆ CONF.

*Ant.* Sacerdos et Pontifex,

et virtutum opifex, pastor bone in populo, ora pro nobis Dominum.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

ORATIO

Exaudi, Domine, preces nostras, et interveniente beato Marco, confessore tuo atque Pontifice, indulgentiam nobis tribue placatus et pacem. Per Dominum.

COMM. SS. MART. SERGII, BACCHI, MARCELLI ET APULEII.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Sanctorum martyrum tuorum nos, Domine, Sergii, Bacchi, Marcelli et Apuleii beata merita prosequantur, et tuo semper faciant amore ferventes. Per Dominum.

## DIE 8 OCTOBRIS.

IN FESTO S. BIRGITTÆ, VIDUÆ.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cælorum thesauro.*

HYMNUS.

Fortem virili etc. *p. 511.*
*Ant. Vers. et Resp. pag. 511.*

ORATIO.

Domine Deus noster, qui beatæ Birgittæ per Filium tuum Unigenitum secreta cœlestia revelasti: ipsius pia intercessione da nobis famulis tuis, in revelatione sempiternæ gloriæ tuæ gaudere lætantes. Per eumdem Dominum.

## DIE 9 OCTOBRIS.

IN FESTO SS. DIONYSII, RUSTICI ET ELEUTHERII, MART.

Evang. Lucæ 12. 1, 8. *Attendite a fermento Pharisæorum.*

HYMNUS.

Sanctorum *etc. p. 500.*
*Ant.* Gaudent. *Vers. et Resp. 501.*

ORATIO.

Deus, qui hodierna die beatum Dionysium martyrem tuum atque Pontificem virtute constantiæ in passione roborasti, quique illi ad prædicandum gentibus gloriam tuam Rusticum et Eleutherium sociare dignatus es: tribue nobis, quæsumus, eorum imitatione, pro amore tuo prospera mundi despicere, et nulla ejus adversa formidare. Per Dominum.

## DIE 10 OCTOBRIS.

IN FESTO S. FRANCISCI BORGIÆ, CONF.

Evang. Matth. 19. 27, 29. *Ecce nos reliquimus omnia.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Domine Jesu Christe, veræ, humilitatis et exemplar et præmium, quæsumus, ut sicut beatum Franciscum in terreni honoris contemptu imitatorem tui gloriosum effecisti, ita nos ejusdem imitationis et gloriæ tribuas esse consortes. Qui vivis et regnas in sæcula sæculorum. Amen.

## DIE 13 OCTOBRIS.

IN FESTO S. EDUARDI, REGIS, CONF.

Evang. Lucæ, 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beatum regem Eduardum confessorem tuum æternitatis gloria coronasti: fac nos, quæsumus, ita eum venerari in terris, ut cum eo regnare possimus in cœlis. Per Dominum.

## DIE 14 OCTOBRIS.

IN FESTO S. CALLISTI, PAPÆ ET MART.

Evang. Matth. 10. 26, 33. *Nihil est opertum.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*

*Ant. Vers. et Resp. pag. 498,*

ORATIO.

Deus, qui nos conspicis ex nostra infirmitate deficere: ad amorem tuum nos misericorditer per sanctorum tuorum exempla restaura. Per Dominum.

## DIE 15 OCTOBRIS.

IN FESTO S. THERESIÆ, VIRG.

Evang. Matth. 25. 1, 13. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Regis superni nuntia,
Domum paternam deseris,
Terris, Teresa, barbaris
Christum datura aut sanguinem.

Sed te manet suavior
Mors, pœna poscit dulcior;
Divini amoris cuspide
In vulnus icta concides.

O charitatis victima!
Tu corda nostra concrema,
Tibique gentes creditas
Averni ab igne libera.

Sit laus Patri cum Filio,
Et Spiritu Paraclito,
Tibique, sancta Trinitas,
Nunc et per omne sæculum.
Amen.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. pag. 519.*

ORATIO.

Exaudi nos, Deus salutaris noster; ut, sicut de beatæ Teresiæ virginis tuæ festivitate gaudemus, ita cœlestis ejus doctrinæ pabulo nutriamur, et piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum nostrum.

## DIE 17 OCTOBRIS.

IN FESTO S. HEDWIGIS, VIDUÆ.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Fortem virili, etc. *p. 511.*
*Ant. Vers. et Resp. p. 511.*

ORATIO.

Deus, qui beatam Hedwigem a sæculi pompa ad humilem tuæ crucis sequelam toto corde transire docuisti: concede, ut ejus meritis et exemplo discamus perituras mundi calcare delicias, et in amplexu tuæ crucis omnia nobis adversantia superare. Qui vivis.

## DIE 18 OCTOBRIS.

IN FESTO S. LUCÆ, EVANG.

Patria Antiochenus, professione medicus et pictor; sed numquam felicior, quam cum Mariam depinxit. Christi vocatione ejusdem amanuensis, ut qui tum per ipsum, tum per Apostolos præclare gesta, litteris græcis consignavit. S. Pauli peregrinationis socius, postquam in Asia, Ægypto et aliis plurimis locis Christi legem promulgasset, mortem denique in Bithynia invenit, pro Magistri sui amore ex olea suspensus, fructus sane maturus, ut qui aliorum opinione annum agebat 80, aliorum 104, Corpus ejusdem Padua tenet.

Evang. Lucæ. 10. 1, 9. *Designavit Dominus et alios.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.*
*Ant. Vers. et Resp. p. 509.*

ORATIO.

Interveniat pro nobis, quæsumus, Domine, sanctus tuus Lucas evangelista: qui crucis mortificationem jugiter in suo corpore pro tui nominis honore portavit. Per Dominum.

## DIE 19 OCTOBRIS.

IN FESTO S. PETRI DE ALCANT. CONF.

Evang. Lucæ. 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Petrum confessorem tuum admirabilis pœnitentiæ et altissimæ contemplationis munere illustrare dignatus es: da nobis, quæsumus, ut ejus suffragantibus meritis carne mortificati, facilius cœlestia capiamus. Per Dominum.

## DIE 20 OCTOBRIS.

IN FESTO S. JOANNIS CANTII, CONF. NON PONT.

Evang. Lucæ, 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Gentis Polonæ gloria,
Clerique splendor nobilis,
Decus Lycei et patriæ
Pater, Joannes inclyte.
Legem superni Numinis
Doces magister, et facis:
Nil scire prodest: sedulo
Legem nitamur exequi.
Apostolorum limina
Pedes viator visitas;
Ad patriam ad quam tendimus;
Gressus viamque dirige.
Urbem petis Jerusalem,
Signata sacro sanguine
Christi colis vestigia,
Rigasque fusis fletibus.
Acerba Christi vulnera,
Hærete nostris cordibus,
Ut cogitemus consequi
Redemptionis præmium.
Te prona mundi machina
Clemens adoret Trinitas,
Et nos novi per gratiam
Novum canamus canticum.
Amen.

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. p. 497.*

ORATIO.

Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut sancti Joannis Confessoris exemplo in scientia sanctorum proficientes, atque aliis misericordiam exhibentes, ejus meritis indulgentiam apud te consequamur. Per Dominum.

## DIE 21 OCTOBRIS.

IN FESTO S. HILARIONIS, ABB.

Evang. Matth. 19. 27, 29. *Ecce nos reliquimus.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Similabo eum. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Intercessio, etc. *p. 262.*

EODEM DIE FIT COMM. SS. URSULÆ ET SOCIARUM.

*Ant.* Prudentes virgines, aptate vestras lampades, ecce sponsus venit, exite obviam ei.

℣. Adducentur regi virgines post eam.

℟. Proximæ ejus afferentur tibi.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine Deus noster, sanctarum virginum et martyrum tuarum Ursulæ et sociarum ejus palmas incessabili devotione venerari: ut quas digna mente non possumus celebrare, humilibus saltem frequentemus obsequiis. Per Dominnm.

## DIE 24 OCTOBRIS.

*Hodie in multis locis celebratur festum S. Raphaelis archangeli.*

IN FESTO S. RAPHAELIS ARCHANGELI.

Evang. Joan. 5. 1, 4. *De probatica piscina.*

HYMNUS.

Tibi, Christe, splendor Patris,
Vita, virtus cordium,
In conspectu Angelorum
Votis, voce psallimus;
Alternantes concrepando
Melos damus vocibus.

Collaudamus venerantes
Omnes cœli principes;
Sed præcipue fidelem
Medicum et comitem
Raphaelem in virtute
Alligantem dæmonem.

Quo custode procul pelle,
Rex Christe piissime,
Omne nefas inimici,
Mundo corde, et corpore
Paradiso redde tuo
Nos sola clementia.

Gloriam Patri melodis
Personemus vocibus:
Gloriam Christo canamus,
Gloriam Paraclito,
Qui trinus et unus Deus
Extat ante sæcula. Amen.

*Ant.* Princeps gloriosissime, Raphael archangele, esto memor nostri, hic et ubique semper precare pro nobis Filium Dei.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.

℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

ORATIO.

Deus, qui beatum Raphaelem archangelum Tobiæ famulo tuo comitem dedisti in via: concede nobis famulis tuis, ut ejusdem semper protegamur custodia, et muniamur auxilio. Per Dominum.

## DIE 25 OCTOBRIS.

IN FESTO SS. MART. CHRYSANTHI ET DARIÆ.

Evang. Lucæ 11. 43, 50. *Væ vobis qui ædificatis.*

HYMNUS.

Sanctorum, etc. *p. 500.* *Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Beatorum martyrum tuorum, Domine, Chrysanthi et Dariæ, quæsumus, adsit nobis oratio: ut quos veneramur obsequio, eorum pium jugiter experiamur auxilium. Per Dominum.

## DIE 26 OCTOBRIS.

COMM. S. EVARISTI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

## DIE 27 OCTOBRIS.

IN VIGILIA, SS. SIMONIS ET JUDÆ, APOST.

ORATIO.

Concede, quæsumus, omnipotens Deus: ut, sicut apostolorum tuorum Simonis et Judæ gloriosa natalitia prævenimus; sic ad tua beneficia promerenda, Majestatem tuam pro nobis ipsi præveniant. Per Dominum.

## DIE 28 OCTOBRIS.

IN FESTO SS. APOST. SIMONIS ET JUDÆ.

Filii Mariæ Cleophæ, fratres Jacobi Minoris, Deiparæ consanguinei. Ille in Ægypto, hic in Mesopotamia primum Christi legem annuntiat. Deinde in Perside juncti, missa sub Christi jugum innumera multitudine, ambo demum uno eodemque tempore de morte triumphant. Judas jam ante allata ad Abagatum Edessæ regem Jesu imagine, cubiculoque regio cœlesti luce perfuso, regem ipsum sanitati tum mentis tum corporis restituit.

Evang. Joan. 13, 17, 25. *Hæc mando vobis, ut diligatis.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.* *Ant. Vers. et Resp. p. 509.*

ORATIO

Deus, qui nos per beatos apostolos tuos Simonem et Judam ad agnitionem tui nominis venire tribuisti: da nobis eorum gloriam sempiternam et proficiendo cele-

brare, et celebrando proficere. Per Dominum.

## DIE 31 OCTOBRIS.

### IN VIG. OMNIUM SANCTORUM.

ORATIO.

Domine Deus noster, multiplica super nos gratiam tuam, et quorum prævenimus gloriosa solemnia, tribue subsequi in sancta professione lætitiam. Per Dominum.

### FESTUM PATROCINII B. V. M.

*Hoc festum in multis locis celebratur una e diebus dominicis Novembris.*

Evang. Lucæ 11. 27, 28. *Extollens vocem quædam mulier.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant.* Sancta Maria, succurre miseris, juva pusillanimes, refove flebiles, ora pro populo, interveni pro clero, intercede pro devoto femineo sexu: sentiant omnes tuum juvamen, quicumque celebrant tuum sanctum patrocinium.

℣. Dignare me laudere te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

Concede nos, etc. *p. 324.*

## DIE 1 NOVEMBRIS.

### IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

Evang. Matth. 5. 1, 2. *Videns Jesus turbas ascendit.*

HYMNUS.

Placare, Christe, servulis.
Quibus Patris clementiam
Tuæ ad tribunal gratiæ
Patrona Virgo postulat.

Et vos beata per novem
Distincta gyros Agmina,
Antiqua cum præsentibus,
Futura damna pellite.

Apostoli cum vatibus,
Apud severum judicem,
Veris reorum fletibus
Exposcite indulgentiam.

Vos purpurati Martyres,
Vos candidati præmio
Confessionis exules
Vocate nos in patriam.

Chorea casta Virginum,
Et quos eremus incolas
Transmisit astris, cœlitum
Locate nos in sedibus.

Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus,
Ut unus omnes unicum
Ovile nos pastor regat.

Deo Patri sit gloria,
Natoque patris unico,
Sancto simul Paraclito,
In sempiterna sæcula. Amen.

*Ant.* O quam gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti! Amicti stolis albis,

sequuntur Agnum quocumque ierit.

℣. Exultabunt Sancti in gloria.

℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub una tribuisti celebritate venerari : quæsumus, ut, desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam multiplicatis intercessoribus largiaris. Per Dominum.

## DIE 2 NOVEMBRIS.

COMM. OMNIUM FIDELIUM DEFUNCTORUM.

*Officium defunctorum magnum pag. 401 ; parvum, pag. 263.*

## DIE 4 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. CAROLI BORROMÆI, EPISC. ET CONF.

Evang. Matth. 15. 14, 25. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc.*p. 496.*
*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Ecclesiam tuam, Domine, sancti Caroli confessoris tui atque Pontificis continua protectione custodi; ut, sicut illum pastoralis sollicitudo gloriosum reddidit, ita nos ejus intercessio in tuo semper faciat amore ferventes. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. VITALIS ET AGRICOLÆ MART.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Vitalis et Agricolæ solemnia colimus, eorum apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

## DIE 8 NOVEMBRIS.

COMM. SS. MART. QUATUOR CORONAT.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos martyres fortes in sua confessione cognovimus, pios apud te in nostra intercessione sentiamus. Per Dominum.

## DIE 9 NOVEMBRIS.

IN DEDICAT. BASILICÆ SALV.

*Ut in Dedicatione Ecclesiæ pag. 586.*

EODEM DIE FIT COMM. S. THEODORI, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati Theodori martyris tui confessione gloriosa circumdas et protegis: præsta nobis, ex ejus imitatione proficere, et oratione fulciri. Per Dominum.

## DIE 10 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. ANDREÆ AVELLINI, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste confesssor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui in corde beati Andreæ confessoris tui, per arduum quotidie in virtutibus proficiendi votum, admirabiles ad te ascensiones disposuisti: concede nobis ipsius meritis et intercessione, ita ejusdem gratiæ participes fieri, ut, perfectiora semper exequentes ad gloriæ tuæ fastigium feliciter perducamur. Per Dominum nostrum.

EODEM DIE FIT COMM. SS. MART. TRYPHONIS, RESPICII ET NYMPHÆ.

*Ant.* Istorum est. *Vers. et Resp. pag. 500.*

Fac nos, quæsumus, Domine, sanctorum martyrum tuorum Tryphonis, Respicii et Nymphæ semper festa sectari, quorum suffragiis protectionis tuæ dona sentiamus. Per Dominum.

## DIE 11 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. MARTINI, EP. ET CONF.

Evang. Lucæ 11. 33, 36. *Nemo ascendit lucernam.*

HYMNUS.

Iste Confessor. etc. *p. 496.* *Ant.* O beatum pontificem. qui totis visceribus diligebat Christum Regem, et non formidabat imperii principatum! o sanctissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrii non amisit.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas.

℟. Et ostendit illi regnum Dei.

ORATIO.

Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute sub-

sistimus: concede propitius; ut intercessione beati Martini confessoris tui atque Pontificis contra omnia adversa muniamur. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. S. MENNÆ MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. p. 495.*

ORATIO.

Præsta.. ut, qui, etc. *p. 261.*

DIE 12 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. MARTINI, PAPÆ ET MART.

Evang. Lucæ 14. 26, 33. *Si quis venit ad me.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*
*Ant. Vers. et Resp. p. 498.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

DIE 13 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. DIDACI, CONF.

Evang. Lucæ 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dispositione mirabili infirma mundi elegis, ut fortia quæque confundas: concede propitius, humilitati nostræ, ut, piis beati Didaci confessoris tui precibus ad perennem in cœlis gloriam sublimari mereamur. Per Dominum.

DIE 15 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. GERTRUDIS, VIRG. ET ABB. ORD. S. BENEDICTI.

Evang. Matth. 25. 1, 13. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*
*Ant.* Veni sponsa. *Vers. et Resp. pag. 519.*

ORATIO.

Deus, qui in corde beatæ Gertrudis virginis jucundam tibi mansionem præparasti: ipsius meritis et intercessione cordis nostri maculas clementer absterge, et ejusdem tribue gaudere consortio. Per Dominum.

DIE 17 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. GREGORII THAUMAT., EPISC. ET CONF.

Evang. Marc. 11. 22, 24. *Habete fidem Dei.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *p. 261.*

DIE 18 NOVEMBRIS.

IN DEDICAT. BASILICÆ SS. APOST. PETRI ET PAULI.

*Ut in Dedic. Eccl. p. 586.*

DIE 19 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. ELISABETH, VIDUÆ.

Evang. Matth. 13. 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Fortem virili, etc. *p. 511.* *Ant. Vers. et Resp. p. 511.*

ORATIO.

Tuorum corda fidelium Deus miserator illustra; et beatæ Elisabeth precibus gloriosis fac nos prospera mundi despicere, et cœlesti semper consolatione gaudere. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COM. S. PONTIANI, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

DIE 20 NOVEMBRIS.

IN FESTO S. FELICIS VALESII, CONF.

Evang. Lucæ. 12. 32, 34. *Nolite timere pusillus grex.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. p. 497.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Felicem confessorem tuum ex eremo ad munus redimendi captivos cœlitus vocare dignatus es: præsta, quæsumus; ut per gratiam tuam ex peccatorum nostrorum captivitate ejus intercessione liberati, ad cœlestem patriam perducamur. Per Dominum.

DIE 21 NOVEMBRIS.

IN FESTO PRÆSENTAT. B.M.V

Evang. Lucæ 11. 27, 28. *Beatus venter.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *p. 323.*

*Ant.* Beata Dei Genitrix Maria, Virgo perpetua, templum Domini, sacrarium Spiritus sancti, sola sine exemplo placuisti Domino nostro Jesu Christo. Alleluia.

℣. Dignare me laudere te, Virgo sacrata.

℟. Da mihi virtutem contra hostes tuos.

ORATIO.

Deus, qui beatam Mariam semper Virginem Spiritus

sancti habitaculum, hodierna die in templo præsentari voluisti: præsta, quæsumus; ut, ejus intercessione in templo gloriæ tuæ præsentari mereamur. Per Dominum. In unitate ejusdem.

## DIE 22 NOVEMBRIS.

### IN FESTO S. CÆCILIÆ, VIRG. ET MART.

Evang. Matth. 25. 1, 13. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*

*Ant.* Virgo gloriosa semper Evangelium Christi gerebat in pectore suo, et non diebus neque noctibus a colloquiis divinis et oratione cessabat.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℟. Propterea benedixit te Deus in æternum.

ORATIO.

Deus, qui nos annua beatæ Cæciliæ Virginis et Martyris tuæ solemnitate lætificas: da, ut, quam veneramur officio, etiam piæ conversationis sequamur exemplo. Per Dominum nostrum.

## DIE 23 NOVEMBRIS.

### IN FESTO S. CLEMENTIS, PAPÆ ET MART.

Evang. Matth. 24. 42, 47. *Vigilate, quia nescitis.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *pag. 498.*

*Ant.* Oremus omnes ad Dominum Jesum Christum, ut confessoribus suis fontis venam aperiat.

℣. Gloria et honore coronasti eum, Domine.

℟. Et constituisti eum super opera manuum tuarum.

ORATIO.

Deus, qui nos annua beati Clementis, Martyris tui atque Pontificis solemnitate lætificas: concede propitius, ut cujus natalitia colimus, virtutem quoque passionis imitemur. Per Dominum.

### EODEM DIE FIT COM. S, FELICITATIS, MART.

*Ant.* Simile est. *Vers. et Resp. pag. 555.*

ORATIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus. ut beatæ Felicitatis martyris tuæ solemnia recensentes, meritis ipsius protegamur et precibus. Per Dominum.

## DIE 24 NOVEMBRIS.

### IN FESTO S. JOANNIS A CRUCE, CONF.

Evang. Lucæ 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*

*Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. p. 497.*

ORATIO.

Deus, qui sanctum Joannem confessorem tuum perfectæ sui abnegationis et Crucis amatorem eximium effecisti: concede, ut, ejus imitationi jugiter inhærentes, gloriam assequamur æternam. Per Dominum.

DEINDE FIT COMM. S. CHRYSOGONI, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, ut qui ex iniquitate nostra reos nos esse cognoscimus, beati Chrysogoni martyris tui intercessione liberemur. Per Dominum.

## DIE 25 NOVEMBRIS.

IN FESTO. S. CATHARINÆ, VIRG. ET MART.

Evang. Matth. 25. 1, 13. *Simile erit regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*

*Ant.* Veni sponsa. *Vers. t Resp. pag 499.*

ORATIO.

Deus, qui dedisti legem Moysi in summitate montis Sinai, et in eodem loco per sanctos Angelos tuos corpus beatæ Catharinæ Virginis et Martyris tuæ mirabiliter collocasti: præsta, quæsumus; ut, ejus meritis et intercessione ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus. Qui tecum vivit.

## DIE 26 NOVEMBRIS.

COMM. S. PETRI ALEXANDRINI, EPISC. ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *p. 261.*

## DIE 29 NOVEMBRIS.

COMM. S. SATURNINI, MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati Saturnini Martyris tui concedis natalitio perfrui; ejus nos tribue meritis adjuvari. Per Dominum.

EODEM DIE FIT COMM. VIGILIÆ S. ANDREÆ, APOST.

ORATIO.

Quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Andreas

Apostolus, cujus prævenimus festivitatem, tuum pro nobis imploret auxilium; ut a nostris reatibus absoluti, a cunctis etiam periculis eruamur. Per Dominum.

## DIE 30 NOVEMBRIS.

### IN FESTO S. ANDREÆ, APOST.

Bethsaida Galilææ oriundus, germanus Petri, discipulus Joannis Baptistæ, unde in scholam Christi translatus est, doctrinam, quam in ea didicit, Scythiæ primo, mox Epiro et Thraciæ, tum Achaiæ intulit, ubi cum contra proconsulem Ægeam, Crucis acerrimum inimicum, fortiter rem gereret, ab eodem virgis cæsus, in crucem raptus est, quam ille a longe conspectam amicissime salutans, et mira gestientis animi lætitia complexus, velut suggestum cupidissime conscendit, ab eaque ad viginti millium hominum multitudinem verba de Christo faciens, multos convertit: ac denique cœlesti splendore coruscans ad Magistrum abiit.

Evang. Matth. 4, 8, 22. *Ambulans Jesus ad mare Galilææ.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.* *Ant.* Cum pervenisset beatus Andreas ad locum, ubi crux parata erat, exclamavit et dixit: O bona crux, diu desiderata, et jam concupiscenti animo præparata: securus et gaudens venio ad te: ita et tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te.

℣. Annuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

ORATIO.

Majestatem tuam, Domine, suppliciter exoramus: ut sicut Ecclesiæ tuæ beatus Andreas apostolus extitit prædicator et rector; ita apud te sit pro nobis perpetuus intercessor. Per Dominum.

## DIE 2 DECEMBRIS.

### IN FESTO S. BIBIANÆ, VIRG. ET MART.

Evang. Matth, 13, 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *pag. 501.* *Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. p. 499.*

ORATIO.

Deus, omnium largitor bonorum, qui in famula tua Bibiana cum virginitatis flore martyrii palmam conjunxisti: mentes nostras ejus intercessione tibi cha-

ritate conjunge, ut amotis periculis, præmia consequamur æterna. Per Dominum.

## DIE 3 DECEMBRIS.

### IN FESTO S. FRANCISCI XAVERII, CONF.

Evang. Marc. 16. 15, 20. *Euntes in mundum.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.* *Ant.* Hic vir. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Deus, qui Indiarum gentes beati Francisci prædicatione et miraculis Ecclesiæ tuæ aggregare voluisti: concede propitius; ut, cujus gloriosa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum.

## DIE 4 DECEMBRIS.

### IN FESTO S. PETRI CHRYSOLOGI, EPISC. ET DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 19. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Petre, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

℣. Amavit eum Dominus, et ornavit eum.

℟. Stolam gloriæ induit eum.

ORATIO.

Deus, qui beatum Petrum Chrysologum, Doctorem egregium, divinitus præmonstratum ad regendam et instruendam Ecclesiam tuam eligi voluisti: præsta, quæsumus; ut quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per Dominum.

### EODEM DIE FIT COMM. S. BARBARÆ, VIRG. ET MART.

*Ant.* Veni, sponsa. *Vers. et Resp. p. 499.*

ORATIO.

Deus, qui inter, etc. *pag. 262.*

## DIE 5 DECEMBRIS.

### COMM. S. SABBÆ, ABBATIS.

*Ant.* Similabo eum. *Vers. et Resp. pag. 497.*

ORATIO.

Intercessio, etc. *pag. 262.*

## DIE 6 DECEMBRIS.

### IN FESTO S. NICOLAI, EP. CONF.

Evang. Matth. 25, 14, 22. *Homo peregre proficiscens.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. p. 504.*

ORATIO.

Deus, qui beatum Nicolaum Pontificem innumeris decorasti miraculis: tribue, quæsumus; ut, ejus meritis et precibus a gehennæ incendiis liberemur. Per Dominum.

## DIE 7 DECEMBRIS.

IN FESTO S. AMBROSII, EPISC. CONF. ET DOCT.

Evang. Matth. 5. 13, 16. *Vos estis sal terræ.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* O Doctor. *Vers. et Resp. pag. 504.*

## DIE 8 DECEMBRIS.

IN FESTO IMM. CONCEPT. B. M. V.

Evang. Lucæ 1.
*Missus est angelus Gabriel.*

HYMNUS.

Ave, maris, etc. *pag. 323.*
*Ant.* Hodie egressa est virga de radice Jesse: hodie sine ulla peccati labe concepta est Maria: hodie contritum est ab ea caput serpentis antiqui. Alleluia.

℣. Immaculata Conceptis est hodie Sanctæ Mariæ Virginis.

℟. Quæ serpentis caput virgines pede contrivit.

ORATIO.

Deus, qui per Immaculatam Virginis Conceptionem dignum filio tuo habitaculum præparasti: quæsumus; ut, qui ex morte ejusdem Filii tui prævisa, eam ab omni labe præservasti, nos quoque mundos ejus intercessione ad te pervenire concedas. Per eumdem Dominum.

## DIE 10 DECEMBRIS.

COMM. S. MELCHIADIS, PAPÆ ET MART.

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Infirmitatem, etc. *pag. 261.*

## DIE 11 DECEMBRIS.

IN FESTO S. DAMASI, PAPÆ CONF.

Evang. Matth. 24. 42, 47. *Vigilate, quia nescitis.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *pag. 496.*

*Ant.* Dum essset. *Versus et Resp. pag. 521.*

ORATIO.

Exaudi, Domine, preces nostras, et interveniente beato Damaso, Confessore tuo atque Pontifice, indulgentiam nobis tribue placatus et pacem. Per Dominum.

## DIE 13 DECEMBRIS.

IN FESTO S. LUCIÆ, VIRG. ET MART.

Evang. Matth. 13, 44, 52. *Simile est regnum cœlorum.*

HYMNUS.

Jesu, corona, etc. *p. 501.*

*Ant.* In tua patientia possedisti animam tuam, Lucia, sponsa Christi: odisti quæ in mundo sunt, et coruscas cum Angelis: sanguine proprio inimicum vicisti.

℣. Diffusa est gratia in labiis tuis.

℞. Propterea benedixit te Deus in æternum.

ORATIO.

Exaudi nos, Deus, salutaris noster, ut sicut de beatæ Luciæ Virginis et Martyris, tuæ festivitate gaudemus, ita piæ devotionis erudiamur affectu. Per Dominum.

## DIE 16 DECEMBRIS.

IN FESTO EUSEBII, EPISC. ET MART.

Evang. Matth. 16. 24, 27. *Si quis vult post me venire.*

HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*

*Ant.* Iste Sanctus. *Vers. et Resp. pag. 495.*

ORATIO.

Deus, qui nos beati, etc. *pag. 261.*

## DIE 18 DECEMBRIS.

*Hodie in multis locis celebratur festum Expectationis partus B. M. V.*

IN FESTO EXPECT. PARTUS B. M. V.

Evang. Lucæ. 1. 26, 38. *Missus est Angelus Gabriel.*

HYMNUS.

Creator alme, etc. *p. 422.*

*Ant.* O Virgo virginum, quomodo fiet istud? quia nec primam similem visa es, nec habere sequentem. Filiæ Jerusalem, quid me admiramini? Divinum est mysterium hoc, quod cernitis.

℣. Ave, Maria, gratia plena.

℞. Dominus tecum.

ORATIO.

Deus, qui de beatæ Ma-

riæ Virginis utero Verbum tuum, Angelo nuntiante, carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, ejus apud te intercessionibus adjuvemur. Per Dominum.

## DIE 20 DECEMBRIS.

### COMM. VIGIL. S. THOMÆ APOST.

#### ORATIO.

Da quæsumus, etc. *pag. 260.*

## DIE 21 DECEMBRIS.

### IN FESTO S. THOMÆ APOST.

Galilæus, a retibus ad Christum vocatus, palpando demum fidem doctus est, quam deinde Parthos, Medos, Persas, Hircanos, Bactros, Indosque docuit incredibili profectu. Meliapore ingentis molis arborem. quam multi et homines et elephanti movere loco frustra tentarant, obsequentem ipse cingulo suo per decem milliaria tractam templi structuræ devovit, simulque vaticinium edidit, cum mare illuc pertingeret, affuturos, qui quod ipse nunc fidei lumen præferret, extinctum reaccenderent: quod factum incensore S. Francisco Xaverio novimus. Ibidem cum sacrificulorum unus trucidato filio scelus Thomæ affinxisset, resuscitatus ab eo infans disertis verbis Thomam absolvit, et patrem suum damnavit. Denique ante crucis signum precantem Thomam impii sacrificuli sagittis primum, tum hasta trajecerunt, anno 73.

Evang. Joan. 20. 26, 29. *Thomas, unus ex duodecim.*

#### HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.*

*Ant.* Quia vidisti me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt. Alleluia.

℣. Anuntiaverunt opera Dei.

℟. Et facta ejus intellexerunt.

#### ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine, beati apostoli tui Thomæ solemnitatibus gloriari: ut, ejus semper et patrociniis sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur. Per Dominum.

## DIE 26 DECEMBRIS.

### IN FESTO S. STEPHANI, PROTOMART.

Evang. Matth. 23, 34, 39. *Ecce ego mitto ad vos.*

#### HYMNUS.

Deus, tuorum, etc. *p. 498.*

*Ant.* Sepelierunt Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum.

℣. Stephanus vidit cœlos apertos.

℟. Vidit et introivit: beatus homo, cui cœli patebant.

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, Domine, imitari quod colimus, ut discamus et inimicos diligere: quia ejus natalitia celebramus, qui novit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum.

*Die* 2 *Jan. in Octava S. Stephani, Ant.* Sepelierunt. *Vers.* Stephanus vidit.

## DIE 27 DECEMBRIS.

### IN FESTO S. JOANNIS, APOST. ET EVANG.

Filius Zebedæi et Mariæ Salome, frater Jacobi Majoris, una cum hoc a Christo Boanerges, id est filius tonitrui, at a Dionysio Areopagita Sol evangelii appellatus fuit. Ipse est discipulus, quem diligebat Jesus, qui et recubuit in cœna super pectus ejus, cui virgini virginem Matrem e cruce Jesus virgo commendavit. In sorte Apostolorum Asia ipsi cecidit; venenum innoxium bibit, nec a fervente oleo lædi potuit. Illud unum semper in ore habuit: Filioli, diligite alterutrum. Præter Evangelium, quod novissimus omnium scripsit adversus Cerinthum et Ebionitas, aliosque hæreticos negantes Christi divinitatem, scripsit etiam Apocalypsin, exul in insula Pathmos, quo a Domitiano relegatus erat. Abiit ad patriam in senectute bona, anno 101.

Evang. Joan. 21. 21, 24. *Discipulus quem diligebat Jesus.*

HYMNUS.

Exultet orbis, etc. *p. 509.*

*Ant.* Iste est Joannes, qui supra pectus Domini in cœna recubuit; beatus apostolus, cui revelata sunt secreta cœlestia.

℣. Valde honorandus est beatus Joannes.

℟. Qui supra pectus Domini in cœna recubuit.

ORATIO.

Ecclesiam tuam, Domine, benignus illustra, ut beati Joannis apostoli tui et evangelistæ illuminata doctrinis, ad dona perveniat sempiterna. Per Dominum.

## DIE 28 DECEMBRIS.

### IN FESTO SS. INNOCENTIUM. MART.

Evang. Matth. 2. 13, 18. *Surge et accipe puerum.*

HYMNUS

Salvete, flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas.
Vos prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram sub ipsam simplices
Palma et coronis luditis.
Jesu, tibi sit gloria,
Qui natus es de Virgine,
Cum patre et almo Spiritu,
In sempiterna sæcula. Amen.

*Ant.* Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab iniquo rege lactentes interfecti sunt: ipsum sequuntur Agnum sine macula, et dicunt semper: Gloria tibi, Domine.

℣. Sub throno Dei omnes sancti clamant.

℟. Vindica sanguinem nostrum, Deus noster.

ORATIO.

Deus, cujus hodierna die præconium Innocentes martyres non loquendo, sed moriendo confessi sunt: omnia in nobis vitiorum mala mortifica; ut fidem tuam, quam lingua nostra loquitur, etiam moribus vita fateatur. Per Dominum.

## DIE 29 DECEMBRIS.

IN FESTO S. THOMÆ, EPISC. ET MART.

Evang. Joan. 10. 11, 16. *Ego sum Pastor bonus.*

HYMNUS.

Deus, tuorum etc. *p. 498.*
*Ant.* Qui vult. *Vers. et Resp. pag. 498.*

ORATIO.

Deus, pro cujus Ecclesia gloriosus Pontifex Thomas gladiis impiorum occubuit: præsta, quæsumus; ut, omnes, qui ejus implorant auxilium, petitionis suæ salutarem consequantur effectum. Per Dominum.

## DIE 31 DECEMBRIS.

IN FESTO S. SILVESTRI, PAPÆ ET CONF.

Evang. Lucæ. 12. 35, 40. *Sint lumbi vestri præcincti.*

HYMNUS.

Iste Confessor, etc. *p. 496.*
*Ant.* Amavit. *Vers. et Resp. pag. 504.*

ORATIO.

Da, quæsumus, etc. *p. 261.*

—

IN DEDICATIONE ECCLESIÆ.

Evang. Lucæ 19. 1, 10. *Zachæus in sycomoro.*

HYMNUS.

Cœlestis urbs, etc *p. 395.*
*Ant.* O quam metuendus est locus iste! vere non est hic aliud nisi domus Dei et porta cœli.

℣. Domum tuam, Domine, decet sanctitudo.

℟. In longitudinem dierum.

ORATIO.

Deus, qui nobis per singulos annos hujus sancti templi tui consecrationis reparas diem, et sacris semper mysteriis repræsentas incolumes: exaudi preces populi tui, et præsta; ut quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur. Per Dominum.

# XXXVIII

# VESPERÆ TOTIUS ANNI.

## COMPLETORIUM.

1. *Vesperæ pro Dominica, pag. 101.*
2. *Vesperæ pro festis. B.M. Virginis. pag. 322.*
3. *Psalmi ad primas Vesperas Angelorum, de Dominica, pag. 101. Loco ultimi. Ps. 116.* Laudate Dominum, omnes gentes, *pag. 316.*
4. *Psalmi ad secundas Vesperas Apostolorum.*
   *Ps. 109.* Dixit Dominus, *pag. 101.*
   *Ps. 112.* Laudate, pueri, Dominum, *pag. 102.*
   *Ps. 115.* Credidi, *pag. 78.*
   *Ps. 125.* In convertendo, *pag. 320.*

PSALM. 138. PRÆDICATUR DE OMNISCIENTIA ET PROVIDENTIA.

Domine, probasti me et cognovisti me: * tu cognovisti sessionem meam, et resurrectionem meam.

Intellexisti cogitationes meas de longe: * semitam meam et funiculum meum investigasti.

Et omnes vias meas prævidisti: * quia non est sermo in lingua mea.

Ecce, Domine, tu cognovisti omnia, novissima et antiqua: * tu formasti me, et posuisti super me manum tuam.

Mirabilis facta est scien-

tia tua ex me : * confortata est, et non potero ad eam.

Quo ibo a spiritu tuo ? * et quo a facie tua fugiam?

Si ascendero in cælum, tu illic es : * si descendero in infernum, ades.

Si sumpsero pennas meas diluculo : * et habitavero in extremis maris.

Etenim illuc manus tua deducet me : * et tenebit me dextera tua.

Et dixi : Forsitan tenebræ conculcabunt me :* et nox illuminatio mea in deliciis meis.

Quia tenebræ non obscurabuntur a te, et nox sicut dies illuminabitur : * sicut tenebræ ejus, ita et lumen ejus.

Quia tu possedisti renes meos : * suscepisti me de utero matris meæ.

Confitebor tibi, quia terribiliter magnificatus es : * mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis.

Non est occultatum os meum a te, quod fecisti in occulto : * et substantia mea in inferioribus terræ.

Imperfectum meum viderunt oculi tui, et in libro tuo omnes scribentur : * dies formabuntur et nemo in eis.

Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus : * nimis confortatus est principatus eorum.

Dinumerabo eos, et super arenam multiplicabuntur : * exsurrexi, et adhuc sum tecum.

Si occideris Deus peccatores : * viri sanguinum, declinate a me.

Quia dicitis in cogitatione : * Accipient in vanitate civitates tuas.

Nonne qui oderunt te, Domine, oderam : * et super inimicos tuos tabescebam ?

Perfecto odio oderam illos : * et inimici facti sunt mihi.

Proba me, Deus, et scito cor meum : * interroga me, et cognosce semitas meas.

Et vide, si via iniquitatis in me est : * et deduc me in via æterna.

Gloria Patri.

CAPITULUM. *Ephes. 2.19.*

Fratres, Jam non estis hospites et advenæ : sed estis cives Sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu.

℟. Deo gratias.

HYMNUS.

Exultet orbis gaudiis, etc *pag. 509.*

*Ant. et Oratio suo loco*

5. *Ps. Vesperarum de Mar*

*tyribus, sunt Dominicæ, p. 101. Loco ult. Ps.* Laudate Dominum, *p. 316. Ps. Secundarum Vesp. sunt Dominicæ, p. 101. Loco ult. Ps.* Credidi, *p. 78.*

6. *Ps. Primarum Vesperarum de Conf. Pont., sunt Dominicæ, pag. 101. Loco ult. Ps. 116.* Laudate Dominum. *pag. 316. Ps. Secundarum Vesperarum de Conf. Pont. sunt Dominicæ, pag. 101. Loco ult. Psalm. 131.* Memento, Domine, David *pag. 341.*

7. *Ps. Vesperarum de Conf. non Pont. sunt Dominicæ, pag. 101. Loco ult. Ps. 116.* Laudate Dominum, *pag. 316.*

8. *Ps. Vesperarum de Virginibus vel non Virginibus sunt B. Virginis, pag. 322.*

9. *Ps. Vesperarum in Nativitate Domini et quatuor seq. Festis cum proxima Dom.* Dixit Dominus *p. 101.* Confitebor, *p. 101.* Beatus vir, *p. 102.* De profundis, *p. 79.* Memento, *p. 341.*

10. *Ps. Vesperarum in Circumcisione Domini, sunt iidem qui B. Virginis, p. 322.*

11. *Ps. Vesperarum in Epiphania Domini, sunt Dominicæ, pag. 101.*

12. *Ps. Vesperarum in Paschale, sunt Dominicæ, pag. 101.*

13. *Ps. Vesperarum in Ascensione Domini, sunt Dominicæ, pag. 101. Loco ult.* Laudate, *p. 316.*

14. *Ps. Vesperarum in festo Pentecostes, sunt Dominicæ, p. 101.*

15. *Ps. Vesperarum in festo SS. Trinitatis, sunt Dominicæ, p. 101.*

16. *Ps. Vesperarum in festo Corporis Christi, sunt seq.:* Dixit Dominus, *p. 101.* Confitebor, *p. 101.* Credidi, *p. 78.* Beati omnes, *p. 321.* Lauda Jerusalem, *pag. 322.*

17. *Ps. Completorii, p. 105.*

N. B. *Antiphonas ad Magnificat, et Hymnos habes supra in Dominicis et Festis.*

## COELESTE

# PALMETUM.

### PARS QUINTA.

VARIÆ DE VITA VERE CHRISTIANA INSTITUTIONES, PRECUM EXPLICATIONES, PSALMORUM INTERPRETATIONES, QUIBUS ADDITUS PRÆCIPUORUM DOGMATUM NOSTRORUM CATHOLICA EXPOSITIO, ET FIDEI PROFESSIO.

## XXXIX.

## INSTITUTIONES

DE TEMPORE MATUTINO; DE ORATIONE; DE MEDITATIONE; DE MISSA; DE CONCIONE SACRA; DE MENSÆ SANCTIFICATIONE; DE SEMITA PERFECTIONIS.

---

### 1. DE TEMPORE MATUTINO.

§ 1. COGITA ANGELUM TIBI DICENTEM : SURGE VELOCITER. ACT. 12. 8.

Audi *vocem Apostoli.* Rom. 13. 11. Hora est jam nos de somno surgere. Nox præcessit, dies autem appropinquavit, abjiciamus ergo opera tenebrarum, et induamur arma lucis, etc. *Æternæ sapientiæ verba sunt* : Qui mane vigilant ad me, invenient me. *Prov. 8. 17. Sed eheu!* Sicut ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lectulo suo. *Prov. 25. 14. Quanto interdum damno, cum enim* SPONSA *moraretur. tardiusque surgeret ut, pessulum ostii sui* DILECTO *pulsanti aperiret,* ille declinaverat, atque transierat. *Cant. 5. 6.* Æterna SAPIENTIA non invenitur in terra suaviter viventium. *Job 28. 13. Apte in hanc rem. S. Ambr. Serm. 19. in Ps. 118.* Præveni orientem solem : grave est

enim, si te otiosum in stratis radius solis orientis inverecundo pudore conveniat; et lux clara feriat oculos, somnolento adhuc torpore depressos.

*Mana, cibus Israelitarum in deserto* (Exod. 16.) ab igne non poterat exterminari, statim vero ab exiguo radio solis calefactum tabescebat: ut notum omnibus esset, quoniam oportet prævenire solem ad benedictionem tuam, et ad ortum lucis te adorare. *Sap. 16. 17. Porro considera, nec locum, nec tempus dæmone esse opportunius, ut hominem in peccati consensum trahat, quam matutinum in lecto, quo ratio per somnum præcedentem obtenebrata, corpusque magis quam alias ad prava desideria inclinat. Quamobrem* consurge, lauda in nocte, in principio vigiliarum effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini: leva ad eum manus tuas. *Nam,* si diluculo consurrexeris ad Deum et Omnipotentem fueris deprecatus, mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te, et pacatum reddet habitaculum justitiæ tuæ, in tantum, ut si priora tua fuerint parva, novissima tua multiplicentur nimis. *Job 8. Nam benedictio Dei exiguas facultates in immensum augebit.*

### §II. PRIMA EVIGILANTIS COGITATIO DIRIGATUR IN DEUM.

*Deus omni tempore quarumlibet rerum primitiis delectatus est. Unde illa Sapientis exhortatio,* Prov. 3. 9. Honora Dominum de tua substantia et de PRIMITIIS omnium frugum tuarum da ei. *S. Bonav. de Institut. novit p.* 3. c. 4. Cum evigilas, statim omnes cogitationes tuas abjice de corde tuo, somnia potissimum, quæ somniasti in nocte, quibus te diabolus vellet occupare. Primitias cogitationum tuarum offer Deo. Et cogitationes vanas, quæ tunc maxime infestant mentem, a te abjicias: ex hoc eris ad omne tempus devotior, et expeditior tota die. *Idem scribit Joan. Climacus grad. 26. cap. 3. sub fin.* Est e spiritibus unus, qui PRÆCURSOR dicitur, qui nos e somno surgentes protinus excipit, in primisque nostrum cogitatum iniquinare nititur. Da Domino primitias diei tuæ; erit enim tota ejus, qui prior occupaverit. *Recte proinde ibidem concludit:* A matutino tempore cursum totum diei scio. *Flos* heliotropium *dum ad primos orientis solis radios sese pandit, eosque ex-*

*cipit omni simul decore exornatur. Elephas quoque agnoscere videtur omnes e cœlo vires sibi submitti, dum solem orientem sublata in altum proboscide reverenter salutat. Et margaritarum conchæ ad maris littora mane sese aperiunt, roremque cœli excipiunt. Quin et tu, o homo, mentem in cœlum primo mane eleves, et cum Regio Vate exclames:* Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo: sitivit in te anima mea, quam multipliciter tibi caro mea! *Ps. 62. 1.*

§ III. BONAM FAC INTENTIONEM

*Quem audis o anima christiana, promittentem:* Osée 2. 19. sponsabo te mihi in sempiternum, etc. *Eumdem velut jam sponsum audi præcipientem:* Cant. 8. 6. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum. *Qui se pro scopo et fine omnium cogitationum, verborum et operum constitui expetit. Velut enim sagittarius arcum ad unius dexteri oculi (clauso sinistro) intentionem dirigit; eadem ratione nos in solius Dei gloriam collimare jubemur, omnibus aliis seclusis. Sic læta audiet anima nostra:* Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in UNO oculorum tuorum. *Cant. 4. 9. Christi doctrina est.* Matth. 16. 22. Lucerna corporis tui est oculus tuus: si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit. *Quibus verbis subjungit S. August. lib. de oper. Monach. c. 26. post. init.* Talia erunt facta tua, qualis fuerit intentio tua, cur ea facias. *Si intentio fuerit directa in Deum ejusque gloriam, erunt, quoque accepta Deo omnia, quæ ex illa intentione facta sunt, hoc est, erunt* opera lucis. *Si e contra intentio tua vana fuerit, erunt et opera talia, ab Apostolo* opera tenebrarum *dicta.* Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in GLORIAM DEI facite. 1. *Cor. 10. 31. Seria Christi est admonitio.* Matth. 6. 1. Attendite, ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est. *Utinam multos qui ingentem posthac suorum operum mercedem sperabunt, illud Davidis non feriat!* Dormierunt somnum suum, et nihil invenerunt omnes viri divitiarum in manibus suis. *Dic itaque*

*cum eodem ex intimo cordis affectu:* Non nobis, Domine, non nobis, sed NOMINI TUO da gloriam. *Ps. 113.*

*Quæ vero præcipua isto die acturus es, nominatim in Deum dirige Si deinde humanus aliquis respectus, aut vana gloria per diem tenet, id responsi dare poteris: Omnia jam tum transcripta esse, nimis sero in alium finem quidquam peti.* DEO, non hominibus servimus. *Huic* Holocausta medullata, *nulla prava intentione inquinata* offeram, *inquit* David. Ps. 65. 15.

§ IV. PROPONE FIRMITER CUM DIVINA GRATIA VITARE OMNIA PECCATA, NOMINATIM ISTUD... VIRTUTES EXERCERE, NOMINATIM ISTAM...

*Miles facilius hostem superabit, si hostiles insidias et machinationes prævidere studens, se contra easdem muniat. Quem inopinantem hostis invadit, eum utplurimum subigit.* Militia est vita hominis super terram. *Job. 7. 1. Perpetuum homini cum vitiis et pravis affectibus bellum est: ab innumeris tum visibilibus, tum invisibilibus adversariis impetitur. Sed animose quisque exclamet:* Millies, mi Deus, malo mori, quam te summum et amantissimum bonum meum hoc die, aut, umquam alias offendere, *potissimum isto peccato N. Tibi hodie et semper animus est servire, præsertim exercitio hujus virtutis N. Per opem Domini, per quem omnia, et sine quo nihil possum.*

*SS. Augustini Basilii, Greg. et alior. salubre consilium est,* ut ita sua quisque facere nitatur ac si præsens dies postrema vitæ foret. *Id quod Jobo familiare fuisse videtur: ita enim de se loquitur c. 14.* Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto, donec veniat immutatio mea. *Ex quo tantum profecit ut confidenter addat:* Vocabis me, et ego respondebo tibi. *Incerta est dies crastina, et unde scimus nos in crastinum supervicturos? quot hominum millia æternum perierunt, qui præsentem diem bene impendere neglexerunt! Bene considera quod S. Gregor. ait, Hom. 12. in Evang. ante fin.* Qui pœnitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non promisit. Semper extremum diem debemus metuere, quem numquam possumus prævidere. Ecce hunc ipsum diem ad inducias conversionis accepimus. Operemur ergo, donec dies est; venit nox, quando nemo potest operari. *Joan. 8.*

4. *Recte proinde Syracides admonet:* Ne differas de die in diem. Subito enim veniet ira illius. *Eccl. 5.* Veniet Dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat. *Matth. 24. 50.*

§ V. DIVINAM OPEM IMPLORA.

*Æternæ veritatis dictum est.* Joan. 15. Sine me nihil potestis facere. *Quod agnovit Apostolus. 2. Cor. 3. 5.* Non sumus sufficientes cogitare aliquid a nobis *(minus loqui aut facere)*, quasi ex nobis; sed sufficientia nostra ex Deo est. *Quamobrem Dei opem in omnibus quotidie implorare oportet.* Quantæ fiduciæ, *inquit S. Bern. serm. 83. ante med.*, hæc vox est: Omnia possum in eo, qui me confortat. *Phil. 4. 13.* Nihil omnipotentiam VERBI clariorem reddit, quam quod omnipotentes facit omnes, qui in se sperant et confidunt: indutum virtute ex alto, nulla vis, nulla fraus, nulla illecebra poterit vel stantem dejicere, vel subjicere dominantem. Ergo qui stat, si non vult cadere, non fidat sibi, sed nitatur Verbo: *quod videlicet erat in principio, et est ipse Deus.*

Nec surgere ad bonum, nec stare in bono possumus sine hoc VERBO *virtutis infinitæ.*

*A nobis præterea, ut cooperemur requiritur. Nam* qui creavit te sine te, non salvabit te sine te, *hoc est sine tua cooperatione, ut docet S. Aug.* Non ego, *ait Apost. 2. Cor. 15,* sed gratia Dei mecum.

---

## 2. DE ORATIONE.

§ I. QUID SIT ORATIO.

Varie a SS. Patribus describitur Oratio: a Joan. Damasc. 1. 3. Orthodox fidei cap. 24. *Oratio est ascensio mentis in Deum, ac decentium a Deo petitio.* A S. August. Serm. 230. de Temp. 8. *Est ascensio animæ de terrestribus ad cœlestia: inquisitio supernorum. invisibilium desiderium.* A S. Chrysost. Hom. 30. in Gen. *Est colloquium cum Deo.* Nam, *quando legis,* ait S. August. in Ps. 83. cum S. Hieron., *Deus tibi loqui-*

*tur; quando oras, cum Deo loqueris.* Latius vero sic explicatur Oratio : *Est pius mentis nostræ in Deum affectus, quo petuntur fideliter quæcumque sunt nobis aut aliis salutaria : quo divinam quoque gratiam et virtutem celebramus aut qualicumque ratione coram summa et æterna illa majestate nos devotos testamur : sic etiam adoratio, oblatio, sacrificium, invocatio, laudatio, gratiarum actio ad orationem spectant* juxta illa Davidis Ps. 148. 2. *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo ; elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum.* Et Apostoli Tim. 2. 1. *Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.* Item Phil. 4. 6. *In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum.*

## § II. QUANTA SIT ORATIONIS PRÆSTANTIA ET DIGNITAS.

*Nullum sane opus est magis in Scriptura commendatum, nullum piis sanctisque hominibus familiarius : nullum, quod sæpius et diligentius magisque necessario in hac vita sit exercendum, quam precatio.* Audi S. Chrys, lib. 1. de orando Deum : *Quis non obstupescat et admiretur tantam benevolentiam erga nos Dei, ut dignos nos habuerit, qui cum ipso colloquamur, nostraque vota apud ipsum deponamus ? Per orationem Angelis copulamur, et societatem, quam cum brutis animantibus habebamus, procul effugere videmur ; Angelorum enim opus est deprecatio.* Et circa finem : *Precatio,* inquit, *ceu radix et basis omnibus cæteris virtutibus substernitur ;* idem, lib. 2. de orando Deum : *Qui cum honestis et sapientibus crebro familiariterque agit paulatim eorum mores induit, et imbuitur sapientia : quid ergo fiet illi, qui multum per orationem agit cum Deo ?* Moysis facies radiis circumfusa est *ex consortio sermonis Domini.* Exod. 34.

## § III. QUANTA SIT ORATIONIS NECESSITAS.

Sanctus Chrysostomus, lib. 1. de orando Deum : *Quisquis non orat Deum, nec divino colloquio cupit assidue frui, is mortuus est, et vita carens, expersque sanæ mentis : nam hoc ipsum evidentissimum est amentiæ argumentum, non intelligere magnitudinem hujus honoris, nec amare de-*

*precandi studium, nec hoc habere persuasum, quod animæ mors sit, non provolvi ad Dei genua. Daniel maluit mori, quam triduo dumtaxat arceri ab orando. Impossibile est absque precationis præsidio cum virtute vitam agere; etenim qui fiet ut quis virtutem exerceat, nisi continenter supplex ad genua accidat ei, qui virtutem omnem largitur hominibus?* Idem, lib. 2. de orando Deum: *Quod si te ipsum destitueris deprecatione, perinde feceris ac si piscem ex aquis extraxeris. Ut enim piscis vita est aqua, ita tibi deprecatio.*

## § IV. QUANTA VIS ET FRUCTUS ORATIONIS SIT.

1. Oratio *purgat animam a peccatis.* Patet hoc in Publicano, qui per brevem hanc oratiunculam: *Deus propitius esto mihi peccatori, descendit in domum suam justificatus.* S. Chrysost. lib. 1. de orando Deum. *Etiamsi nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddet: Leprosus simul ac procidit ad pedes Christi mundatus est.*

2. *Satisfacit pro pœnis,* quas ob peccata subire deberemus. 2. *Par.* 33. Manasses *oravit Deum intente, et exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in regnum suum.* S. Aug. Zach. c. 71. *Quotidianis peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit.*

3. *Hostes visibiles et invisibiles corporis et animæ per orationem vincuntur.* S. August. Serm. 22. ad Fr. in Er. *Moyses orabat in monte, et Josue Amalech devincebat. Per orationem Jeremias confortatur in carcere: Daniel inter leones exultat: Job in sterquilinio nudus triumphat: Susanna inter senes defenditur: Paradisum de Cruce latro invenit.* S. Aug. l. 10. de Civ. cap. 22. *Vera pietate homines Dei aeream potestatem inimicam contrariamque pietati exorcizando ejiciunt; omnes tentationes ejus vincunt orando.*

4. *Impetrat omnia subsidia, et vitam animæ et corporis.* S. Aug. Serm. 2. ad Fr. in Er. *Per orationem Ezechias sanatur, et salutem animæ et corporis adipiscitur; adjiciuntur ei ut ait* S. Hier. in Is. Comment., *post orationem cum lacrymis habitam,* 15. *anni ad vitam, quos ille non postulaverat, et insuper, vivente eo, regni securitas repromittitur.*

5. *Cœlos penetrat.* Eccli.

35. 21. *Oratio humiliantis se nubes penetrabit et non discedet, donec Altissimus aspiciat.* S. August. in Ps. 29. *Clamavit de profundo Jonas de ventre ceti; erat non solum sub fluctibus, verum etiam in visceribus belluæ: nec tamen illud corpus; nec illi fluctus intercluserunt orationem, ne perveniret ad Deum: penetravit omnia, pervenit ad aures Dei.*

*Oratio,* ut ait Lud. Blos c. 4. in Cant. *mœrorem pellit, calamitates lenit, pacem reconciliat, hominem Deo conjungit, conjunctum Deo ad æternam gloriam sublevat.*

§ V. QUAS CONDITIONES REQUIRAT ORATIO.

Audi monentem Siracidem, *Eccl.* 18. 23. *Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo qui tentat Deum. Non solum oremus* (inquit S. Chrys. in Ps. 7), *sed ita oremus, ut exaudiamur.* Ad hoc autem requiruntur sequentes conditiones.

1. *Fides viva et constans.* Ita Christus apud *Marc.* 11. 24. *Quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis.* Et quotquot in Evangelio exauditi sunt, his Christus dicit: *Fides tua te salvum fecit.* Jac. 1. *Postulet in fide, nihil hæsitans: qui enim hæsitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo existimet homo ille, quod accipiat aliquid a Domino.*

2. *Spes et fiducia.* Ps. 90 14. *Quoniam in me speravit, liberabo eum: invocabit me, et ego exaudiam eum.* S. Chrys., in Ps. 4. *Ante omnia opertet eum, qui precatur, habere fiduciam, et postulatum omnino consequetur.*

3. *Charitas.* Joan. 15. 7. *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis, petetis, et fiet vobis.*

4. *Humilitas.* Qui orant non in sua fiducia sed in Dei fidunt misericordia, prout fecit Publicanus orans. *Luc.* 18. 11. *Eccli* 35. *Oratio humiliantis se penetrat nubes. Ad quem aspiciam,* dicit Deus Is. 66., *nisi ad pauperculum et contritum spiritum, et tenentem sermones?* Quam Abraham humiliavit se cum orare vellet. *Gen.* 18. 17. *Loquar ad Dominum meum, cum sim pulvis et cinis.* Et Daniel. 9. 18. *Neque enim in justificationibus nostris prosternimus nos ante faciem tuam: sed in miserationibus tuis multis.* Ps. 101. *Respexit in orationem humilium.*

5. *Remissio injuriarum.* Marc. 11. *Cum stabitis ad orandum, dimittite, si quid habetis adversus aliquem.* Matth. 5. *Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

6. *Fervor.* S. Chrys. in illa verba Ps. 129. *De profundis clamavi, etc. Ex corde profundissimo,* inquit, *ex ipsis mentis penetralibus clamavit David: tales enim preces magnam habent potentiam, ut quæ neque subvertantur, neque concutiantur, etsi eas diabolus magno impetu invadat.*

7. *Salutaria postulata.* Jac. 4. *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis.* 3. Joan. 5. 14. *Hæc est fiducia quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audit nos.* S. Hier. Epist. ad Salvianum scribit: *Nebridium sic semper orasse Deum, ut illi, quod optimum esset, eveniret. Suadet* S. Aug. tr. 73. in Joan. *Ut petamus nobis non dari, quidquid ignorantes non bene petimus.*

8. *Perseverantia,* quam Christus ipse exigit. *Matth.* 7. *Luc.* 11. *S. Chrys. Hom.* 35. *in Joan. Socordiam nostram in* orando *deploremus;* 38 *annos paralyticus ad piscinam expectaverat, expectabatque ut sanaretur neque ejus impletum est desiderium, neque negligentia sua non sanabatur, sed præventus ab aliis neque propterea desperavit. Nos autem si vel decem dies orationibus invigilantes non exaudimur, jam tepescimus. Proinde audiamus* S. Greg. in Ps. 129. *Esto sedulus in oratione; esto in precibus importunus; cave ne ab oratione deficias, si dissimulat audire, quem rogas, esto raptor, ut regnum cœlorum accipias; esto violentus, ut vim etiam ipsis inferas cœlis. Quid hac rapina locupletius? quid hac gloriosius violentia? bona violentia, qua Deus non offenditur, sed placatur; proximus non læditur, sed juvatur; peccatum minuitur, non multiplicatur.*

### § VI. QUÆ SINT REMEDIA CONTRA DISTRACTIONES.

Difficile quidem est homini mentis evagationes omnes prorsus devitare; possunt tamen certis adhibitis remediis minui. 1. Si cor nostrum a curis rerum temporalium abstrahamus, *et utamur hoc mundo, tamquam non utamur,* 1. Cor. 7. 31. Si Deum nobis præsentem cogitemus qui intima cordis nostri perspicit. *Etenim,* ait S. Basil. Const.

Monast. c. 2. *si, qui coram principe aliquo stat, et ipsum alloquitur, magno cum metu stat, et tam corporis extrinsecus, quam mentis intrinsecus, attentos oculos tenet; quanto majore cum metu trepidationeque censendum est oportere nos stare in conspectu Dei, tota mente in illum unum intenta?* 3. Si assuescamus ad pia suspiria et oratiunculas jaculatorias quibus animus ad Deum elevatur, eique affigitur. 4. Si post occupationes, negotia, congressus cum hominibus, convivia, aliaque similia, quæ valde solent distrahere, animum colligamus, factorumque omnium et verborum rationem exigamus. 5. Si oraturi nos ad orationem præparemus. 6. Si a Deo (nam *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est*) gratiam attentionis, negligentiarumque veniam post orationem postulemus.

### §. VII. QUO LOCO ET TEMPORE SIT ORANDUM.

Nullus quidem certus locus orationi præscriptus est: dicit enim Apostolus 1. *Tim.* 2 8. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus. Jerem.* inquit S. Basil. hom. 13. *in luto oravit, et Deum attraxit: Daniel in leonum lacu Deum placavit: tres pueri in camino Deum promeruere: Latro non est in cruce prohibitus, quin Paradisum consequeretur: Job in stercore Deum ad misericordiam provocavit. Igitur ubicumque fueris, ora.* Melius tamen est in ecclesia vel oratorio precibus dedicato orare. De quo ita S. Chrysost. *in hom. ad pop. Licet in foro sis, sive in via, sive in mari, sive in diversorio, sive in officina positus, sive sis ubicumque, Deo poteris invocato petitionem obtinere. Et domi quidem orari potest; non autem potest sicut in ecclesia, ubi tanta fratrum multitudo, ubi clamor ad Deum unanimiter emittitur: non ita Dominum per te solum orans, audiris, ut cum fratribus tuis: hic enim majus aliquid est, puta unanimitas et consonantia, charitatisque vinculum, et sacerdotum orationes.*

Dum Christus oraturos jussit ingredi cubiculum et claudere ostium, tantum vult, ut vanam fugiamus gloriam in oratione, et ut collectis sensibus attenteque oremus.

De tempore orationis dicit Christus, *Luc.* 11: *Oportet semper orare.* Et Apost. 1. Thess. 5. jubet *semper orare.* Beda ait in c. 11. Luc.

*eum semper orare, et non deficere, qui Canonicis horis quotidie juxta ritum Ecclesiasticæ traditionis, Psalmodiis, precibusque consuetis Dominum laudare et rogare non desistit,* juxta illud Psalmistæ: *Benedicam Dominum in omni tempore.* Anselm. in Thess. cap. 5. *Sine intermissione orare est, nullo die intermittere certa tempora orandi: sed et continuum cordis desiderium, continua oratio est.*

### §. VIII. QUO GESTU CORPORIS SIT ORANDUM.

1. Genuflexio usitata est in Veteri et Novo Testamento, probataque exemplo Christi, Petri, Pauli, Stephani, etc. *S. Jacobus apost.* ut de eo scribit S. Hieron. *flexis genibus tantum pro populo precatus est, ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur.* Idem scribit de Pauli Eremitæ corpore jam mortuo: *Ingressus speluncam S. Antonius vidit genibus complicatis, recta cervice, extensisque in altum manibus, corpus exanime. Ac primum et ipse* (Antonius) *vivere eum credens pariter orabat. Postquam vero nulla, ut solebat, suspiria precantis audiret, in flebile osculum ruens, intellexit, quod etiam cadaver sancti Deum, cui omnia vivunt, officioso gestu precabatur.* Quem gestum tamquam humilem et submissi animi indicem ipsa natura nos docet. Affinis huic, et humilior est *prostratio in terram,* a Christo quoque et S. Jacobo usurpata. *Statio* quoque certis temporibus et circumstantiis decens est corporis in oratione gestus. Nam stantes Publicanus et Stephanus orarunt, etc. *Elevatio* denique manuum adhibita est: sic Moyses et Aaron oraverunt. *Exod.* 17. Apostolus 1. *Tim.* 2. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus.*

---

## 3. DE MEDITATIONE

### §. I. IN QUO CONSISTAT MEDITATIO.

Meditatio *est ratio mentalis, quæ memoria, intellectu et voluntate perficitur circa aliquod Mysterium fidei, vel factum Christi aut Sanctorum, vel aliquam virtutem aut vitium.* Memoria intellectui materiam subministrat cum circumstantiis loci,

personarum, etc. Intellectus varie circa illa discurrit, expendendo accurate omnia, adducendo etiam varias rationes, sententias Scripturæ, sanctorum Patrum exempla, etc., in eum finem, ut ad pios affectus et salutaria desideria et proposita concipienda excitetur voluntas. Hinc discrimen apparet inter meditationem sive orationem hanc interiorem mentalem, et orationem exteriorem vocalem, quæ quidem etiam elevatio mentis est ad Deum; non tamen utitur discursibus intellectus ad excitandos certos animi affectus: sed tantum verbis insistit, et vel ad illa sola, vel simul ad eorum sensum attendit, ex eoque animum quidem elevat ad Deum per pios aliquos motus, sed non eo modo, quo fit in oratione mentali, prævio discursu et matura discussione circumstantiarum, quibus quasi lumine quodam dirigitur, excitatoque igne inflammatur voluntas, ut firmiter conceptis affectibus insistat, quod non fieri solet per orationem vocalem.

### § II. QUOT PARTIBUS CONSTET MEDITATIO.

Tribus constat partibus Meditatio. 1. Est præparatio. 2. Ipsa materia ad meditandum proposita. 3. Affectus cum colloquiis.

Ad *præparationem* spectat 1. ut meditaturus initio se in conspectu Dei constituat, animum colligat, et ad id unum, quod agendum est, applicet. 2. Præmittat orationem aliquam brevem, qua gratiam petat cum fructu meditandi. 3. Si de aliqua historia meditatio instituatur, summam rei gestæ sibi proponat. Deinde formet sibi idoneam loci constitutionem, ut si quando evagetur, facilius reducatur. 4. Petat gratiam ad finem in meditatione propositum assequendum.

*Materia* ad meditandum proposita ordinarie in tres partes dividi solet, quas puncta vocant; nihil tamen vetat esse plura aut pauciora.

*Affectus* sunt actus voluntatis excitati per discursum intellectus pro ratione materiæ præscriptæ diversi, ex quibus concipienda sunt proposita practica, quibus subjungi solet colloquium aliquod vel ad Deum, vel Sanctos ejus, prout devotio et inflammatus effectus suggerit.

### §. III. QUOMODO MEDITATIO PRACTICE SIT INSTITUENDA.

1. Vespere materia se-

quenti mane meditanda, legitur, et puncta ejus memoriæ infiguntur, affectusque congruentes prævidentur.

2. Mane primis cogitationibus tota meditationis materia recolitur, et si quid excidisset, relegitur.

3. Instante meditationis tempore, confer te adlocum, in quo aut genuflexus aut stans meditaturus es, animoque ad Deum tamquam præsentem omniaque spectantem aliquantulum elevato, præmisso crucis signo, et invocato Spiritus sancti lumine, meditationem auspicare.

§. IV. QUÆDAM CIRCA MEDITATIONEM OBSERVANDA.

1. Non quærendi subtiles et alti conceptus, nec nimium inhærendumdiscursibus; sed voluntate sufficienter mota et inflammata, piis affectibus insistendum est: in his enim potissimum consistit devotio.

2. Quod si in aliquo puncto non succedat discursus, nec desideratus excitetur affectus, eo relicto, transeundem est ad aliud punctum. Si vero e contrario in uno aliqua puncto jucundus sentiatur gustus et inflammetur desiderium, ad aliud non est transeundum, sed illi, quamdiu aliquid occurrit, insistendum, licet omne meditationis tempus illi esset impendendum.

3. Ante omnia curandum, ut practica concipiantur proposita, consideratis et prævisis occasionibus, etc.

4. Colloquium, quod meditationem terminat, dirigi potest vel ad Deum Patrem, vel ad Christum Dominum, vel ad Spiritum sanctum, vel ad beatam Mariam Virginem, vel Angelum Custodem, vel alium Sanctum, pro ratione materiæ aut affectus. Et variis quidem modis illud institui potest: nunc enim assumi potest persona servi, et cum Christo velutDomino colloquium institui: nunc persona mendici, et Deo ceu ditissimo regi paupertas et penuria aperiri ab eoque eleemosyna peti; nunc persona rei, qui seipsum accusat, et gratiam implorat: alias persona filii, qui ad Deum aut Christum tamquam amantissimum Patrem aut beatam Mariam Virginem tamquam misericordiæ matrem confugit, etc. Nec de verborum elegantia laborandum est; non enim hæc Deus, sed cor et affectum intuetur. In fine Meditationis utiliter omnino recitabitur oratio: *Sub tuum, etc., pag.* 239, ut ita totum hoc pietatis exerci-

tium protectioni beatæ Mariæ Virginis committatur.

### §. V. QUID POST MEDITATIONEM SIT FACIENDUM.

Meditatione peracta, in ambulando aut sedendo breviter expende successum; quomodo te in discursu, in excitandis piis affectibus, colloquiis propositis, etc., gesseris, quas novas veritates cognoveris, quæ rara lumina habueris, etc., an collectus, an distractus, sterilis et aridus, an e contrario devotus et fervens fueris, etc. Si bene successit, Deo gratias age, eique soli omnia adscribe : si male, idque sine tua culpa, de manu Dei lubens accipe, et de merito tuo non dubita : si per culpam tuam, dolens veniam pete et emendationem propone.

Consultum est rariora lumina, ferventiores affectus et firmiora proposita paucis in libello ad hoc præparato annotare, ut eorum relectione te ipsum alias facilius ad similes pios affectus excites.

---

## 4. DE SACRIFICIO MISSÆ.

### §. I. DE DIGNITATE SACRIFICII MISSÆ.

Dominus noster in cœna novissima, qua nocte tradebatur (*verba sunt Concil. Trident. sess.* 22. *c.* 1.) ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibili, sicut hominum natura exigit, relinqueret Sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum quæ a nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur; Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per *Malach.* 1. 12. nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit... Et quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit, Sa-

crificium istud vere propitiatorium est, perque ipsum fit, ut, si cum vero corde et recta fide, cum metu et reverentia, contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit. Una enim eademque est Hostia IDEM nunc OFFERENS sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, et aliis necessitatibus, sed et pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur. *Hucusque Trident. Quis huic* Sacrificio *quotidie interesse non laboret, ut tantos illius fructus participet? quod enim sol inter sidera, id est Missæ Sacrificium ejusque participatio inter omnia christiani hominis pia opera.* O HOMO, si sciris donum Dei! *Joan.* 4.

§ II FRUCTUM SACRIFICII MISSÆ NON SOLUS SACERDOS, SED OMNES CHRISTIANI MAXIME VERO PRÆSENTES PARTICIPANT.

Illæ quoque Missæ *(verba sunt Concil. Trident. sess.* 22. *c.*6.*)* in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, vere communes censeri debent, partim, quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad Corpus Christi pertinent, celebrentur. *Pro præsentibus sacerdos in sacrificio sæpius precatur, dum v. g. dicit:* Dominus vobiscum. Pax Domini sit semper vobiscum, etc. *Et post lotionem manuum:* Orate fratres, *inquit,* ut meum ac VESTRUM Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem. *Nota sacerdotem Sacrificium, quod peragit, non sibi tantum, sed et præsentibus abscribere. Præterea in canone, ad* Memento pro vivis, *subjungit:* Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est et nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suæ: tibique reddunt vota sua æterno Deo vivo et vero. *En quantum iis tribuitur, qui Sacrificio Missæ intersunt. Qui vero in eodem cum sacerdote*

*sacram Eucharistiam sumunt, piissima illa oratione sacerdotis comprehenduntur, quam post Elevationem corpore inclinato dicit :* Supplices te rogamus, omnipotens Deus : jube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinæ Majestatis tuæ, ut quotquot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filii tui Corpus et Sanguinem sumpserimus, omni benedictione cœlesti et gratia repleamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

§ III. QUOMODO MISSÆ SACRIFICIO OPORTEAT INTERESSE.

Quod *Siracides ait* Eccli. 33. 23. In omnibus operibus tuis præcellens esto, *potissimum observandum est circa Missæ Sacrificium, quandoquidem hoc præcipuum christiani hominis opus est.*

1. *Talis intentio formanda est, quali fuit a Christo institutum. Proinde dum vadis ut Sacro intersis, excita te his vel similibus verbis :* Lætatus sum in his. quæ dicta sunt mihi : in domum Domini ibimus. *Ps.* 120. *Vel:* Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum. *Vel:* Transibo ad locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. *Qua vero ratione se durante Sacrificio habere oporteat, docet S. Chrysost.* An non vides, *inquit,* eos qui sensibili, corruptibili, temporali et terreno regi assistunt? quam sint immobiles, non loquentes, non oculos huc et illuc mittentes? Multo magis cœlesti Regi cum timore adstare oportet. Quid facis, o homo? non promisisti sacerdoti, qui dixit : SURSUM CORDA et dixisti : HABEMUS AD DOMINUM ? nonne revereris et erubescis, quod illa ipsa hora mendax inveniaris? Mensa mysteriis instructa est, et Agnus Dei pro te immolatur, et Seraphim adstant. Et non erubescis, non revereris, non confunderis, neque Deum tibi propitium facis. Centum sexaginta octo horas habente hebdomade, unam et solam hanc horam sibi ipsi segregavit Deus et hanc sic insumis? Cum qua postea fiducia ad eumdem accedes? *quando nimirum ad terribile tribunal citaberis !*

§ IV. DE CEREMONIIS SACRIFICII MISSÆ.

*De his ita loquitur Concil. Trid. sess.* 22 *c.* 5. Cum natura hominum ea sit ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli : propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam,

ut scilicet quædam submissa voce, alia vero clariore in Missa pronuntiarentur, instituit: ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina et traditione, ut et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium, per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

## § V. EXPLICATIO VESTITUS SACRIFICANTIS.

*Quia per incruentum Missæ Sacrificium repræsentatur cruentum illud, quod in ara Crucis æterno Patri suo pro salute mundi Christus obtulit, quodque in memoriam passionis et mortis suæ fieri voluit, recte proinde vestes sacrificantis ad eamdem passionem et mortem Christi significandum ab Ecclesia ordinatæ sunt.*

1. Amictus, *seu* humerale, *significat pannum seu* velamen, *illud, quo* Christum velaverunt et percutiebant faciem ejus, et interrogabant eum dicentes: Prophetiza, quis est, qui te percussit? *Luc. 22. 64.*

2. Tunica linea, seu alba, *indicat* vestem illam, *qua* Herodes Christum indutum, cum exercitu suo derisit et remisit ad Pilatum. *Luc. 23.*

3. Stola, manipulus et cingulum, *referunt* funes et catenas, *quibus Christus toto corpore ligatus, per urbem Jerosolymam tamquam homo nefarius tractus est.* Joan. *28.*

4. Casula *nobis* vestem purpuream *proponit, qua* circumdederunt eum.

5. Tonsura *in modum coronæ sacerdotis crinibus incisa significat* coronam spineam quam milites plectentes imposuerunt capiti ejus, et dicebant: Ave, Rex Judæorum. *Joan. 19.*

6. Crux *casulæ inserta illius nos* Crucis *admonet, quam Christus humeris portavit; et in qua* Jesus emisit spiritum. *Matth.* 27.

7. Altare, *in quo nunc Christus tamquam incruentum Sacrificium Deo Patri offertur,* montem Calvariæ repræsentat, *in quo olim idem Redemptor noster Jesus Christus seipsum cruentum fecit Sacrificium, quo Patrem suum damnato mundo reddidit propitium.*

8. Velum *et ea quibus calix involvitur, significant linteamina, quibus Christi corpus fuit involutum.*

9. Cruces, *quas sacerdos crebro format, varios Christi cruciatus indicant.*

## 5. DE MODO AUDIENDI CONCIONEM SACRAM.

QUI EX DEO EST, VERBA DEI AUDIT PROPTEREA VOS NON AUDITIS, QUIA EX DEO NON ESTIS. *Joan.* 8.

### § I. QUOMODO SIT AUDIENDA CONCIO.

*Concio a legitimo Ecclesiæ ministro, tametsi exiguæ eruditionis aut sanctitatis esset, tamquam ab ore Dei excipienda est, qui sic cuivis legitimo concionatori loquitur.* Isaiæ 5. 16. Posui verba mea in ore tuo. *Thessalonicenses hoc modo conciones audivisse testatur Apostolus.* 1. Thess. 2. 13. Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed (sicut est vere) verbum Dei. Non vos estis *(ait Christus suis discipulis*, Matth. 10. 20.) qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. 2. *Deinde nemo qui ad concionem audiendam accedit, putet se concionatore esse doctiorem. Audiatur S. Ambros. l.* 1. *off.* c.1. Quamtumlibet quisque profecerit, nemo est, qui doceri non indigeat. *Et lib.* 1. *in Lucam:* Dei Mater a pastoribus sacram instructionem accepit. *S. August. Epist.* 71. Senex a juvene, Episcopus tot annorum paratus sum discere.

### § II. QUAM UTILE ET NECESSARIUM SIT AUDIRE CONCIONEM.

*Per concionem tenebræ et errores animi, quibus hic per peccata offenditur, dispelluntur.* Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. *Ps.* 118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis. *Ibid. Verbo Dei cor frigidum incalescit et induratum conteritur.* Jer. 24. 29. Numquid non verba mea sunt quasi ignis, dicit Dominus, et quasi malleus conterens petras? *Et Prov.* 30. 5. Omnis sermo Dei ignitus clypeus est sperantium in se. *Per idem Dei verbum dissecatur cordis vinculum, quo hoc creaturis inordinato affectu adhæret.* Vivus est enim sermo Dei et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus. *Hebr.* 4. *Fecundo imbri comparat illud* Is. 55. 10. Semen, ait *Christus* Luc.

8. 11. est verbum Dei, *quod nimirum fructum affert in vitam æternam. S. Augustinus non dubitat dicere, verbum Dei pari reverentia et cura excipiendum esse qua Corpus et Sanguis Christi. Omnia denique animæ vulnera curat Verbum Dei.* Sap. 16. 12. Etenim neque herba, neque malagma sanavit eos: sed tuus, Domine, sermo, qui sanat omnia. *Quamobrem* beati, qui audiunt verbum Dei, et custodiunt illud. *Luc.* 11.

### §. III. QUID ANTE CONCIONEM FACIENDUM.

*Recta intentione accedendum, non ex curiositate, sed ut vitam nostram in melius emendemus; tum cor per actum contritionis mundandum est.* Quoniam in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. *Sap.* 4. *Curæ deinde seponendæ sunt: his enim verbum Dei suffocatur.* Luc. 8.

*Nihilominus etiam sine hac præparatione verbum Dei audivisse sæpe profuit. S. Antonius fortuito templum ingressus audit hæc verba:* Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et veni, sequere me. *Matth.* 19, *illisque permotus, exemplo abdicatis omnibus Christum est secutus.*

### ORATIO ANTE CONCIONEM.

Audiam quid loquatur, etc. *Vide. pag. 29.*

### § IV. QUID SUB CONCIONE FACIENDUM.

*Concionator tamquam Christi legatus est audiendus. Sic enim ipse Christus ait.* Matth. 10. Ecce ego mitto vos, etc. *Apostolus sibi legati auctoritatem assumere non dubitavit.* 2. Cor. 5. 20. Pro Christo, *inquit*, legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos. *Quod audit, non aliis, sed sibi quisque applicet.* 1. Tim. 4. 16. Attende tibi. *Servanda sunt quæ dicuntur.* Maria conservabat omnia verba *(dicta a pastoribus ovium)*, conferens in corde suo. *Luc.* 2.

### § V. QUID POST CONCIONEM FACIENDUM.

*Agendæ sunt Deo gratiæ: si enim has exigat refectio corporis, quanto magis refectio animæ!*

*Laborandum est quoque, ut opere expleatur, quod auribus excepimus: ait enim Dominus.* Is. 55. 11. Verbum meum non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcumque volui, et prosperabitur in his ad quæ misi illud. *Queritur Domino* Pro-

pheta Ezech. 33. Audiunt sermones tuos, et non faciunt eos. *Sequamur adhortantis apostoli Jacobi verba, c.* 1. Estote factores verbi, et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos. Non enim auditores legis *(inquit Apostolus.* Rom. 2. 13. justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur.

ORATIO POST CONCIONEM.

Gratias ago tibi, Domine, etc. *Vide pag.* 30.

---

## 6. DE MENSÆ SANCTIFICATIONE.

*Monet Apostolus* 1. *Cor.* 10. Sive manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite. *Et Christus Luc.* 21. Attendite vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus vitæ. Regnum Dei non est esca et potus, sed justitia et pax, et gaudium in Spiritu sancto. *Rom.* 14. *Ne umquam negligas, quoties mensæ accumbis, benedictionem et gratiarum actionem. Christus enim numquam se vel alios pavit sine benedictione et gratiarum actione.* Matth. 26. Marc. 6. Luc. 24. Joan. 6. etc. Mensa ab oratione sumens initium et in oratione desinens, numquam deficiet. *S. Chrys. Hom.* 19. *ad Pop. S. Ambr. Lib.* 3. *de Virg.*

*Vult S. August. lib. de conflictu virtut. et vitior.*, ut sicut æger ad medicinam, sic ad sumendas dapes accedamus, nequaquam in illis voluptatem appetentes, sed necessitati succurrentes. Non in comessationibus et ebrietatibus, *inquit S. Paulus Rom.* 13. Sobrii estote, 1. *Pet.* 5. *Utinam vero omnes imitarentur quod præscribit S. Bern. fratribus de monte Dei:* Nequaquam, *ait* totus manduces, sed corpore tuo, suam refectionem procurante, mens suam non negligat. *Laudatissimus hic mos est, ut, si fieri commode possit, vel ante mensam, vel tempore mensæ aliquid ex pio libello prælegi curent. Sanctus Augustinus (uti scribit de eo Possidius, plurimis annis hujus commensalis) numquam lectionem mensæ intermitti permisit. Hos præterea versus illi præfixit:*

Quisquis amat dictis absentum rodere famam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

*Similiter cavenda sunt turpiloquia et deliciæ in cibo et potu. Sanctus Hieronymus ad Nepot.* Dum delicias sectamur, a regno cœlorum retrahimur.

---

## 7. DE SEMITA PERFECTIONIS,

### SEU BREVISSIMUM THEOLOGIÆ ASCETICÆ COMPENDIUM.

Juverit paucis verbis hic tradere, qua via facillime ad perfectionem christianam perveniatur, quæque adeo tota theologiæ asceticæ sit natura et ratio. Primum quidem Theologia Ascetica est scientia supernaturalis, quæ hominem dirigit ad summam perfectionem, quam assequi possit in hac vita: nimirum, ut philosophia moralis hominem et civem, catechesis christianum, ita ascesis sanctum instituit, ac propterea disciplina ascetica scientia sanctorum et ars sanctitatis appellatur. Dicitur autem scientia vel ideo quod via demonstrationis procedit; supernaturalis vero, quod non, ut philosophia moralis, in mero dictamine rationis quiescit, sed principiis revelationis innititur. Primarius illius finis non est intellectus, sed voluntas, atque ita perficienda præsertim voluntate, ipsam perfectionem consequi exoptat. Ut autem eo perveniat, omnes animæ potentias, quotquot sunt et quantum voluntati sunt subjectæ, dirigere conatur.

Porro perfectum in suo genere dicitur omne et solum id cui nihil deest ad finem propter quem est. Perfectio autem definitur: complexio partium aut proprietatum quæ requiruntur, ut nihil omnino desit ad finem propter quem aliquid est. Perfectio enim a perficiendo derivatur, et perfectum esse opus, idem est atque consummatum esse secundum intentionem operantis vel imperantis.

Atque hanc Perfectionis ideam esse perfectam, constabit examinanti perfectionem naturalem in flore, artificialem in horologio,

moralem in cive, spiritualem in Angelo, increatam in Deo. Nam Deus quoque ideo est ens infinite perfectum, quod nihil illi deest quod requiritur ut sit quod est, bonum summum, et quod omnia quæ infinite perfectum constituunt, in se comprehendit. Imo comparatio instituta cum Deo haberi potest tamquam regula judicii de perfectione creata; quippe quæ semper est participatio quædam perfectionis increatæ major vel minor, prout Creator sese magis aut minus creaturæ communicat: alia enim entia cum Deo nihil commune habent, nisi quod *sint;* alia autem etiam quod *vivant*, et alia insuper quod *intelligant*, ita ut singula tamen in suo genere perfecta sint.

Quod autem hominem attinet, ille similis Deo fieri potest quatuor modis, puta, per naturam, per industriam, per gratiàm et per gloriam. Natura hominem similem Deo facit dotibus quæ naturæ divinæ dotibus sunt similes, quales sunt, inter alias, animæ spiritualitas, immortalitas, libertas. In hujusmodi excellenti natura nimium sibi complacens Lucifer misere periit. Industria propria vel aliena fit, ut homo majorem sibi cum Deo similitudinem comparet, puta: potentia, forma, doctrina, aliave id generis perfectione; qualem quia modis prohibitis Adam ambivit, se et nos perdidit. Neutram ex his similitudinem intendit ascesis christiana; at vero tertiam quærit; eam nempe per quam homo fit similis Deo sanctitate, dum per vires naturæ atque industriæ cooperatur gratiæ, per quam elevatur ad gloriam, qua tandem erimus sicut dii, similitudine ad veram æqualitatem, quam proxime potest, accedente.

Itaque sensu ascetico perfectus est homo, cui nihil deest ad similitudinem cum Deo, sanctitate voluntatis, atque inde jam palam fit, cur alii perfectionem in amore Dei, alii in conformitate cum divina voluntate constituant. Nempe amor similes aut invenit aut facit: velle enim ei quem quis amat, idem et omne illud quod ipse sibi vult, amare est; atque ideo qui amat Deum, inclinationes suæ voluntatis conformes habet voluntati divinæ, et ita habet summam cum Deo similitudinem sanctitatis, propterea quod Dei voluntas ex natura sua sancta est. Atque hanc solam similitudinem

Deus ab hominibus exigit, tamquam a qua sola homo fit bonus ac Deo amabilis, et sine qua reliquæ similitudines omnes gravissimorum abusuum periculo exponuntur. Tanti momenti est esse sanctum, id est, tanti momenti est obedire divinæ huic adhortationi, *Estote perfecti*, bona nempe voluntate, *sicut et Pater vester cœlestis perfectus est!* Ita vero perfecti tum solummodo erimus, quum quod ille vult et quia vult et quomodo vult, nosmetipsi semper in omnibus voluerimus.

In promptu ergo est, eos qui plenam voluntatis suæ cum divina acquisierint conformitatem, Deo perfecte servire, ipsumque diligere super omnia, hoc est, *ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima et ex totis viribus*. Quæ quidem perfectio diversos continet gradus; quum sane perfectus Dei servus sit ille, qui a gravibus peccatis plane alienus, vel levissima quæque magno opere etiam evitare nititur, tametsi perfectior certe ille sit, qui se etiam inclinat omnibus Dei consiliis, idque constanter, alacriter et ferventer, ut adeo summus hic perfectionis gradus suos iterum gradus habeat. Neque etiam contendimus, omnes homines ad summum omnium gradum eniti debere; quum nemo sit qui neget, eos qui altaris ministerio aut vitæ monasticæ sese totos devoverunt, arctioribus sane vitæ melioris vinculis sese obstrinxisse. Id tamen addere non dubitamus, non ita perfectionem christianam ac sacerdotis ædiculam aut Religiosorum claustra esse ablegandam quasi in vita sæculari nequaquam ad perfectionem tendere christianus debeat; falsissima sane est ea mundi cæcutientis persuasio: idem enim omnibus christianis Evangelium prædicatum est, eadem præcepta omnibus data, eadem omnibus vitæ christianæ semita fuit proposita; quod vel ex eo maxime patet, quod Salvator noster ac Dominus Jesus Christus, dicens: *Estote perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est*, sermonem promiscue ad fideles omnes instituit, omnibusque, quotquot filii adoptivi nomine gloriantur, Patris cœlestis perfectionem æmulandam proposuit, ut adeo omnium Christianorum una sit ratio, unum perfectionis quærendæ incitamentum, omnibusque etiam triplex perfectionis via summo animi studio sit petenda.

I. Primum quidem omnium quotquot sunt christiani, officium est a malo declinare, peccata fugere, vitia proscribere, concupiscentias pravas cohibere, superbiam, avaritiam, gulam, luxuriam et reliquam vitiorum pestem abnegare, ni malint a regno cœlesti, in quod nihil coinquinatum ingreditur, æternum exulare.

II. Hoc etiam est nostri officii, ut animum virtutibus exornare, et fide, spe, charitate, religione, timore Domini, prudentia, justitia, temperantia, fortitudine, cæterarumque virtutum ornamentis conemur excolere, nisi cum virginibus fatuis a nuptiis cœlestibus velimus excludi.

III. Demum nemo est quem lateat, Deum super omnia esse amandum, proximum autem ut nosmetipsos a nobis diligendum esse, si mortem sempiternam optemus evadere; quum *qui non diligit, maneat in morte.*3. Joan. 1. 14.

Ex his igitur manifeste patet primum quidem Christianis omnibus, cujuscumque sint aut conditionis, aut ætatis, aut sexus, ad perfectionem christianam adspirandum esse, neminemque omnino, pro suo tamen quemque statu, ab ea obligatione esse liberum: deinde ad hanc perfectionem triplici potissimum via facillime perveniri, quarum prima ab ascetici nuncupatur *purgativa*, secunda *illuminativa,* tertia *unitiva.*

1. Quemadmodum enim regi principive terreno metropolim regni, in solemni inauguratione, primum ingressuro viæ præparantur, colles planantur, valles æquantur, sentes vepresque exscinduntur, sordes luteæ, aliaque id genus obstacula removentur, ut facili jucundoque itinere urbem subeat, ita pariter Deo cœli et terræ, et vero etiam nostro omnium Domino, sive is in animam nostram ingredi paret, sive nos ad ipsum per semitam perfectionis tendamus, ut ita in anima nostra æternum sibi eligat domicilium, ante omnia via purganda et præparanda est, hortante ad id ipso Christo Domino nostro, et præcursore ejus Joanne Baptista: *Parate viam Domini, rectas facite semitas ejus; omnis vallis implebitur, omnis mons et collis humiliabitur; et erunt prava in directa et aspera in vias planas;et videbit omnis caro salutare Dei.* Luc. 3.

Tollenda nimirum omnia vitiorum et pravorum affe-

ctuum obstacula, detestanda et fugienda peccata, vetus homo exuendus, vigilando, orando, carnem jugi mortificatione crucifigendo, atque ita fiet ut anima rite purgata videat salutare Dei: Deum nempe et Christum Redemptorem suum in via illuminativa cognoscet.

2. Quod si regi principive inaugurando non tantum viæ mundantur, et sordes removentur; verum etiam ramis, floribus et pretiosissimis tapetibus plateæ exornantur, quidni et nos Regi cœlesti in animam nostram ingressuro, illicque gratiæ regnum occupaturo, viam fragrantibus omnium virtutum floribus adornemus? Qua vero ratione id potissimum præstare possimus, ipse nos optime docet qui est *via, veritas et vita.* Joan. 24. Nempe *inspiciendo* et *faciendo* secundum quod ipse nobis monstravit, patefiet, hac via illuminativa tutissime ad unitivam perveniri, si virtutes 1° cognoscere, 2° amare, 3° petere, 4° tandem in iis excolendis graviter nos exercere velimus; atque hac quadruplici exercitatione totam viam illuminativam plane constare.

3. Tandem, quum rex quipiam inaugurandus urbem principem subit, non sat est civibus vias mundasse, obstacula removisse, floribus et tapetibus plateas adornasse; post hæc omnia faces et lampades sub vesperum accendunt, ignesque festivos excitant, ut ingens suum de adventu regis gaudium, amoremque in personam regiam singularem demonstrent. Simili ratione Deo cœli et terræ, et nostrum omnium Domino, post mundatam sordibus peccatorum animam, post sparsos virtutum flores, ardentes divinæ charitatis ignes continuo succendendi sunt. Quoniam vero voluntas nostra cæca est, et nihil velle aut amare valemus quod ignoramus et non cognoscimus, omnia conamina ad Deum, illiusque attributa, perfectiones, proprietates et magnalia pro intellectus nostri tenuitate cognoscenda fas est adhibere; quo facto, mox e cognitione amor, velutite sole lumen, ex igne calor, e rei pulchræ contemplatione complacentia prosiliet; atque inde continuo existent varii illi amoris affectus, dulcia hæc animæ suspiria, omniaque illa dilectionis opera, quibus constet, nos ita cum Deo conjunctos esse, ut jam inde habitatio nostra in cœlis esse

videatur. Tertia autem hæc via nos recta in cœlestem patriam ducet, ubi licebit Deo nostro frui, ipsum videre facie ad faciem, sicuti est, atque in ipso et cum ipso omni felicitate æternum gaudere; propterea quod similes ei quodammodo facti in hac vita magis magisque semper conati sumus nos cum eo per viam unitivam conjungere.

*Qui plura de hac Perfectionis semita doceri et Christum proprius quotidie in ea sequi velit, sibi comparet opusculum vere aureum quod inscribitur: Semita perfectionis, illuminativa et unitiva etc. Proposita a R. P. Dirkinck, S. J.;* INTRODUCTIO AD VITAM DEVOTAM SANCTI FRANCISCI SALESII, *hac in re neque nostris laudibus neque etiam commendatione indiget. Pugna spiritualis in fidelium manibus numquam sufficienti cura versari poterit.*

# XL.

# DE SACRAMENTO POENITENTIÆ;

REMEDIA GENERALIA ET PARTICULARIA CONTRA PECCATA; DE SS. EUCHARISTIA; DE INDULGENTIIS.

## 1. DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

### § I. QUID, ET QUAM UTILE SIT HOC SACRAMENTUM.

Pœnitentia Sacramentum est, in quo sacerdotalis absolutio a peccatis, quæ detestatus riteque confessus quis fuerit, impenditur. *Conc. Trid.*

*Et per hoc Sacramentum non solum remittuntur peccata, sed gratia insuper peculiaris (quæ summus animæ thesaurus est et semen æternæ gloriæ), confertur. Ex quo patet, quam utilis sit crebra confessio.*

## § II. QUID REQUIRATUR AD HOC SACRAMENTUM.

*Tria sunt, quæ ad hoc Sacramentum requiruntur:* CONTRITIO, CONFESSIO *et* SATISFACTIO. *Audi S. Chrysost.* Contritio sit in corde, in ore confessio, in opere tota humilitas; ut quibus modis Deum offendimus (offendimus autem corde, ore, et opere), iisdem reconciliemur Deo: corde quidem per contritionem, ore per confessionem, et opere per satisfactionem.

## § III. QUID SIT CONTRITIO.

Contritio generalius sumpta, a Conc. Trid. sess. 14. cap. 4. describitur *animi dolor ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero.* Jam vero alia est contritio perfecta, alia imperfecta. Prior est contritio de peccato ut est offensa Dei, super omnia propter se dilecti charitate perfecta. Hæc contritio, cum ex tam vehementi Dei amore, indigentique peccati detestatione procedat, hominem Deo semper reconciliat, etiam priusquam Sacramentum Pœnitentiæ actu suscipiatur; votum autem seu desiderium illud reipsa suscipiendi data occasione essentialiter aliqua ratione in ea includitur. Posterior est contritio de peccato, communiter concepta vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ et pœnarum metu. Hæc contritio imperfecta quæ *attritio* dici solet, si cum spe veniæ voluntatem peccandi excludat, non solum non facit hominem hypocritam et magis peccatorem, quod falso Lutherus asseruit, verum etiam donum Dei est et Spiritus sancti impulsus, non adhuc quidem inhabitantis sed tantum moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Præterea attritio, etsi sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hæc doctrina hic ipsissimis fere Conc. Trid. verbis exprimitur Utrum vero contritio imperfecta omnem peccandi voluntatem excludere possit, et ad percipiendam in Sacramento Pœnitentiæ remissionem peccatorum proxime disponere, si non adsit aliquod divini amoris initium quo Deum tamquam omnis justitiæ fontem peccator diligere incipiat, id inter theologos salva fide disputatur; neque hic locus est in eam rem penitus in-

quirere. Quod ad praxim attinet, vel ob hanc ipsam incertitudinem non sat magnam salutis suæ curam gerere videretur, qui dum ad Pœnitentiæ Sacramentum accedendum est, ita soli timori ultro inhæreret, ut ad Deum quem peccando contempsit, super omnia diligendum non plane anniteretur.

### §. IV. UTILE EST SÆPIUS ELICERE CONTRITIONEM.

*Utile est assuescere eliciendæ sæpius contritioni, 1. Ne morte inopinata obruti æternum damnemur 2. Ut bonorum operum nostrorum semper habeamus optatum fructum: illa enim mortua sunt nobisque ad augmentum æternæ salutis non prosunt, quamdiu sumus extra gratiam Dei. Ideo tamen non sunt omittenda bona opera in statu peccati mortalis: sed tunc vel maxime illa exercenda sunt, ne prorsus nos Deus abjiciat et impleta scelerum mensura, quam aliis arctam, aliis amplam indulget, æternum damnet. Movetur præterea Deus bonis operibus peccatoris, ut illi det gratiam pœnitentiæ et seriæ conversionis, et a gravioribus malis eumdem liberet.* Nonne vidisti *(ait Dominus ad Eliam 3. Reg.* 21.) humillimum Achab coram me ? *Gravissimum hic rex furtum et homicidium, cum scandalo totius populi commiserat:* quia igitur humiliatus est mei causa (operuit *enim* cilicio carnem suam, jejunavitque et dormivit in sacco, et ambulavit demisso capite. *Ib.* ℣. 27.) non inducam malum in diebus ejus.

### § V. QUOMODO ELICIATUR CONTRITIO.

*Potest contritio vel unico suspirio cum vel sine verbis elici, juxta ea, quæ dicta sunt supra. Variæ quidem breves, et prolixæ proponuntur formulæ* Contritionis, *v. g.* Amo te, Deus, summum bonum meum super omnia : ideoque ex animo doleo, quod te umquam offenderim; propono seriam emendationem, confessionem et satisfactionem, etc. *sed ad effectum interiorem Deus potissimum attendit,* Peccavi Domino, *ait David, reus adulterii; et statim audivit a Nathan Propheta:* Dominus quoque transtulit peccatum tuum. *Utique amorem Dei offensi, propositum emendationis et satisfactionis David animo perfectissime conceperat, etsi illa verbis non expresserit. Proinde qui voluerit* Contritionem *elicere, non tam de verbis quam* affectu *veri* amoris *et* doloris *sit sollicitus.*

§ VI. NON EST FIDENDUM ELICITÆ CONTRITIONI NEGLECTA EMENDATIONE.

*Qui libere præsumeret peccare, illa fiducia fretus quod post commissum scelus, et in vitæ periculo constitutus, vellet elicere actum contritionis, is Deo illudere et quodammodo insultare videretur; et qua ratione in singularem illam Dei gratiam, quæ ad contritionem eliciendam requiritur, sperare potest?* Nolite errare, *ait Apost. Gal.* 6. 7. Deus non irridetur.

§ VII. QUALIS SIT CONFESSIO, FACTA SINE CONTRITIONE.

Talis Confessio, *inquit S. Bern.*, non solum veniam non meretur, sed et provocat iram. *Quidam tantum solliciti sunt, ut omnia peccata sua recenseant sacerdoti de sincero dolore firmoque emendationis proposito non magnopere laborantes; cum tamen hæc posterior æque necessaria, et essentialis pars confessionis sit, quam peccatorum enumeratio. Audi denuo S. Bern.* Numquid profuit Sauli, quod se ad increpationem Samuelis peccasse confessus est? Culpabilis procul dubio fuit illa confessio, quæ culpam non delevit, *ob defectum videlicet cordis contriti et humiliati. S. Augustinus dicit:* Pœnitentiam certam non facit nisi odium peccati, amor Dei... Salvatur peccator quia dolet: liberatur, quia pœnitet.

§ VIII. AN PRÆSUMI POSSIT, SUFFICIENTEM ILLOS DOLOREM ELICERE DE PECCATIS, QUI FERE SEMPER CUM IISDEM MORTALIBUS PECCATIS AD CONFESSIONEM REDEUNT.

Respondet *S. Aug.* Multi assidue se dicunt esse peccatores, et tamen adhuc illos delectat peccare. Professio est, non emendatio: accusatur anima, non sanatur: pronuntiatur offensa, non tollitur.

*Huic consentit S. Greg.* Pœnitentiam agere, est et perpetrata mala plangere, et plangenda non perpetrare: qui sic alia deplorat, ut tamen alia committat, pœnitentiam agere aut dissimulat, aut ignorat.

*Si quis virum honestum et innocentem crebris cæderet colaphis, et se deinde dolere de patrato facinore diceret, emendationem insuper promitteret; sibique culpam ignosci peteret; hac autem impetrata, mox flagitium repeteret atque iterum supplex veniam rogaret, deciesque ita, imo vicies, tricies facinus iteraret, et culpam de-*

*precaretur; num dices talem vere dolere serioque emendationem proponere? Par utriusque est ratio. Quot ejusmodi pœnitentes infelix mors rapuit, æternisque cruciandos ignibus addictos tenet?* Ita est VERA POENITENTIA, quando sic convertitur quis, ut non revertatur: quando sic pœnitet, ut non repetat, *ait S. Aug.*

§ IX. NON EST PECCANDUM, SPE MISERICORDIÆ OBTINENDÆ.

*Multi, ut libertati peccandi patrocinarentur, extollunt divinam misericordiam. Sed hanc ita extollunt, ut* Justitiam divinam *velint oppressam, infinitaque Dei bonitate in æternam sui perniciem abutantur, dum hac fretii gravissima quæque peccata repetere non verentur. Considerent illi, obsecro, an aliquos in sacris paginis reperiant qui per pœnitentiam Deo reconciliati, postmodum fuerint in priora scelera relapsi. Num David, Achab, Manasses, Magdalena, Petrus, Latro, Paulus, etc. post conversionem suam pristina peccata repetiverunt? His tamen exemplis divinæ misericordiæ abundantiam demonstramus: recte proinde Siracides monet,* Eccli. 5. Ne dicas: Miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur; misericordia enim et ira ab illo cito proximant, et in peccato respicit IRA illius. *Et cap.* 13. Fili, peccasti? non adjicias iterum: sed et de pristinis deprecare, ut tibi dimittantur.

§ X. NON EST DIFFERENDA POENITENTIA.

*Manassis regis filium Amon, ait Clemens, lib.* 2. *Const. cap.* 23 *sese ad patranda libere flagitia his verbis animasse:* Pater meus Manasses plurima in juventute sua commisit scelera, et postquam senuit, egit pœnitentiam: hujus ego vestigiis insistam. *Sed neque ætatem patris (qui regnavit annis 55), neque gratiam pœnitentiæ obtinuit: secundo enim regni anno vix completo a servis suis interfectus, misere periit.* Non tardes, *ait Siracides, Eccl.* 5. converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, et in tempore vindictæ disperdet te. *Putasne alia tecum via Deum processurum? tibique minus mali, quam cæteris eventurum? Dicis: Cras convertar;* converso tibi indulgentiam Deus promisit; sed crastinum diem tibi nemo promisit, ait *S. Aug. Audi vocem clamantis in deserto. Matth.*

3. Progenies viperarum, quis demonstravit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ. Nisi *enim* pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. *Luc. 13. 3.* Quid in diem crastinum differs? *ait S. Ambr.* Cavendum est, ne et illum non teneas, et hodiernum amittas. Hac *enim inquit S. Aug.*, percutitur animadversione peccator, ut moriens obliviscatur sui, qui dum viveret *(sanus)*, oblitus est Dei. Pœnitentia quæ ab infirmo petitur, infirma est. Pœnitentia, quæ a moriente petitur, timeo ne ipsa moriatur. Ideo quicumque invenire vult misericordiam Dei, sanus agat pœnitentiam in hoc sæculo, ut sanus esse valeat in futuro.

§ XI. NON IDEO HÆC DICTA SUNT UT AD DESPERATIONEM IMPELLAMUR; SED ET POENITENTIAM, A QUA SALUS NOSTRA DEPENDET, BENE ET NATURE EXERCERE NITAMUR.

*Nemo umquam, quantumlibet gravium et multorum peccatorum reus, arbitretur actum esse de salute sua.* Si *enim* impius, *ait Dominus, Ezech. 18.* egerit poenitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, et custodierit omnia præcepta mea, et fecerit judicium et justitiam, vita rivet, et non morietur: omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor. *Confirmatur id, cap. 33. 11.* Vivo ego, dicit Dominus Deus, nolo mortem impii: sed ut convertatur impius a via sua, et vivat. Convertimini, convertimini a viis vestris pessimis: et quare moriemini? Impietas impii non nocebit ei, in quacumque die conversus fuerit.

§ XII. CONFESSIO QUOQUE, SEU MANIFESTATIO PECCATORUM, AD HOC SACRAMENTUM NECESSARIA EST.

*Ut peccator Deo reconcilietur, non sufficit confessio, quæ solo* corde *aut* soli Deo *fit; sed requiritur etiam Confessio* oris *coram legitimo sacerdote.* Quia sine illa singulorum delictorum declaratione et explicatione a reo facta, confessarius non posset ferre judicium, quod tamen e verbis institutionis hujus sacramenti requiritur. *In veteri Lege hujus Confessionis figuram habemus: præcepit enim Dominus Num. 5. 6.* Vir sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere, et per negligentiam transgressi fuerint mandatum Domini, atque deliquerint, confitebuntur pec-

catum suum. *Tempore Apostolorum hujus fuit usus Act. 19. 18.* multi credentium veniebant cônfitentes, et annuntiantes actus suos. *Urget Confessionem apost. Jacobus in Epist., cap. 5.* Confitemini alterutrum peccata vestra. Si enim confiteamur peccata nostra *(ait dilectus Christi discipulus Joan. 1. 9.)* fidelis est et justus *(Deus)* ut remittat nobis peccata nostra, et emundet nos ab omni iniquitate. *Accedunt* SS. PP. sententiæ. Si erubescat *(verba sunt S. Hier.)* ægrotus medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat. *Culpat S. Ambrosius illos, qui aiunt,* se Domino deferre reverentiam, qui soli remittendorum criminum potestatem reservent. Necessario *(inquit S. Basil.)* iis peccata aperiri debent, quibus credita est dispensatio Mysteriorum Dei. *Accedit S. Aug.* Sunt quidam, qui sufficere sibi ad salutem autumant, si soli Deo, cui nihil occultum est, quem nullius latet conscientia, sua confiteantur crimina. Nolunt enim, aut erubescunt, sive dedignantur ostendere se sacerdotibus. Sed nolo, ut ista decipiaris opinione. Cicatricum tuarum arbiter, Dei vice, adhibeatur presbyter, et revela ei vias tuas.

### § XIII. QUALIS DEBEAT ESSE CONFESSIO.

1. HUMILIS. *Exemplum sume* a Magdalena *ad pedes Christi provoluta:* a Prodigo, *ad pedes patris sui prostrato;* a Publicano *non audente oculos in cœlum attollere.* Non potuisset non placari Deus *(inquit S. Bern.)* cum Saul ad increpationem Samuelis se peccasse confessus est; 1. *Reg. 15.* Si quæ in ore sonuit, in corde radiasset humilitas.

Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. *Jac. 4. 6.*

2. SIMPLEX. Nam peccata excusare, alleviare, adumbrare, etc., *ut docet S. Bern.* non confessio est, sed defensio: nec placet, sed provocat. Genus excusationis est, cum tu argueris, alium incusare. *Id quod in primis parentibus nostri Adam et Eva deplorat S. Chris.* Cum oporteret illos *simpliciter* dicere, PECCAVIMUS, Adam in Evam confert culpam, et ista rursus in diabolum. Atque ita non solum non confitentur, sed etiam defensionem comparant. Vide David nullam excusationem afferentem, quando peccavit, sed dicentem: PECCAVI DOMINO. Multi *(ait S. Aug.)* sic confitentur, ut ipsum Satanam accusent, quasi revera tra-

xerit eos, aut violentiam fecerit, qui quidem suadere et sollicitare potest, cogere omnino non potest. *Sit ergo confessio simplex,* sui, *non aliorum accusatio, vitata excusatione, etc.*

3. BREVIS, *sine ambagibus non necessariis, iis maxime, quibus alii incusari et infamari possint, non sine periculo committendæ gravis detractionis. Tam enim in confessione quisque aliorum honori tenetur parcere, quam extra illam.*

4. CLARA, *vitando verba et modos loquendi æquivocos, dubios, universales, etc., ex quibus nihil certi potest cognosci. Non homini, sed Deo, quem nihil potest latere, confiteris. Ita proinde recense omnia, prout a conscientia tua dictantur. Quod non observant, qui v. g. in confessione dicunt,* se malas habuisse cogitationes, *neque significando quales illæ fuerint neque addendo, an consensum iis dederint, aut negarint, etc ; malæ enim cogitationes etiam sanctos possunt invadere, qui illas repellendo, non modo non peccant, sed et præmium æternamque merentur gloriam.*

5. INTEGRA ,*ita ut omnia et singula peccata gravia, quorum quis recordatur , pandantur. Non enim sanatur æger, qui non omnia lethalia corporis sui vulnera patefacit medico. Orig.* Cuncta, *ait,* pronuntianda sunt, quæ egerimus. Si quid in opere, in sermone solo , vel intra cogitationum secreta commiserimus , necesse est proferri , etc. *Clarius S. Aug.* Confitere quæ te remordent flagitia ; detege specialiter quæ scis specialia. *Et in Ps. 66.* Agnosce medici manum, confitere, exeat in confessione, et; defluat OMNIS sanies. Jam exulta, jam lætare : quod reliquum est, facile sanabitur.

*Adde numerum peccatorum de quibus scitur, vel saltem dubitatur, esse gravia, cum circumstantiis speciem mutantibus, vel notabiliter aggravantibus aut diminuentibus.*

6. VERECUNDA, *S. Ambr.* Erubescere debemus , et condemnare peccatum quoniam pudore culpa minuitur. ERUBESCENTIA ipsa *(inquit S. Aug.)* partem habet remissionis.

*Et hæc* est confusio adducens gloriam et gratiam. *Eccli. 4. 24.* Est etiam confusio adducens peccatum : *contra quam Siracides ibidem sic hortatur :* Pro anima tua ne confundaris dicere verum. *S. Chrysost. dicit :* In peccatis, quæ com-

misimus, confitendis neminem vereamur. Deum dumtaxat, ut decet, formidemus.

*S. Aug.* Times confiteri, qui non confitendo esse non potes occultus ? Damnaberis tacitus, qui posses liberari confessus. *Et alibi:* Heu ! cur erubescis confiteri quod facere nequaquam erubuisti ? Melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam indie judicii coram tot milibus hominum gravi repulsa denotatum tabescere.

7. FIDELIS, *certa ut certa, dubia ut dubia enuntians, aliena autem ab omni dolo.* Sacerdotes enim, *ait S. Ambros.*, non auferunt peccatum ejus, qui in dolo se offert et adhuc in studio delinquendi est. *Sit deinde* FIDELIS, *ut non diffidat de venia obtinenda. Unde S. Bern.* Sit fidelis confessio, ut confitearis in SPE, de indulgentia penitus non diffidens : Judas proditor Domini, Cain fratricida confessi sunt, et diffici sunt. Nihil profuit eis infidelis confessio.

### § XIV. TERTIA SACRAMENTI CONFESSIONIS PARS, QUÆ EST SATISFACTIO.

*Ad confessionem quoque pertinere* Satisfactionem, *hoc est, expletionem piorum operum, vel a confessario injunctorum quæ* pœnitentiam *vocant, Ecclesiæ Catholicæ doctrina est. Vide Trid., sess, 14., can. 8. contra novatores, qui volunt* culpam a Domino numquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur. *Porro Conc., ibid., ostendit*, ex hujusmodi nostris satisfactionibus vim meriti et satisfactionis Domini nostri Jesu Christi nec obscurari, nec aliqua ex parte imminui. Dum satisfaciendo patimur pro peccatis, Christo Jesu (qui pro peccatis nostris satisfecit, ex quo omnis nostra sufficientia est) conformes efficimur, certissimam quoque inde arrham habentes, quod si compatimur, et conglorificabimur. Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum. Nam qui ex nobis tamquam ex nobis nihil possumus, eo cooperante qui nos confortat, omnia possumus. Ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo movemur, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et

per illum acceptantur a Patre. Debent ergo sacerdotes Domini, quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate, salutares et convenientes satisfactiones injungere : ne si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantum ad novæ vitæ custodiam et infirmitatis medicamentum; sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam et castigationem. Nam claves sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed et ad ligandum sunt concessæ. *Exigua pœna in hac vita sponte suscepta gravissimos purgatorii cruciatus evadimus. Hoc enim tempus gratiæ est, illud rigorosæ justitiæ.*

*Qua servitate David per omnem vitam in se* peccatum adulterii, *jejunando, flendo, orando, corpus miris modis affligendo*, vindicavit et castigavit, *quamquam pridem a Nathan Propheta audivisset, a se illud esse translatum: et quot lacrymas quotidie ad extremam usque senectam fudit Petrus ob peccatum, quo* Dominum *suum ex metu* negavit, *quamquam istud eadem nocte, vel die, qua commissum fuerat, Jesus respiciendo Petrum condonasset? Innumera sunt similia exempla. Audi quatuor Ecclesiæ Doctorum de hac re sententias.*

*S. Aug.* Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis.

*S. Hier.* Affligendum corpus quod multis vacavit deliciis: longus risus perpeti compensandus est fletu; mollia linteamina et serica pretiosissima asperitate cilicii commutanda.

*S. Ambr.* Qui agit pœnitentiam, non solum diluere lacrymis debet peccatum, suum, sed etiam emendatioribus factis operire, et tegere delicta superiora. Grande scelus grandem necessariam habet satisfactionem.

*S. Greg.* Qui se illicita meminit commisisse, a quibusdam etiam licitis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo satisfaciat. *Etenim satisfacimus*

*flagella a Deo nobis immissa humiliter patienterque tolerando.*

INCITAMENTUM AD CONFESSIONEM, EX S. GREG. NYSSENO, S. BASILII MAGNI FRATRE GERMANO.

Afflctionis tuæ participem et socium sume sacerdotem, ut patrem. Quis enim tam falso nominatur pater, aut tam duro atque adamantino animo præditus est, qui non filiis mœrentibus doleat, et gaudentibus lætetur? Sacerdos ita tristatur ob peccata illius, quem propter religionem habet loco filii, ut Jacob visa tunica Joseph sanguine conspersa; ut David luxit Absalonis interitum; ut Heli Ophnim et Phineem, qui in acie ceciderant: ut Moyses impium populum, qui rerum novarum studiosus vitulum sibi conflaverat. Quamobrem major tibi in eo fiducia sit, qui te in Christo genuit, quam in illis, a quibus corpore procreatus es. Audacter ostende illi quæ sunt recondita. Animi arcana tamquam occulta vulnera medico detege; ipse et honoris et valetudinis tuæ rationem habebit. Filiorum dedecore magis moventur parentes quam ipsi filii. Nam ut filiorum gloria ad parentes pertinet, sic etiam dedecus et turpitudo. Incertus est, fratres, terminus vitæ; discessum e vita diligentia præveniamus.

## 2. REMEDIA GENERALIA CONTRA PECCATA.

1. Frequens ut accurata confessio apud eumdem Confessarium, piusque S. Eucharistiæ usus. *2.* Quotidianum conscientiæ examen, fervensque tum in hoc, tum per diem contritionis exercitium. *3.* Fuga otii, occasionum et societatum quibus ad peccandum induci solemus. *4.* Custodia externorum sensuum, maxime oculorum, linguæ, manuum et aurium. *5.* Attenta concionum auditio. *6.* Quotidiana librorum spiritualium lectio. *7.* Sedula et devota oratio. 8. Memoria præsentiæ Dei, B. V., Angeli custodis, etc. *9.* Meditatio de vita et maxime de passione Christi, de quatuor novissimis. *10.* Crebra Dei per pias aspirationes invocatio.

*11.* Corporis afflictio per jejunia, cilicia, flagella, etc. Item eleemosynæ, aliaque charitatis et misericordiæ opera. *12.* Resistentia in principio tentationis.

REMEDIA PARTICULARIA.

*1.* CONTRA LUXURIAM.

1. *Fuge quam primum. Pugnatur quidem cum aliis vitiis, hoc* sola fuga *vincitur. Non sine causa ait Apostolus*: FUGITE fornicationem. 1. *Cor. 6.* Ignis LIBIDO *est, quo magis huic indulges, pabulumque subministras, tanto magis exardescit et sævit : Numquam expletur, numquam dicit :* Sufficit. *Obsequeris hodie? majora cras imperabit : Negas? vim faciet.* Dum servitur LIBIDINI *(inquit S. Aug.)* fit consuetudo : tenet denique obstrictum *miserum, eheu! libidinis manicipium,* dura necessitas.

*2. Custodi* oculos, manus, aures*: quo omnis lubrico huic vitio præcludatur aditus.* Pepigi fœdus *(inquit Job, c. 31. 1.)* cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine; quam enim partem haberet in me Deus? *si nimirum hoc non facerem. Recte quoque monet Apostolus, 1 Cor., c. 1.* Bonum est homini mulierem non tangere. *Et Eccli. 28.* Sepi aures tuas spinis.

*3. Fuge occasiones et consortia, quibus alias in hanc tentationem inductus es, maxime vero femineum sexum evita.* De vestimentis enim procedit tinea, et a muliere iniquitas viri. *Eccli 42. 13.* Per linguæ blandimenta decipit. *Prov. 28.*

*4. Expende jacturam honoris, fortunarum, valetudinis, perturbationes animi, tristitiam, aliaque innumera mala quæ, præter offensam Dei gratiæque amissionem ex hoc vitio pullulant graphice a Salomone descripta,* Prov. *7et alibi: unitam semper ab ipsomet Salomone observata! Tu illius malo cautior excipe saluberrimam monentis vocem :* Fili mi, audi me. Ne abstrahatur mens tua in viis illius (LASCIVIENTIS *mulieris)* viæ inferi domus ejus, penetrantes in interiora mortis.

*5. Considera, quam pauci huic vitio dediti solventur. S. Remigii sententia est :* Demptis parvulis. ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur. *Nec mirum est. Nam* verbum sapiens audivit luxuriosus, et displicuit illi, et projiciet illud post tergum suum. *Eccli. 21. Osee. 5.* Non dabunt cogitationes suas, ut revertantur ad Deum suum, quia spiritus

fornicationis in medio eorum. *Ob hoc vitium non solum Sodomam et Gomorrham cœlesti igne, verum et universum genus humanum diluvio deleri necesse fuit: nulla alia ratione abominabile hoc vitium tolli aut emendari potuit.*

*6. Propone tibi ob oculos aliquod tuorum vel tuarum nuper familiarium defunctorum cadaver in putredine sua et fœdissimorum vermium corrosione constitutum: an ad hujus amplexum propendes? amplectere, et has ab eo voces excipe*: Memor esto judicii mei: sic enim erit et tuum: mihi heri, et tibi hodie *Eccli. 38. 23.*

*7. Repræsenta tibi luxuriosorum cruciatus* in stagno ignis ardentis sulphure. *Apoc. 19. 20. Eheu!* MOMENTANEUM est quod DELECTAT, ÆTERNUM quod CRUCIAT. *Quod quia miseri in tempore non considerarunt, hinc æterna illa damnatorum est lamentatio :* Ergo erravimus a via veritatis. Transierunt omnia tamquam umbra. *Sap. 5.*

*8 Præsentiam Dei, B. V. et Angeli custodis considera, tibique dictum illud puta :* Quocumque perrexeris, memento te deprehensum. *Gen. 20. 16.*

*9. Confuge in expensa crucifixi Domini nostri Jesu Christi brachia, te ad amorem sui provocantis, tuosque amplexus avide expectantis. O quanto majoribus hinc anima tua voluptatibus perfundetur, quam iis, quas promittit caro ! Accurre, et dic :* Hæc requies mea, etc. *vel :* Quid mihi est in cœlo, etc.

*10. Carnis petulantiam, jejuniis, ciliciis, flagellis etc. sicut David coerce, aliaque remedia adhibe, quæ supra inter generalia insinuantur.*

### II. CONTRA SUPERBIAM ET VANAM GLORIAM.

*1. Bene considera Spiritus sancti sententiam per Siracidem prolatam*, Eccli. *10.* Initium omnis peccati est superbia: qui tenuerit illam, adimplebitur maledictis. *Exemplo* sit Lucifer. *Is. 14.*

*2. Peccata tua et imperfectiones ob oculos pone; quæ multitudine sua et gravitate omnem laudis materiam facile tollent. Manassen arrogantissimum regem commissorum peccatorum consideratio exclamare coegit :* Non sum dignus intueri et aspicere altitudinem cœli, etc.

*3.* Humiliavit semetipsum Dominus noster Jesus Christus, etc. *Phil. 1. Et terræ vermiculus extolletur?*

*4. Ex vana gloria quid utilitatis capitur ? Aranearum*

*laborem suadet, æternæque gloriæ fructum aufert.* Receperunt *enim vanæ gloriæ sectatores in hac vita mercedem suam. Matth. O vanitas!*

*5. An non experimur* quærendo gloriam amitti? *Ab iisdem contemnimur, a quibus illam petimus. Proinde audiamus vocem Domini sic nos adhortantis per* Jer. *9.* In hoc glorietur, qui gloriatur scire et nosse me, quia ego sum Dominus.

### CONTRA IRAM ET ODIAM PROXIMI.

*1. Expende terribilem Dei comminationem.* Eccli *28. 3.* Homo homini reservat iram, et a Deo quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam, et de peccatis suis deprecatur? Ipse cum caro sit, reservat iram, et propitiationem petit a Deo quis exorabit pro delictis illius?

*2. O quoties Deus justam contra tua scelera conceptam iram continuit, tibique pepercit, multis interim millenis hominibus, ob minora et pauciora peccata, quam tu commisisti, æternum damnatis!* An divitias bonitatis ejus, et patientiæ, et longanimitatis contemnis? Rom. *2.* Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam. *Jac. 2.*

*3. Quam multa non modo Deus, sedet alii homines in te tolerant, quæ tu amore proprio excæcatus non vides!* Qua *ergo* mensura vis ut alii tuos metiantur defectus, eadem tu metire aliorum.

*4.* Inspice et fac secundum exemplar, quod tibi in monte *(Calvaria)* monstratum est. *Exod. 25. 40.* Christus cum malediceretur, non maledicebat : cum pateretur, non comminabatur *1. Petr. 2.*

*5. Considera, te una insigni tui ipsius victoria in iræ aut odii remissione plus apud Deum mereri posse, quam plurimis precibus, jejuniis corporisque afflictionibus! quod in Davide implacabili hosti suo Sauli parcente manifestum est. Nam hujus solius virtutis commemoratione a Deo summa quæque pro se, et filio impetrare confidit.* Ps. *131.* Memento, Domine, Davidet omnis mansuetudinis ejus.

### IV. CONTRA DETRACTIONES.

*1. Considera hoc peccatum simile furto esse, imo gravius.* Melius *enim* est nomen bonum quam divitiæ multæ. *Prov. 22. 1. Sicut ergo* non dimittitur furti peccatum, nisi restituatur ablatum, *sic nec* detractionis. *Quam autem est difficile violatum*

*semel honorem redintegrare!*

*2. Expende, quod et quanta ex detractione gignantur peccata, quorum omnium detractor fit reus; crimen semel revelatum, quot vicibus, quot locis deinceps ab aliis evulgatur? hujus mali detractor se auctorem fecit: Numquid talis* lingua ignis est, quam magnam silvam incendit? *Jac. 3. 6.*

*3. Ecquid, obsecro, commodi aut emolumenti a detractione provenit? In caput detrahentis redundat, quod in alios derivari voluit.* In quo enim *(inquit Apost. Rom. 21)* alterum quis judicat, seipsum condemnat.

### V. CONTRA JURANDI CONSUETUDINEM.

*1. Severissimum Dei judicium considera, quod etiam* de omni verbo otioso rationem exiget. *Matth. 12. Quanto magis de juramentis, quibus Dei nomen vel in testimonium temere vocatur vel alia ratione dehonestatur.*

*2. Cogita, nullam ex jurandi consuetudine esse utilitatem, imo facile ex ea committitur perjurium. Proinde* jurationi non assuescat os tuum, multi enim casus in illa. *Eccl. 23. 9. Deinde* frequenter juranti minus credi solet, etiam dum verum jurat. *Ut ait S. Chrysost. hom. 7. ad Pop.*

*3. Expende pœnas, quas Deus jurantibus etiam in hac vita non raro infligit.* Vir multum jurans implebitur iniquitate, et non discedet a domo illius plaga. *Eccli. 23. 12. Tibi potius ex consilio S. Chrysost. hom. 5. ad Pop., pœnam impone sponte subeundam, quoties in hoc vitium laberis.*

### VI. CONTRA CONSUETUDINEM LUSUUM NOXIORUM, V G. CHARTARUM, ALEARUM, ETC.

1. Considera præter offensam Dei, *jacturam temporis, et fortunarum quæ fit ab iis* qui existimant lusum esse vitam nostram. *Sap. 15. 12.* Ecce nunc tempus acceptabile *(monet Apost. 2. Cor. 6. 2.)* Ecce nunc dies salutis, *numquam reversuri.* Vocavit *(Deus)* adversum me tempus: *lamentatur Sion.* Thren *1. 15. An non idem sibi in extremo die eventurum metuat lusor.*

*2. Perpende, quæ ex lusu utilitas sperari possit. Lucrum, se quod aliquando obtines, velut fumus dissipatur: bonis enim sic partis Deus non benedicit. Damno si quod pateris, quantum cruciaris? Solidum numquam in lusibus gaudium invenitur. Proinde Sara ait:*

Numquam cum ludentibus miscui me, neque cum his, qui in levitate ambulant *Tob. 3. 17.et Jer. 15. 17.* Non sedi cum consilio ludentium.

3. *Cogita quæ fraudes, rixæ pugnæ ex chartarum et alearum lusu oriri soleant; postquam inter opera carnis recensuit Apost. iras, ri xas etc., subdit:* Qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

### VII. CONTRA IMMODERATAM TRISTITIAM, ANIMIQUE PERTURBATIONEM.

1. *Labora imprimis, ut conscientiam ab omnibus gravioribus noxis liberes. Gaudium enim et gloria nostra* hæc est *(inquit Apost. 2. Cor 1.)* testimonium conscientiæ bonæ. *Præterea per SS. Eucharistiæ Sacramentum, illum sæpe excipe, qui ait:* Pacem meam do vobis, etc. *Joan. 14.* Gaudebit *in illo* cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollet a nobis. *Joan. 16.*

2. *Stude mansuetudini et humilitati: Christus enim his suis verbis:* Discite a me, quia mitis sum et humilis corde, *addit:* Et invenietis requiem animabus vestris. Fili, *inquit Siracides, Eccli. 3. 19.* in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris. Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam. *Hinc utique optata animo pax et tranquillitas nascitur.*

3. *Observa, quod idem Sapiens suadet, l. citato:* Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris, sed quæ præcipit tibi Deus, illa cogita semper. *Arduis, multisque adversis casibus et perturbationibus obnoxius est ascensus ad alta; dulcissima pace et tranquillitate fruitur, qui parvo et humili contentus vivit.*

4. *Rebus alienis te non immisce, juxta ejusdem Sapientis consilium.* Eccl. 11. 9. 9. De ea re, quæ te non molestat, ne certeris. *Et cap. 3. 22.* Ne fueris curiosus: non est enim tibi necessarium ea quæ abscondita sunt videre. *Quod Christus Petro dixit, tibi sæpius ingemina;* Quid ad te? *Recte Th. a Kemp. de Imit. Christi l. 1. c. 11. ait:* Multam possemus pacem habere, si non vellemus nos aliorum dictis et factis, et quæ ad nostram curam non spectant, occupare. Quomodo potest ille diu in pace manere, qui alienis curis se intermiscet?

5. *Te totum in manus Dei trade, et ejusdem providen-*

*tiæ committe. Dic cum Psalmographo, Ps. 22.* Dominus regit me, et nihil mihi deerit, etc. *Et cum Habac. 3.* Ego autem in Domino gaudebo, et exultabo in Deo Jesu meo. *Concludes tandem his verbis:* In pace in idipsum dormiam et requiescam. *Ps. 4.*

## 3. DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

### § I. QUID SIT HOC SACRAMENTUM, ET IN QUEM FINEM A CHRISTO INSTITUTUM.

*Declarat hoc Conc. Trid. sess. 13. c. 2. verbis seqq.* Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum: et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc tamquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit: Qui manducat me, et ipse vivet propter me; et tamquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, et perpetuæ, felicitatis, etc.

### § II. QUANTUS AMOR DEI ERGA HOMINES IN HOC SACRAMENTO ELUCEAT.

Sciens Jesus *(inquit Joan. 13. 1.)* quia venit hora ejus, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem; cum dilexisset suos qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, etc. In qua cœna semetipsum nobis dedit in cibum, quod summe amantium est. *Audi S. Chrysost. hom. 60. ad Pop.* Suum erga nos voluit ostendere desiderium, non tantum se præbens cupientibus videndum; sed et palpandum et comedendum. Parentes quidem aliis sæpe filios tradunt alendos: ego autem *(inquit Jesu)* non ita; sed carnibus meis alo, meipsum vobis appono, vos omnes generosos esse volens, et bonas vobis prætendens de futuris expectationes: quippe qui vobis

hic meipsum trado, multo magis tradam in futuro. Volens frater esse vester, carnem propter vos et sanguinem assumpsi; vobis vicissim ipsam carnem et sanguinem, per quæ cognatus vester factus sum, trado. *Idem homilia 2. ad Pop. sic concludit:* Ne igitur animo concidamus: ... qui enim et carnem suam et sanguinem nobis communicavit, nihil pro salute nostra recusabit. Hac igitur spe fidentes, ipsum continue rogemus, et precibus et supplicationibus vacemus, etc.

*Accedunt S. Aug. verba in Ps. 98.* De carne Mariæ carnem accepit. Et qui in ipsa carne ambulavit, ipsam carnem nobis manducandum ad salutem dedit. Vere sumus genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. *1. Petr. 2. 9.* Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest nobis. *Deut. 4. 7.*

Cogita quo sis honore honoratus, qua mensa fruaris: eo namque re nos alimur, quam Angeli videntes tremunt, nec absque pavore propter fulgorem, qui inde resilit, aspicere possunt: et nos in unam cum illo massam reducimur. Christi corpus unum, et caro una facti sumus. Quis loquetur potentias Domini, auditas faciet omnes laudes ejus?

### § III. QUAM SIT HOMINI NECESSARIA HUJUS SACRAMENTI PARTICIPATIO.

Nisi manducaveritis (*verba Christi sunt Joan. 6. 54.*) carnem Filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis. *Nam* panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. *S. Cypr. de Cœna Domini ait:* Sicut panis communis, quem quotidie edimus, vita est corporis, ita panis iste supersubstantialis vita est animæ, et sanitas mentis. *Vide proinde, ne hujus cibi neglectus te cum Propheta regio exclamare cogat:* Percussus sum ut fœnum, et aruit cor meum: quia oblitus sum comedere panem meum. *Ps. 101. 5*

### § IV. QUAS UTILITATES AFFERAT HOMINI CIBUS EUCHARISTICUS.

1. Conjungitur homo per hunc cibum intime Christo secundum animam et corpus, prout ipse disertis verbis asserit, *Joan. 6. 37*: Qui manducat meam carnem, et bibit meum sanguinem, in me manet, et ego in illo. *Quod agnoscit S. Chrys.* Cum suum (*ait hom. 45. in*

*Joan.*)in nos amorem indicare vellet, per corpus suum se nobis commiscuit, et in unum nobiscum redigit, ut corpus cum capite uniretur; hoc enim amantium maxime est. *Cibus hic Sacramentalis Christophoros, inquit S. Cyrill. Catech. 4.* Et *(ut loquitur S. Petrus 1. Pet. 14.)* divinæ naturæ consortes nos efficit.

2. *Quotidianas animi sordes eluit, vulneribusque (quamvis non lethalibus) medetur. Ita S. Cypr. de Cœna Domini:* Panis iste supersubstantialis ad totius hominis vitam, salutemque proficit, simul medicamentum ad sanandas infirmitates, et purgandas iniquitates existens. *S. Ambr. lib. 1. de Sac. c. 4. dicit:* Qui vulnus habet, medicinam quærit: vulnus est, quia sub peccato sumus: medicina est cœleste et venerabile Sacramentum *S. Chrys. hom. 46. in Joan. ait:* Si quis æstuat, ad hunc fontem se conferat, et recreabitur; mundat squalorem et sordes, etc. *S. Cyr. lib. 4. in Joan. dicit:* Christus *in hoc cibo* non mortem solum, verum etiam morbos omnes depellit, collisos redintegrat, et sicut Pastor bonus, qui animam suam pro ovibus posuit, ab omni nos erigit casu.

3. *Coercet pravos animi et corporis motus et tentationes, præservatque a lapsu in gravia peccata. Id asserit inter alios S. Bernard. serm. in Cœna Domini.* Duo illud Sacramentum operatur in nobis, ut videlicet et sensum minuat in minimis, et in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sæpe modo, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, etc., gratias agat Corpori et Sanguini Domini; quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.

Mensa hæc Eucharistica *(inquit S. Chrys. hom. 24. in 1. Cor.)* animæ nostræ vis est, nervus mentis, fiduciæ vinculum, spes, salus, lux et vita nostra, *Idem in illa Ps. 22. verba:* Paristi in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Qui sunt isti, qui nos tribulant? Suggestiones, inimici, exagitationes, cupiditates, voluptates, sæculi honores, etc. Sed ad mensam potentis, tribulationes efficiuntur consolationes: auferuntur ea quæ sunt carnis infunduntur ea quæ sunt spiritus, etc.

4. *Majorem Dei gratiam nobis conciliat. Sic enim ipse Christus ait. Joan. 6. 55.:* Qui manducat meam carnem

et bibit meum sanguinem, habet vitam æternam. Gratia autem Dei *(inquit Apost. ad Rom. 6. 23) est* vita æterna in Christo Jesu. *Idem agnoscit Ecclesia :* O sacrum *(exclamat)* convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, MENS IMPLETUR GRATIA, et futuræ gloriæ nobis pignus datur! *Confirmatur verbis S. Cypr. de Cœna Domini.* Sacramentum hoc, *ait,* tactu sanctificat, fide illuminat, veritate Christo conformat.

5. *Accendit in nobis amorem Dei, et ad dura pro Christo subeunda certamina nos confortat. S. Chrys. hom. 60. ad Pop.* Tamquam leones ignem spirantes ab illa mensa recedamus, facti diabolo terribiles, etc. *Proinde olim Martyribus dabatur ab Episcopis ante certamen S. Eucharistia.* Fortibus et viventibus *(ait S. Cypr. epist. 54.)* communicatio *(h. e. Eucharistia)* a nobis danda est, ut quos excitamus et hortamur ad prælium, non inermes et nudos relinquamus, sed protectione Corporis et Sanguinis Christi muniamus. *Ob eamdem causam Christianis omnibus extremo vitæ agoni proximis datur sacra Eucharistia.*

6. *Confortat nos in virtutis studio. Refectus enim hoc sacro cibo, cum Apostolo exclamat.* Gal 2. 20.: Vivo autem, jam non ego: vivit vero in me Christus, *et Gal. 6. 14.:* Mihi autem absit gloriari, nisi in Cruce Domini, etc. Per hanc S. Eucharistiæ sumptionem *(ait S. Cypr. 1. citato.)* ad Deum accedimus, et quæ retro sunt obliti, ad anteriora extendimur, non habentes sensum hujus mundi; sed divitis purpurati delicias contemnentes, cruci adhæremus, etc.

7. *Est denique viaticum nostræ peregritationis in domum æternitatis, in pignus futuræ gloriæ: de quo S. Chrysost dicit:* Qui de hac vita migraturi sunt, si mysteriorum hujusmodi cum pura conscientia fuerint participes spiritum efflaturi, ab Angelis, satellitum more stipantibus, propter assumptum illud Sacramentum hinc recte in cœlum abducuntur. *O verba summæ consolationis! O vere Sacramentum amoris! h. e. amore nostri institutum.*

## § V. QUÆ PRÆPARATIO REQUIRATUR AD HUJUS SACRAMENTI PERCEPTIONEM.

1. *David rex cum se præpararet ad templum Deo ædificandum, et ad hoc admi-*

*rabilem faceret apparatum:* Grande, *ait,* opus est, non enim homini, sed Deo præparatur habitatio. *Idem quisque communicaturus sibi dicat, et imprimis conscientiam suam ab omni gravi noxa expurget juxta instructionem Concil. Trid. sess. 13. cap. 7.* Communicare volenti revocandum est in memoriam præceptum Apostoli, *1. Cor. 11.* Probet seipsum homo, etc. Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse, ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat. Qui enim manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini. Quoad venialia quæ tam sæpe per levissimas etiam negligentias perpetramus, de iis quoque veniam petamus, etiam in ipso, si fieri possit, tribunali Pœnitentiæ, priusquam ad Communionem accedamus. Ab illis enim etiam nos purgatos esse decet, ut abundantiam omnium gratiarum abundantissime e Sacramento Eucharistiæ percipiamus. *S. Chrysost. vult homil. 3. ad Pop. ut* cogitemus, quod illius Corpus et Sanguinem gustamus, qui in cœlestibus sedet, qui ab Angelis adoratur, qui proxime assistit immortali Dei potentiæ. *Viva horum fides languens purgandæ conscientiæ nostræ studium utique excitabit. Concludamus S. Augustini verbis serm. 1. de temp.* In Christi corpore, *ait,* vita nostra consistit, sicut ipse dixit, *Joan. 6.* Mutet ergo vitam, qui vult accipere vitam : nam si non mutat vitam, ad judicium accipiet vitam. Et magis ex ipsa corrumpitur, quam sanetur; magis occiditur, quam vivificetur.

2. *Exigit hoc Sacramentum humilitatem, quam Christus in ejus institutione ostendit, cum pedes discipulorum suorum lavaret.* Exemplum, *inquit,* dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita et vos faciatis. *O quanta Christi veri Dei et hominis humilitas! dat enim se in cibum hominibus, paliturque se etiam ab indignis sumi. Præclare S. August. in Ps.* 32. In Corpore et Sanguine suo voluit esse salutem nostram. Unde autem commendavit Corpus et Sanguinem suum ? De humilitat, sua :nisi enim esset humilis nec manducaretur, nec biberetur. *Fac proinde, quod*

*monet Orig. hom. 5. in divers. Evang. locis.* Quando manducas et bibis Corpus et Sanguinem Domini, tunc Dominus sub tectum tuum ingreditur. Tu humilians temetipsum imitare centurionem, et dicito: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, etc.

3. *Casto et mundo corpore, æque ac animo accedendum est ad hoc Sacramentum. Si enim Davidi cum servis suis,* 2. Reg. 21, 5. *non licuerit panibus propositionis vesci, nisi postquam a tribus diebus immunes omnes a licito conjugii usu declararentur, quanto magis ejusmodi reverentia huic* Pani Angelorum *debetur? S. Paulus etiam existimavit sic orationem impediri,* 2. Cor. 7. 5. *Quanto magis illo impedietur. S. Communio, in qua Virginis Filius nobis in sponsum datur,* qui pascitur inter lilia, *Cant. 2. 16.* Qua *igitur* re *(inquit S. Chrysost. hom. 83. in Matth.)* mundiorem esse non oporteret eum, qui de hoc Sacrificio participaturus est? Quos radios solares non deberet excedere, etc.

4. *Animum præsentem, et ingens desiderium requirit hoc Sacramentum; ut nimirum totas animus, per pias meditationes et orationes ad illud conversus, nihil aliud appetat juxta adhortationem S. Chrys. hom. citata:* Nemo nauseans accedat, nemo remissus, sed excitati, accensi ac ferventes omnes, etc. *Pia autem meditatio, et oratio optatum hunc fervorem excitat. Adorationem præterea postulat S. Aug. in Ps. 98.* Nemo, *ait,* illam carnem manducet, nisi prius adoraverit.

5. *Denique postulat reverentia huic Sacramento debita, ut jejuni accedamus, juxta instructionem S. Aug. epist, 118. ad Januar.* Ex hoc *(nimirum post cœnam Christi cum Apostolis habitam)* placuit Spiritui sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum Corpus intraret, quam exteri cibi.

### § VI. QUID POST S. COMMUNIONEM FACIENDUM.

*Mira sacræ Eucharistiæ est virtus, quæ piis meditationibus, ac precibus, in gratiarum actionem præstitis, elicitur, seseque in nos effundit tanto copiosius, quanto prolixius et ardentius nos devotioni impendimus. S. Cyrilli Alex. opinio est:* Judam, nisi impulsu diaboli, sumpta Carne et Sanguini Domini sui, statim sese aula et domo cœna proripuis-

set, gratiis agendis, pioque Apostolorum sermone neglectis, fortassis in agnitionem conceptæ proditionis, et sacrilegæ divini Mysterii participationis, ejusdem virtute pervenisse. *Si et tu ab hoc Sacramento fructum non referas, causa est, quod post illius sumptionem gratiarum actioni, qua par est devotione, te non impendas. Hujus instituendæ modos tibi aliquot subjungo.*

1. *Imitare quinque illa hominum milia, qui panibus quique hordeaceis pasti, Christum in signum gratitudinis regem creare voluerunt. Quin tu, non pane hordeaceo, sed angelico, Carne videlicet et Sanguine Christi pastus, eumdum regem cordis et animi tui constituis, eique imperium in omnes sensus ac facultates tuas tradis?*

2. *Patrem familias imitare, qui proles omnes convocat, jubetque charum hospitem domi suæ salutare, benevoleque excipere ac honorare: sic tu sensus omnes, animique facultates ad laudes et gratiarum actiones convoca his aut similibus verbis:* Venite, exultemus Domino, etc. *Vide pag., 299. Vel.:* Benedic, anima mea, Domino, et omnia quæ intra me, etc. *Vide pag. 59.*

3. *Angelos invita, omnesque creaturas, ut tecum laudent et glorificent Deum exemplo trium puerorum, exclamando:* Benedicite omnia opera Domini Domino, etc. *Vide pag. 96. et Ps.* Laudate Dominum in sanctis, etc. *Vide pag. 97.*

4 *Aperi Christo omnia animi tui arcana, ac miserias. Imo,* effunde sicut aquam cor tuum ante conspectum Domini. Leva ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum *(i e. sensuum)* qui defecerunt, etc. *Thren. 2. 19.*

5 *Totum te offer, et dona Christo cum omnibus, quæ in tua sunt potestate, nulla ne vel minima re tibi reservata. Ita præcipit Siracides Eccl. 35. 12.* Da Altissimo secundum datum ejus. *Æquum enim est, ut te totum tradas Christo, qui se totum in hoc Sacramento tradidit tibi.*

*Plures alios modos agendi gratias, devotionemque fovendi pia mentis affectio suggeret. Vide pag. 85.*

### § VII. QUAM CREBRO SIT COMMUNICANDUM.

*Initio Ecclesiæ, ait Lucas Act. 2. 46* quotidie perdurantes *Christi fideles* unanimiter in templo, et frangentes circa domo, panem,

*sc. Eucharisticum*, sumebant cibum *hunc Angelicum* cum exultatione et simplicitate cordis, collaudantes Deum, etc.

*Hoc fervore (quæ humana est inconstantia) nimis postmodum remittente, Ecclesia præcepit, ut omnes Christi fideles, qui ætatem sufficientem haberent, ad minimum semel in anno, idque circa festum Paschæ sacram Eucharistiam sumerent Hortatur vere ad crebriorem ejus sumptionem S. Ignatius Apostolorum discipulus ep. ad Ephes.* Date, *inquit,* operam, ut crebrius congregemini ad Eucharistiam, et gloriam Dei. Quando enim sæpius in idem loci convenitis, labefactantur vires Satanæ, et ignita illius ad peccatum jacula irrita resiliunt.

*Quoties autem, et quando communicare expediat definit S. August. seu auctor lib. de Ec. dogm. c. 53.* Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere, nec laudo, nec reprehendo. Omnibus tamen dominicis diebus communicandum suadeo et hortor, si tamen mens sine affectu peccandi sit. *Ita et S. Hier. loquitur in Apol. ad Pammach.* Scio Romæ hanc esse consuetudinem, ut fideles semper Christi Corpus accipiant, quod nec reprehendo, nec probo, sed ipsorum conscientiam convenio. Probet se unusquisque, etc. *Bene vero monet S. Hilar. de consid. lib. 2.* Timendum est ne diu abstractus a corpore Christi alienus remaneat a salute: qui peccare quieverit, communicare non desinat. Accipe quotidie *(ait S. Amb. lib. 5 de Sacram. c. 4.)* quod quotidie tibi prosit: sic vive, ut quotidie merearis accipere, quomodo Job sanctus pro filiis suis offerebat quotidie sacrificium, etc. *Concludamus ad mentem S. Augustini, cui consentit S. Justinus, Apol. 2. ad Antoninum Imp.* Die, *ait,* qui Solis dicitur, omnes qui in oppidis vel agris morantur, unum in locum conveniunt. Et ex iis, quæ cum gratiarum actione consecrata sunt unusquisque participat. *Saltem, si pie velis vivere, omnino convenit, ut singulis mensibus communices.*

---

## 4. DE INDULGENTIIS.

Triplex potissimum fructus nobis ex quovis bono opere provenit, meritum, satisfactio, et impetratio.

Sed uti divina benignitas infirmitati et tenuitati nostræ prospexit, ut per Sacramentorum usum ex opere operato meritum nostrum in immensum augeamus; per Sanctorum vero patrocinia, Ecclesiæque preces multa quamvis nil operantes impetremus, ita thesaurum indulgentiarum nobis reliquit, ex quo per applicationem satisfactionis Christi et Sanctorum uberem ac celerem pro pœna temporali in hac vel altera vita exsolvenda, haberemus satisfactionem.

### § I. QUID SINT INDULGENTIÆ.

Indulgentiarum nomine intelligitur remissio pœnæ temporalis, cujus per peccata facti sumus rei. Remittitur quidem per Sacramentum Pœnitentiæ, aut per actum perfectæ contritionis, omne peccatum quamlibet grave, quoad culpam, et huic annexam pœnam æternam, non semper tamen omnis reatus pœnæ temporalis simul remittitur; sed hæc vel per insignem pœnitentiam, vel per opera satisfactoria, v. g. orationes, eleemosynas, jejunia, etc., vel per patientem tolerantiam adversitatum, etc., vel per satisfactionem Christi Domini et Sanctorum nobis applicatam ab habente potestatem, deletur.

Et quamvis ad evitandam omnem pœnam temporalem solis indulgentiis (neglectis bonis operibus) innitendum non sit; quia tamen, ut plurimum nostra bona opera sunt valde imperfecta, reatus vero debitarum pœnarum ingens, expedit nos allaborare, ut crebro indulgentiarum nos fasciamus participes.

### § II. AN PER INDULGENTIAS REMITTANTUR PECCATA.

Nulla peccata per indulgentias remittuntur: verba autem quæ in bulla indulgentiarum de remissione omnium peccatorum leguntur, vel intelligenda sunt tantum de pœna (nomen enim peccatum sumitur interdum pro pœna peccati. *Uti 1. Petri 2. 24. Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo*, hoc est, pœnam peccati ipse pertulit in corpore suo, non vero ipsam culpam: utpote qui fuit Pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, etc. *Hebr. 7.26*), vel accipienda sunt bullæ verba, quod peccata omnia remittantur per Pœnitentiam, quæ ad lucrandas indulgentias præmitti debet.

## § III. QUID REQUIRATUR AD LUCRANDAS INDULGENTIAS.

1. Ut simus in statu gratiæ, hoc est nullius gravis peccati rei. Hinc tam serio a Pontificibus Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ præmittenda indulgentiis lucrandis præcipiuntur. Nam indulgentiæ tantum tollunt reatum pœnæ, culpam supponunt esse sublatam. Et quamvis pœna reservata, culpa remitti possit, non tamen potest remitti pœna, manente culpa. Proinde indulgentias lucraturi sibi dictum putent illud. *Jerem. 4, 8. Novate vobis novale, et nolite serere super spinas.*

Ad lucrandas indulgentias præscripta a Pontifice opera oportet adimplere. Sub illa enim conditione indulgentiæ conceduntur. Plerumque tamen confessariis datur potestas in ægris, incaceratis, etc. (qui v. g. certa templa invisere, aut jejunare non possunt, etc.) opera præscripta in quædam alia communtandi. Necesse est ut minimum, ut opus ultimum ad lucrandas indulgentias requisitum; fiat in statu gratiæ.

*Post has breves institutiones, utilissime sequetur recensio indulgentiarum variis hujus libri precibus annexarum.*

*Pag. 1.* VENI CREATOR, ETC. 1° Indulgentiæ 100 dierum, quotiescumque eum hymnum recitaveris. 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, die quem optaverint, lucrandæ ab iis qui, quoditie eo hymno per mensem recitato, confessi et sacra communione refecti pro Ecclesiæ necessitatibus oraverint. 3° Indulgentiæ 300 dierum, quotiescumque eum hymnum dixeris die festo sive etiam alio die octavæ Pentecostes. (*Pius VI. 26 Maji 1796.*) Omnes hæ indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis.

*Pag.* 3. ACTUS FIDEI, SPEI, ET CHARITATIS. 1° Indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum, quotiescumque eos actus recitaveris. 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, die quem optaverint, lucrandæ ab iis qui, quotidie iis actibus per mensem recitatis, confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint. 3° Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis, si tum eos actus devote et corde contrito, atque, si id fieri possit, post confessionem sacramentalem et sacram communionem, recitaveris. *Bened. XIII. 15*

*Jan. 1728. Bened. XIV. 28 Jan. 1756.)*

Hæ indulgentiæ applicari queunt animabus in Purgatorio detentis.

*Pag. 5.* LITANIÆ SANCTISSIMI NOMINIS. Indulgentiæ 300 dierum quotiescumque eas recitaveris. *Pius Papa IX. 21 Aug. 1862.*

*Pag. 6.* ANGELE DEI, ETC. 1° Indulgentiæ 100 dierum quotiescumque eam orationem recitaveris. 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, die quem optaverint, lucrandæ ab iis qui, quotidie ea oratione per mensem recitata, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos Ecclesiæ fines in templo publico oraverint. *(Pius. VI. 2. Oct. 1795.)* 3° Indulgentiæ plenariæ lucrandæ in festo sanctorum Angelorum Custodum, 2 Octobris, dummodo per integrum annum, mane et vesperi, eam orationem dixeris, eo autem die festo, confessus et sacra communione refectus, ad consuetos Ecclesiæ fines in templo publico oraveris. *(Pius VI. 20 Sept. 1796.)* 4° Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis si in vita frequenter eam orationem recitaveris. *(Pius VI. 20 Sept. 1796.)* Omnes hæ indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari possunt.

*Pag. 6.* ANGELUS DOMINI, ETC. 1° Indulgentiæ centum dierum quotiescumque *Angelus* recitaveris. *(Bened. XIII. 14 Sept. 1724.)* 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus lucrandæ ab iis qui, saltem semel singulis diebus ea oratione per mensem ad sonitum campanæ recitata, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint. *(Bened. XIV. 20 April. 1742.)*

Observandum semper flexis genibus recitandum esse *Angelus*, excepta die sabbati ad vesperam et tota die dominica; tum enim recitari debet stando. Tempore Paschali, loco *Angelus* dicitur *Regina cœli* cum Versu et Oratione. Ji tamen qui posteriores has preces non tenent memoria, poterunt lucrari prædictas indulgentias, illo tempore recitando stantes solitum *Angelus Domini.* In locis ubi campana non auditur, satis est recitare *Angelus* versus eam horam, qua pro ea oratione sonari solet. Religiosi utriusque sexus poterunt lucrari indulgentias, modo ad finem exercitii secundum statuta præscripti, eas preces recitent.

*Pag. 11.* MEDITATIONES, ETC. Meditationi, seu orationi mentali annexæ sunt indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus lucrandæ, si quotidie semihora, aut saltem horæ quadrante hoc tam necessarium pietatis exercitium peragere consueveris. Confessio sacramentalis, sacra communio et preces ordinariæ ad consuetos Ecclesiæ fines fieri solitæ, hic etiam necessariæ sunt; diem autem pro libitu eligere poteris. *(Bened. XIV. 16 Decemb. 1746.)*

Hæ indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari possunt.

*Pag. 18.* DE PROFUNDIS, ETC. Sequentes indulgentiæ perpetuo annexæ sunt huic Psalmo pro iis qui vesperi, ad campanæ sonitum, hora una post *Angelus*, genuflexi devote eum recitaverint, addito in fine *Requiem æternam, etc:* 1° Indulgentiæ 100 dierum, quotiescumque ita hunc Psalmum pro fidelibus defunctis recitaverint. 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis, die quo voluerint, lucrandæ ab iis qui, quotidie eo Psalmo sic recitato, confessi et sacra communione refecti, ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint. *(Clem XII. 14. Aug. 1736.)*

Postea vero ea præscripta sic fuerunt immutata, ut eas Indulgentias lucrari queas, etiamsi campanæ signum hunc in finem citius ociusve detur; quin imo in iis locis, ubi ille sonandi mos non viget, easdem has Indulgentias lucraberis, modo sub eamdem fere horam, dictum Psalmum cum versu pro fidelibus defunctis recites. *(Pius VI. 18 Mart. 1781.)*

*Pag. 84.* EGO VOLO. *Vide eamdem illam paginam.*

*Pag. 95.* EN EGO, ETC. *Vide eamdem illam paginam.*

*Pag. 110. et 112.* PANGE LINGUA ETC. PANEM DE COELO, ETC. DEUS QUI NOBIS ETC. 1° Indulgentiæ 300 dierum, semel singulis diebus lucrandæ devota recitatione illius Hymni, cum Versu et Oratione. 2° Indulgentiæ 100 dierum semel singulis diebus lucrandæ devota recitatione duarum ultimarum stropharum cum Versu et Oratione. 3° Indulgentiæ plenariæ ter singulis annis lucrandæ ab iis qui decies saltem, singulis mensibus sive hymnum *Pange lingua,* sive etiam solam stropham *Tantum ergo* recitaverint, nempe in Cœna Domini, in festo vel saltem octava Corporis Christi, et semel, die pro libitu eligendo. Ad lu-

crandas has tres indulgentias, præter confessionem sacramentalem, sacram communionem et preces ordinarias, necesse est, ut etiam fiat alicujus Ecclesiæ visitatio. Eæ autem indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari possunt. *(Pius VII. 25 Aug. 1818.)*

*Pag. 170.* LITANIÆ B. M. V. 1° Indulgentiæ 300 dierum, quotiescumque eas Litanias devote et corde contrito recitaveris. 2° Indulgentiæ plenariæ in quinque præcipuis B. M. V. festis, hoc est, Immaculatæ Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis et Assumptionis, lucrandæ ab iis qui eas Litanias, nullo die intermisso, quotidie recitant. Necesse est autem, ut confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines in templo publico orent. Hæ indulgentiæ applicari queunt animabus in Purgatorio detentis. *(Pius VII. 30 Sept. 1817.)*

*Pag. 176.* SACROSANCTÆ, ETC. *Vide eamdem illam paginam.*

*Pag. 190.* VENI, SANCTE SPIRITUS, ETC. Eædem indulgentiæ annexæ sunt huic *prosæ*, quæ hymno *Veni, Creator, etc. Vide pag. 640.*

*Pag. 239.* IN CONCEPTIONE, ETC. *Vide eamdem illam paginam.*

*Pag. 248.* ROSARIUM. 1° Indulgentiæ 100 dierum pro quolibet *Pater* et *Ave*, quotiescumque vel integrum Rosarium quindecim decadum, vel saltem tertiam ejus partem recitaveris. 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis lucrandæ, die quo volueris, si quotidie saltem quinque decades recitare fueris solitus, et si confessus et sacra communione refectus pro Ecclesiæ necessitatibus oraveris.

Ut autem has indulgentias lucrari valeas, duo necessario requiruntur; puta, ut rosario quo uteris, eæ indulgentiæ annexæ sint a sacerdote eam facultatem habente; tum etiam ut ad unamquamque decadem unum e quindecim mysteriis pie et attente consideretur eo ordine quo illud *pag. 248 et 249. indicatur.*

Hæc omnia spectant Rosaria ordinaria de quibus actum est *pag. 248;* quod vero attinet *Rosarium perpetuum, seu vivens,* de quo mentio fit pagina 249, sequentes indulgentiæ sociis istius Rosarii concessæ sunt: 1° Indulg. plen. primo die festi post admissionem inter socios. 2° Omnes indulg.

hucusque Rosarii recitationi annexæ. 3° Indulg. 100 dierum quotiescumque feriis decas assignata recitabitur. 4° Indulg. 7 dierum et 7 quadragenarum, quum decas assignata recitabitur diebus dominicis et festis, etiam iis diebus festis qui hodieque aboliti sunt; quibus etiam adduntur Octavæ Nativitatis Domini, Paschatis, Pentecostes, Corporis Christi ,Assumptionis, Nativitatis, et Conceptionis B. M. V. 5° Indug. plen. in festo Nativitatis Domini, Circumcisionis, Epiphaniæ, Paschatis, Ascensionis, Pentecostes, SS. Trinitatis, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, omnium Sanctorum; item in omnibus festis B. M. V. etiam minimis, et tandem tertio quoque die dominico mensis.

Indulgentiæ plenariæ applicari queunt fidelibus defunctis. Ad eas lucrandas requiritur, ut confessus et sacra communione refectus in templo aliquo Deum ores. Ægroti eas etiam lucrari possunt, dummodo aliud quoddam opus pium a confessario eo fine præscriptum exerceant. *(Greg. Papa XVI. 27 Jan. 1832.)*

Tandem enumerandæ sunt indulgentiæ quæ annexæ sunt Rosariis sanctæ Birgittæ, de quibus agitur pagina 251. Eæ autem sunt: 1° Indulgentiæ 100 dierum pro *Credo* et unoquoque *Pater* et *Ave.* 2° Præter eos 100 dies, indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum pro iis qui eo rosario utentes recitaverint quindecim decades. 3° Indulgentiæ plenariæ singulis mensibus semel lucrandæ, die quo volueris, dummodo quotidie recites saltem quinque decades, et confessus ac sacra communione refectus, in templo publico, ad consuetos Ecclesiæ fines oraveris. 4° Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis lucrandæ, die quo volueris, si quotidie saltem quinque decades per annum recitaveris, ac confessus et sacra communione refectus, pro necessitatibus Ecclesiæ oraveris. 5° Indulgentiæ plenariæ in festo sanctæ Birgittæ quod celebratur die octavo Octobris, pro iis qui saltem semel singulis septimanis quinque ut minimum decades recitaverint; at requiritur, ut eo die templum aliquod visitent, ibique ad consuetos Ecclesiæ fines precentur. 6° Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis, pro iis, qui, possidentes tale rosarium, animam suam Deo commendant, mortem cum resignatione accipiunt, et post confessionem sacramen-

talem ac sacram communionem, si ea Sacramenta recipere queant, sanctissimum Nomen Jesu saltem corde, si id fieri ore non possit, invocaverint. 7° Indulgentiæ 40 dierum quotiescumque genuflexus ad sonitum campanæ pro aliquo agonizante precaberis. 8° Indulgentiæ 20 dierum quotiescumque institueris examen conscientiæ, atque in fine recitaveris *Pater* et *Ave*. 9° Indulgentiæ 100 dierum, quotiescumque, tecum habens tale rosarium, bonum aliquod opus feceris in honorem Jesu Christi beatæ Virginis, aut etiam sanctæ Birgittæ, et præterea ter recitaveris *Pater* et *Ave*.

Ut vero omnes eas indulgentias lucrari queas, nihil omnino necesse est, nisi ut utaris rosario ad hoc benedicto a sacerdote eam facultatem habente. Recitando autem rosarium cum aliis, ut id fieri solet in communitatibus, æque eas indulgentias obtinebis, ac si solus illud diceres.

Omnes eæ indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis *(Leo X. 10 Jul. 1515. Clemens XI. 22 Sept. 1714. Bened. XIV 15 Jan. 1743.)*

*Pag. 289.* STABAT MATER. Indulgentiæ 100 dierum, quotiescumque eum planctum recitaveris. *(Pius VII. 18 Jun. 1822.)*

*Pag. 298.* OFFICIUM B. M. V. 1° Indulgentiæ 100 dierum pro iis qui ad illud officium recitandum diebus in Breviario Romano indicatis tenentur, illudque iis diebus devote recitant. 2° Indulgentiæ 50 dierum pro omnibus fidelibus quotiescumque illud recitaverint. *(Pius V. 9 Jul. 1568.)*

*Pag. 340.* PSALMI GRADUALES. 1° Indulgentiæ 50 dierum pro iis qui ad eos recitandos obligati, diebus juxta Rubricas Missalis romani præcriptis eos devote recitaverint. 2° Indulgentiæ 40 dierum pro omnibus fidelibus quotiescumque eos devote recitabunt. *(Pius V. 9. Jul. 1568.)*

*Pag. 343.* PSALMI POENITENTIALES. Eædem indulgentiæ his Psalmis annexæ sunt, quæ Psalmis gradualibus, eadem Bulla Pii V.

*Pag. 377.* MENSIS MARIANUS. *Vide eamdem illam paginam.*

*Pag. 378.* TRISAGIUM. Huic orationi annexæ sunt: 1° 100 dierum indulgentiæ semel singulis diebus lucrandæ. 2° Has indulgentias 100 dierum lucrari poteris ter in festo sanctissimæ Trinitatis et per totam istius festi octavam, uti etiam diebus do-

minicis totius anni. 3° Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus, die quem elegerint, lucrandæ ab iis qui quotidie eam orationem recitaverint, si modo confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines precentur. *(Clem. XIV. 26 Jun. 1770.*

*Pag.* 378. PIETATE TUA, ETC. Huic orationi annexæ sunt: 1° Indulgentiæ 40 dierum quotiescumque eam recitabis. 2° Indulgentiæ 100 annorum et 100 quadragenarum si accurate per singula mensis sabbata eam recitaveris. *(Leo. XII. 9 Jul. 1826.)*

*Pag. 379.* FIAT, ETC. Huic orationi annexæ sunt: 1° Indulgentiæ 100 dierum, semel singulis diebus lucrandæ, 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis annis lucrandæ, die quo voluerint, ab iis qui quotidie eam recitaverint, ac confessi et sacra communione refecti ad consuetos Ecclesiæ fines oraverint. 3° Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis pro iis qui frequenter in vita eam orationem dixerint. *(Pius VII. 19 Maii 1818.)* Duæ priores indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis.

*Pag 379.* LAUDETUR, ETC. *Vide eamdem illam paginam*

*Pag. 379.* DEUS QUI PRO REDEMPTIONE, ETC. Indulgentiæ huic orationi annexæ pro iis qui eam corde contrito recitaverint, sunt sequentes: 1° 300 dies, si eam dicant semel per diem. 2° Indulgentiæ plenariæ, si, ea quotidie per integrum mensem dicta, confessi et saltem uno e tribus ultimis diebus mensis sacra communione refecti, oraverint secundum consuetos Ecclesiæ fines. (*Pius VII. 25 Aug. 1820.)*

Eæ indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis.

*Pag. 379.* RESPICE, DOMINE, ETC. Huic orationi annexæ sunt plurimæ indulgentiæ, ut infra dicitur, pro iis qui ad implorandam divinam misericordiam, *genuflexi ante sanctissimum Sacramentum,* sive sit expositum, sive etiam in Tabernaculo sit inclusum, eam *corde contrito* recitant. 1° Indulgentiæ plenariæ prima quaque mensis feria quinta lucrandæ, si post confessionem sacramentalem et sacram communionem, eam orationem recitent et præterea pro necessitatibus Ecclesiæ precentur. 2° Indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum lucrandæ singulis feriis quintis, si post

confessionem sacramentalem et sacram communionem eam ante sanctissimum Sacramentum genuflexus recites. 3° Indulgentiæ 100 dierum omni alio die, quotiescumque genuflexus ante sanctissimum Sacramentum corde contrito eam recitaveris.

Hæ omnes indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis. *(Pius VI. 7 Oct. 1796.)*

*Pag. 380.* HYMNUS IN HONOREM. S. MICHAELIS. 1° Indulgentiæ 200 dierum singulis diebus semel lucrandæ ab iis qui hunc Hymnum cum Versu et Oratione devote et corde contrito recitabunt. 2° Indulgentiæ plenariæ semel singulis mensibus lucrandæ, die quo volueris, modo, quotidie recitatis per integrum mensem iis precibus, confessus et sacra communione refectus, ad consuetos Ecclesiæ fines oraveris. *(Pius VII. 6 Maii 1817.)*

*Pag. 380.* PIUM EXERCITIUM. ETC. *Hoc exercitium, quod exordium sumpsit in Germania, ea mente factum ut ita injuriæ beatæ Mariæ Virgini et Sanctis illatæ reparentur, sequentibus indulgentiis est ditatum a* Pio VI. 5 April 1786: 1° Indulgentiæ 100 dierum. quotiescumque illud exercitium feceris. 2° Indulgentiæ 7 annorum et 7 quadragenarum, diebus dominicis lucrandæ. 3° Indulgentiæ plenariæ lucrandæ, primum bis in mense, hoc est, duobus diebus dominicis singulo mense eligendis, deinde in omnibus festis beatæ Mariæ Virginis, et tandem in festo omnium Sanctorum, si modo predictas preces quotidie recitare consueveris atque confessus et sacra communione refectus pro Ecclesiæ necessitatibus pie oraveris. 4° Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis pro iis qui has preces in vita recitare consueverint, et jam, instituta sacramentali confessione, sacra communione fuerint refecti, aut, ubi id fieri nequit, quos saltem peccatorum suorum sincere pœnituerit.

*Pag. 380.* VIRGINUM CUSTOS. Indulgentiæ unius anni, animabus Purgatorii applicabiles, pro omnibus sacerdotibus, quotiescumque hanc orationem in honorem S. Josephi devote recitaverint. *(Pius VII. 23 Sept. 1802.)*

*Pag. 380.* O FELICEM, ETC. Indulgentiæ unius anni pro omnibus sacerdotibus qui ante Missæ celebrationem, hanc antiphonam cum Versu

et Oratione in honorem S. Josephi devote recitaverint. *(Pius VII. 23 Sept. 1802.)*

*Pag. 381.* O COR MARIÆ, ETC. 1° Indulgentiæ 60 dierum quotidie semel lucrandæ. 2° Indulgentiæ plenariæ in festo Nativitatis B. M. V., die octava Septembris; in festo Assumptionis, die decima quinta Augusti, et in festo Sacri Cordis B. M. V., pro omnibus fidelibus qui per integrum annum quotidie hanc orationem recitaverint. Ad lucrandas illas indulgentias confessio sacramentalis, sacra communio et preces ad consuetos Ecclesiæ fines, etiam necessariæ sunt. 3° Indulgentiæ plenariæ in articulo mortis pro omnibus illis qui frequenter in vita hanc orationem recitaverint. Omnes hæ indulgentiæ applicari possunt animabus in Purgatorio detentis. *(Pius VII. 18 Aug. 1807; 1 Febr. 1816, et 26 Sept. 1817.)*

*Pag. 382.* PRECES STATIONUM. Viæ Crucis annexæ sunt omnino omnes indulgentiæ quæ concessæ fuere illis, qui loca Terræ sanctæ speciali quodam Passionis Christi mysterio consecrata, visitant. Omnes illæ indulgentiæ quarum plurimæ sunt plenariæ, applicari possunt fidelibus defunctis, atque ad eas lucrandas solus status gratiæ sufficit, ideoque neque confessio sacramentalis neque sacra communio requiritur. *(Sacra Congr. Conc. Trid. 16 Jul. 1694.)*

*Pag. 401.* OFFICIUM DEFUNCTORUM. 1° Indulgentiæ 100 dierum pro iis qui ad dicendum illud officium obligati illud devote recitaverint diebus in Rubricis Breviarii romani indicatis. 2° Indulgentiæ 50 dierum quotiescumque illud officium dixeris. *(Pius V. 5 April. 1571.)*

# XLI

# INTERPRETATIO PSALMORUM.

**AD VESPERAS DOMINICÆ ET AD COMPLETORIUM; INSTITUTIONES DE TEMPORE VESPERTINO; DE EXAMINE PARTICULARI; DE LECTIONE LIBRORUM SPIRITUALIUM; INTERPRETATIO PSALMORUM OFFICII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS; PSALMORUM GRADUALIUM ET PŒNITENTIALIUM.**

—

## 1. INTERPRETATIO PSALMORUM

### AD VESPERAS DOMINICÆ ET AD COMPLETORIUM.

DIXIT DOMINUS, ETC. PS. 109.

*Argumentum Psalmi.*

Christi regnum et sacerdotium hoc Psalmo celebratur.

1. *Dixit Dominus*, Deus Pater, *Domino meo,* Filio suo, quando videlicet redempto genere humano triumphans ad cœlos ascendit: *Sede a dextris meis*, loco honoratissimo, mecumque, ut mereris, regna.

2. *Donec ponam*, h. e. subjiciam tibi omnes *inimicos tuos*, ita ut sint quasi *scabellum pedum tuorum.*

3. *Virgam virtutis tuæ*, hoc est, sceptrum regiæ tuæ potentiæ, o Christe, *emittet,* suscitabit, *Dominus,* Pater tuus *ex Sion*, seu Jerusalem, unde se in totum orbem extendet: Christi enim regnum, seu prædicatio Evangelii, ab urbe Jerusalem sumpsit exordium. *Dominare* seu dominaberis, o Christe inter inimicos tuos, Judæos, Paganos, Hæreticos, incredulos.

4. *Tecum* erit *principium*, h. e. principatus, super omnes creaturas, *in die virtutis tuæ* hoc est, in novissimo die, quo potentiam tuam potentissimam ostendes, et regnum æternum auspicaberis: quo die eris *in splendoribus sanctorum*, hoc est. splendide a SS. Angelis, et beatis hominibus circumdatus. Ad hæc Pater tuus cœlestis tibi dicit: *Ex utero*, h. e. ex fœcundissima substantia divinitatis meæ *ante Luciferum*, sive stellam sive Angelum, adeoque ab æterno *genui te.*

5. *Juravit Dominus*, hoc est, immutabiliter promisit

neque mutabit sententiam, quod tu sis futurus *sacerdos in æternum*, idque non secundum ritum Aaron, quo offerebantur oves et boves, etc.; sed *secundum ordinem*, hoc est ritum et similitudinem *Melchisedech*, qui Rex et Sacerdos obtulit *panem et vinum*, sub quorum speciebus Christus sacrificium Novæ Legis in carne et sanguine suo instituit.

6. *Dominus a dextris tuis*. Convertit hic (ut vult S. Aug.) David sermonem ad Deum Patrem; q. d. *Dominus* Filius *a dextris tuis* sedens, *confregit*, seu confringet *Reges* adversantes regno et sacerdotio suo, hoc est, Ecclesiæ, *in die iræ suæ*, scilicet extremi judicii, ubi iram suam effundet.

7, *Judicabit*, scil. Christus, cui Pater omne dedit judicium, *Joan.* 5. 22. *in nationibus*, h. e inter nationes, citando omnes ad tribunal suum: *implebit ruinas*, seu foveas infernales cadaveribus impiorum, *conquassabit*, conteret, *capita in terra multorum*, superborum, qui nunc elata cervice adversus eum incedunt.

8. *De torrente*, rerum fluxarum, et ærumnarum Christus *in via* hujus vitæ *bibet*, calicem Passionis exhauriendo: *Propterea*, ob tantam humilitatem et patientiam *exaltabit caput*, tanquam gloriosus Rex et Judex, qualis jam descriptus est.

CONFITEOR TIBI, ETC. PS. 110.

*Argumentum Psalmi.*

Laudatur Deus a miris operibus et beneficiis.

1. *Confitebor*, id est, laudabo, *in consilio*, Chald. *in secreto* et *congregatione*, hoc est palam.

2. *Exquisita*, i. e. exquisita facta sunt opera Dei *in*, seu juxta *omnes voluntates ejus*, ut ei serviant.

3. *Confessio et magnificentia*, i. e. materia laudis, et deprædicandæ magnificentiæ est *opus ejus, et justitia ejus manet* in gubernatione; etsi pios ærumnis premat; et impios exaltet.

4. *Memoriam fecit*, i. e. reliquit memoriale, ex quo Providentia Dei colligi possit: *Escam*, Manna *dedit* Israelitis *timentibus se*, quod est figura Eucharistiæ.

5. *Memor erit* semper *testamenti*, seu fœderis sui.

6. *Ut det illis* suis *hæreditatem gentium*, terram Chanaan. Nulli tamen faciet injuriam: nam

7. *Fidelia*, justa, nulli injuriosa *mandata ejus*.

8. *Redemptionem misit Dominus*, tollendo Ægyptiacam, et hodiedum peccati

servitutem *populo suo. Mandavit,* sanxit ut semper hoc pactum maneat.

9. *Initium sapientiæ* consequendæ *est timor Domini.*

10. *Intellectus bonus* est iis *omnibus,* qui exercent *eum,* sc. timorem Dei.

BEATUS VIR, ETC. PS. 111.

*Argumentum Psalmi.*

Timentes Deum et benefici in pauperes omnibus bonis cumulabuntur; peccatores autem peribunt.

1. *Beatus vir,* etc. *in mandatis ejus,* sc. Dei, *volet,* delectabitur *nimis,* id est valde.

2. *Potens in terra* (en 1 fructus timoris Dei) *erit semen* seu progenies *ejus.*

3. *Gloria,* etc. (2. fructus) manebit tamen justus.

4. *Exortum est,* pro exorietur (3. fructus) *in tenebris* adversitatum *lumen* consilii *rectis,* sc. iis qui timent Deum; Deus enim illis est misericors.

5. *Jucundus,* seu gratus Deo, Angelis, et sibi est *homo, qui miseretur* pauperum, et illis *commodat,* seu mutuum dat sine usura; (4. hic fructus est) *disponet,* instituet iis *sermones* et res suas *in* seu cum *judicio,* i. e. prudenter, et a felici statu non excidet.

6. *In memoria.* etc. h. e. bonum nomen habebit, et malis rumoribus non terrebitur (et hic 5. fructus.)

7. *Paratum* ad sperandum *cor ejus* (qui 6. fructus.)

8. *Dispersit,* etc. liberalis erit timens Deum. (7. hic fructus est.) Nihil vero miserabilius est homine, quem avaritia non sinit suis opibus frui. *Cornu,* i. e. potentia timentis Deum *exaltabitur.*

9. *Peccator,* hos fructus *videbit,* et timenti Deum invidebit, et eum cupiet perditum; sed frustra.

LAUDATE, PUERI, ETC. PS. 112.

*Argumentum Psalmi.*

Exhortatio est ad laudandum Deum, ob summam ejus bonitatem; licet enim sit Altissimus, nostri tamen in terra curam gerit, et beneficiis multis nos afficit.

1. *Laudate, pueri,* hoc est, servi Dei puri et simplices, qui frequenter in Scriptura pueri appellantur,

5. *Humilia respicit.* Secundum S. Aug. humiliat se Deus ad videndum res imas et viles, maxime homines de seipsis humiliter sentientes.

6. *De stercore,* ex infima conditione erigit Deus *pauperes,* adeo, ut etiam fiant

principes et reges: uti patet in Josepho, Jobo, Moyse, Davide, Daniele, etc. Et nos Deus ex sordibus peccatorum elevat ad thronos Angelorum, ita S. Hier.

9. *Qui habitare*, seu ut habitet, *facit sterilem in domo* (familia) lætabundam, largiendo optatam prolem, q. d. sicuti tollit paupertatem et inopiam, quæ *virorum* potissima est infelicitas, ita et sterilitatem, quæ *mulierum* summa erat olim afflictio.

IN EXITU ISRAEL, ETC. PS. 113.

*Argumentum Psalmi.*

Mirabilia opera Dei decantantur in eductione filiorum Israel ex Ægypto.

1. *In exitu*, i. e. cum exirent Israelitæ, et *domus* seu familia *Jacob de Ægypto.*

2. *Facta est,* etc. Tunc Deus sanctificavit sibi Judæos, et assumpsit peculiarem potestatem super illos.

3. *Mare vidit,* et sensit illam Dei potestatem, *et fudit* sese dividens, et viam faciens Israelitis: quod et *Jordanis* fluvius fecit *conversus retrorsum.*

4. *Montes,* sc. Sinai, et vicini colles *exultaverunt*, h. e. trepidaverunt a terræ motu, quando Lex Dei ibidem promulgabatur.

5. et 6. *Quid est,* etc. More poetico fit interrogatio.

7. et 8. *A facie Domini.* Datur responsio, sc. Dei potentia id factum esse, quæ etiam unum elementum in aliud, terram, videlicet et petras, in aquas convertit

9. *Non nobis Domine,* h. e. non meritis nostris, quæ nulla sunt, ista adscribantur, *sed nomini tuo da gloriam,* et perge nunc, uti olim, nos protegere.

10. *Super misericordia tua*, sc. funda gloriam tuam, quæ elucebit in populi tui protectione. *Ne dicant gentes*, nobis insultando: *Ubi est Deus eorum ?*

11. *Deus autem*, etc. Hoc e quinque seqq. ℣℣. prædicat David Deum verum, et idola contemnit.

17. *Domus Israel*, etc. Ab hoc ℣. usque ad ℣. 25. prædicantur beneficia Dei in suos. Plura bona justis omnibus a Deo precatur David.

25. *Cœlum cœli Domino* pro habitatione est, *terram autem* incolendam *dedit* hominibus.

26. *Non mortui, neque qui descendunt in infernum,* i. e. sepulchrum, *laudabunt te, Domine.*

27. *Sed nos qui vivimus* in terris, non cessabimus te benefactorem nostrum laudare.

MAGNIFICAT CANT. B. M. V. *Luc.* 1.

*Argumentum Cantici.*

Gratia agit beata Virgo pro exaltatione sui.

1. *Magnificat,* laudibus extollit *anima mea,* etc.

9. *Suscepit,* Deus Israelitas in persona mea, etc.

10. *Sicut* promisit Abrahamo.

CUM INVOCAREM, ETC. PS. 4.

*Argumentum Psalmi.*

Omnes Deum invocent, quia omnes exaudit.

1. *Deus justitiæ* i. e. justæ causæ et innocentiæ meæ: *in tribulatione,* qua solet cor constringi, tu, o Deus, illud *dilatasti mihi.*

2. *Miserere mei,* et continua hanc gratiam.

3. *Usquequo gravi corde* estis, sc. ex crapula, ebrietate, et curis hujus mundi? *Luc.31.34. Ut quid diligitis* vana et fallacia bona?

4. *Mirificavit,* mire servavit, et extulit *Dominus sanctum suum,* me videlicet Davidem, quem in regem unxit, et sibi sanctificavit.

5. *Irascimini, etc.* q. d. dum in animis vestris, o hostes, contra me insurgunt motus, cavete ne peccetis: et *quæ* interdiu malevole *dicitis* contra me *in cordibus vestris,* de illis sub noctem *in cubilibus vestris compungimini,* seu dolendo expiate.

6. *Sacrificate, etc.* i. e. justa et pia opera offerte. *Sed multi* impiorum *dicunt: Quis ostendit nobis bona,* et præmia bonis operibus promissa?

7. *Signatum est, etc.*, i. e. pro signo divini amoris tui in nos habemus serenam faciem tuam, quæ nobis in dies benefaciat; etiam in bonis temporalibus. Inde lætitiam et spem in me, o Deus, semper excitas.

8. *A fructi frumenti. etc., multiplicati sunt,* qui sc. mecum tibi serviunt, et in te sperant. Ideo

9. *In pace,* i. e. secure Deo fidens, *dormiam.*

10. *Quoniam tu, Domine,* singularem spem mihi dedisti.

IN TE, DOMINE, ETC. PS. 30.

*Argumentum Psalmi.*

David imploratam Dei opem impetrat.

1. *In* seu pro *justitia tua libera me.*

4. *Deduces me* ad locum securum, et ales.

5. *Educes me de laqueo, quem* hostes cum filio meo conspirantes mihi posuerunt.

6. *In manus tuas com-*

*mendo* vitam meam, qui alias me sæpe tamqaum deus verax *redemisti.*

QUI HABITAT, ETC. PS. 90.

*Argumentum Psalmi.*

Fidenti Deo nihil adversi nocet. Servit hic Psalmus tentatis et tribulatis. Inducit in eo David nunc se, nunc alium, nunc Deum loquentem.

2. *Dicet Domino* is, qui ab eo protegitur: *susceptor.*

3. *A verbo aspero* maledicentium et calumniantium.

4. *Scapulis suis*, hebr. pennis expansis sicut gallina proteget, et fovebit te.

6. *A sagitta volante in die*, sc. non timebis, neque ab improvisis casibus te palam invadentibus, neque ab occultis insidiis, neqne *ab incursu* dæmonis, te media luce oppugnantis; uti Asmodæus Josephum per uxorem Putipharis.

8. *Oculis tuis* secure stragem accipies, et vindictam, quam Deus peccatis impiorum retribuit.

9. *Altissimum*, sc. Deum *posuisti* tu, quisquis in Deo spem et fiduciam collocas.

10 *Non accedet ad te malum*, qui a Deo protegeris.

14. *Quoniam in me speravit.* En Deum loquentem.

ECCE NUNC, ETC. PS. 133.

*Argumentum Psalmi.*

Hortatur Sacerdotes et Levitas, reduces ex Babylone in patriam, ad laudes Deo una cum populo decantandas.

2. *Qui statis in domo Domini*, sc. Sacerdotes, servitio Dei consecrati. Et vos, qui statis *in atriis*, videl. interioribus, ubi Levitarum locus; nam in exterioribus erat locus populi.

3. *In noctibus* quoque, et non tantum per diem, cantantes et orantes, *extollite*, elevate *manus vestras in*, seu versus *sancta*, id est sanctum sanctorum propitiatorium et arcam. Christiani vivam habent arcam in sacra Eucharistia, huc et in cœlum extendant hi sæpius manus suas, etc.

4. *Benedicat te*, qui Dominum benedicis, vicissim *Dominus ex* monte *Sion*, ubi ipsius templum et arca est: te vero, o christiane, ex SS. Altaris sui Sacramento, et ex cœlo, etc.

NUNC DIMITTIS, ETC. CANT. SIMEONIS. *Luc.* 2.

*Argumentum Cantici.*

2. Justus et timoratus Simeon qui responsum acceperat, se ante mortem suam

visurum Christum Domini, hoc est Messiàm, in hoc cantico Deum, ob eam gratiam jam acceptam laudat, eique gratias agit. Itaque.

29. *Nunc dimittis, etc.* Idem est ac; si nunc dimittis, in pace dimittis, *secundum verbum,* i. e. ut promisisti.

30. *Salutare,* i. e. salvatorem.

31. *Ante faciem,* i. e. quem salvatorem omnes aspiciant ab eo salutem expectantes.

32 *Revelationem,* i. e. illuminationem, *Plebis tuæ,* i. e. Judæorum.

---

## 2. DE TEMPORE VESPERTINO,

### ET EXAMINE CONSCIENTIÆ.

Cum oratione, *inquit S. Chrysost. lib. de or.* oportet nos auspicari, et cum eadem claudere diem. *Imo oportet nulla hora orationem negligi, ut cum hac pari passu decurrat dies.*

*S. Basil. in Regul. q. 37.* Quoniam nocturnis horis facile fieri potest, ut mors inopinata nos opprimat, commendamus animam nostram Domino; ut si forte subitanea mors nobis adveniat, non adveniat improvisa. *Ne vero hæc infausta nobis umquam accidat, nullum efficacius est remedium, quam ut exacte conscientiæ nostræ examen quotidie instituamus; quod Davidi familiare fuisse ostendit S. Chris. hom. 2. in illa verba Ps. 50.* Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, et peccatum meum contra me est semper. *Clarius ex illis Ps. 76. 7.* Meditatus sum nocte *(utique quavis)* cum corde meo, et exercitabam, et scopebam *(S. Aug. scrutabar)* spiritum meum. Scipsum, *inquit idem,* interrogabat, seipsum examinabat; in se judex erat, etc. Quod si *ita omnes* nosmetipsos *quotidie* dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. *Cor. 11. 31. Addit S. Basil, de abdic. rerum*; Quæ in singulis diebus opera feceris, ea tecum vesperi commemora; et cum his, quæ feceris pridie, conferto; studiose operam dato, ut melior in dies existas. *Conspirat S. Chris. serm. de*

*pœn.* Post. cœnam et vesperam, omnium eorum quæ per diem facta et dicta, rationes a nobis exigamus: et si viderimus quid peccatum esse, puniamus nosipsos. etc.

Primum ergo sit (*quod agas ad vesperam*) ut redeas ad teipsum; *qui per diem in quævis alia effudisti te,* intres ad cor tuum: discas æ imare spiritum tuum. Discute quid sis, quid fueris, quid esse debueris, quid esse poteris, etc. Hac via intratur ad intima, hac elevamur ad summa. *Ita S. Bern. de inter. dom. c. 63.*

*Unanimis hæc SS. Patrum et Ascetarum est sententia, nullum ad extirpanda vitia, virtutesque acquirendos efficacius esse remedium, quam crebrum conscientiæ examen ipsis etiam ethnicis probatum. De antiquissimis enim Philosophis Pythagoræis scribit S. Hieron. lib. 3. contra Ruffinum: Præcepisse illos* duorum temporum quam maximam habendam curam, mane et vesperi; quibus quisque se interroget: Quid fecit? quid, quod oportuit, non factum est? Male quidem si feceris, dole: si bene, gaude. *Stobæus, serm. 3. Ad quos accedit Seneca, epist. 28.* Initium, *inquit,* est salutis, notitia peccati. Qui peccare se nescit, corrigi non vult. Deprehendas te, oportet, antequam emendes. Ideo inquire in te: accusatoris primum partibus fungere, dein judicis, novissime deprecatoris. *Quis monita hæc diceret esse ethnici? Audi perro eumdem l. de irac. c. 36.* Animus quotidie ad rationem reddendam vocandus est. Faciebat hoc Sextius, ut, consummato die, cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum: Quod hodie malum tuum sanasti? Cui vitio obstitisti? qua parte melior es? Desinet ira (*et quodvis aliud vitium),* eritque moderatior, quæ scit sibi quotidie ad judicem esse veniendum. Quid ergo pulchrius hac consuetudine excutiendi totum diem? qualis ille somnus post recognitionem sui sequitur? quam tranquillus! *Pergit idem Seneca sic de se fateri:* Utor hac potestate, et quotidie apud me causam dico, totum diem mecum scrutor, facta ac dicta mea remetior. Nihil mihi ipse abscondo, nihil transeo. Quare enim quidquam ex erroribus meis timeam, cum possim dicere: Vide ne istud amplius facias: nunc tibi ignosco. In illa disputatione pugnacius locutus es:

noli postea congredi cum imperitis, etc. *Quid ad hæc christianus ?*

EXPENDE SIMILITUDINES SEQUENTES.

1. *Quemadmodum nulla pax, nulla prosperitas in urbe aut provincia esse potest, ubi non est judex, nec res male aut bene gestæ producuntur in judicium : sic in anima hominis pax et tranquillitas esse nequit, ubi nullum rei actæ instuitur examen.*

2. *Semen bonum in tenebris et umbra perit, a solis radiis provocatur semen, crescit et fructum affert : sic a gratiæ divinæ semine fructus sperari non potest nisi per cordis radios, quos producit conscientiæ examen.*

3. *Nullum ab horto decus exspecta, in quo hortulanus non nititur assidue extirpare lolium. Minus anima virtutibus exornabitur, quæ quotidie per examen a vitiis non expurgatur.*

4. *Dominus, vestes, manus etc. quo sæpius purgantur, hoc redduntur nitidiora : quidni simili modo conscientia ? Recte proinde David per singulas noctes* scopebat spiritum *suum.* Ps. 76. 7.

5. Non sinis *(loquitur negotiatori S. Chrys. in Ps.* 4.*)* ut duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne confusionem inducat oblivio. Idem fac in actionibus singulis diebus vesperi ; ab anima rationem exige, et cogitationem, quæ peccavit, condemna, etc.

6. *A pueris in scholis solidus sperari fructus non potest, nisi accurata ratio habeatur rerum male aut bene actarum, ut ea vel plectantur, vel præmiis compensentur. Par est ratio in schola virtutum.*

7, *Veluti paulatim senescunt et deficiunt corpora nostra, canique subrepunt, nobis id non advertientibus, si animæ vires nobis insciis per curarum et negotiorum molem, per cupiditates, ac perturbationes adeo sæpe atteruntur, ut de nobis dici possit illud* Osee. 7. 9. Comederunt alieni robur ejus, et ipse nescivit : sed et cani effusi sunt in eo, et ipse ignoravit. *Cui malo per examen quotidianum possumus mederi :* Renovamur *enim per illud* spiritu mentis nostræ, et induimus novum hominem, qui secundum spiritum creatus est in justitia et sanctitate veritatis, deponimusque mendacium, etc. *Ephes. 4. 23.*

*Examen hoc non facile quoquam negligetur, qui sibi*

*dictum putet illud* Luc. 12. 20. Hac nocte repetent animam tuam, *ut videlicet supremo Judici reddat rationem.* Quod si *autem* nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur. 1. *Cor. 11.*

*Ratio hujus Examinis instituendi quinque sequentibus punctis comprehenditur :*

1. *Solve Deo grates.* 2. *Pete lumen.* 3. *Discute mentem.* 4. *Delicti veniam posce.* 5. *Recide malum.*

---

## 3. DE EXAMINE PARTICULARI.

### §I. IN QUO ISTUD CONSISTAT.

*Hoc solum inter* generale *et* particulare examen *est discrimen, quod illud etiam omnes præteritorum dierum actus comprehendat : hoc circa unum versetur possitque in ipso examine generali includi.*

### § II. QUID SS. PATRES DE HOC EXAMINE SENSERINT.

*Hortatur ad illud populum Antiochenum, omnesque christianos S. Chrysost. hom. 73.* Quemque vestrum rogo ut defectum, a quo se plus quam ab aliis noverit vexari, ex anima præcidere studeat, et pia quadam cogitatione, quasi spirituali utens gladio, se ipsum a vitio liberet. Corrigamus (*inquit idem hom. 82. in Joan.*) hoc mense unum, alio aliud vitium, et ita subsequenter meliores efficiamur. Sic enim tamquam quibusdam gradibus ascendentes per scalam Jacob ad cœlum perveniemus. *Describit hoc Exam. clarius Jo. Cassianus collat. 5. c. 14.* Ita nobis adversus vitia arripienda sunt prælia, ut unusquisque quo maxime infestetur explorans, adversus illud arripiat principale certamen, omnem curam mentis ac solicitudinem erga illius impugnationem observationemque defigens : adversus illud quotidiana jejuniorum dirigens spicula; contra illud cunctis momentis cordis suspiria, crebraque gemituum tela contorquens ; cumque se ab una animi passione senserit absolutum, rursum latebras sui cordis simili intentione

perlustret, et exploret, quam sibi inter reliquas perspexerit ditiorem, atque adversus eam specialius omnia spiritus arma commoveat, et ita semper validioribus superatis celerem de residuis habebit facilemque victoriam, etc.

*In similem sensum scribit S. Bern. serm.* 48. *in illa verba.* Cant. 2. 6. Tempus putationis advenit. Quis, *inquit,* ita ad unguem omnia a se superflua resecavit, ut nil se habere putet putatione dignum? Credite mihi, et putata repullulant, et effugata redeunt, et reaccenduntur extincta, et sopita denuo excitantur. Parum est ergo semel putasse; sæpe putandum est, *nimirum per hoc examen particulare.*

*Idem a quibusdam ethnicis Philosophis usurpatum se, a e ad eorum imitationem permotum fuisse refert Plutarch. lib. de cohib. iræ.* Laudabam, *inquit,* consuetudines: Annum a re venerea, vinoque puros vivere, rursus a mentiendo certum tempus abstinere, nos ipsos interim observantes, ut vera loquamur tum in ludicris tum in seriis rebus omnibus. Paucos *porro* dies non irascendo transigere, etc. Faciebam idem mensem unum aut duos, paulatim mei ipsius periculum faciens. Sic tempore proficiebam, etc. *Vires nobis tantæ non sunt, ut cum omnibus simul vitiis congredi, eaque superare possimus; singula proinde sunt oppugnanda.* Et si omni anno unum vitium extirparemus *(vel unam acquireremus virtutem)* cito viri perfecti efficeremur. *Thom. a Kemp. lib.* 1. *c.* 11.

### § III. QUOMODO HOC EXAMEN FIAT.

1. *Mane propone firmiter inter cætera* hoc *vitium (de quo* Examen particulare *instituisti) singulari cura et diligentia vitare*, *vel* hanc *virtutem exercere, opemque divinam ad hoc pete.*

2. *Per diem sæpius propositum innova, et quoties peccas, dolorem elice, percusso (clam aliis) pectore.*

3. *Vesperi defectuum, vel virtutum elicitarum numerum per puncta in hujusmodi tabella nota: laborandum vero est, ut numerus vitiorum in dies minuatur, et virtutum crescat.*

## TABULA

| PRO VITIIS EXTIRPANDIS : | | | | PRO VIRTUTIBUS ACQUIRENDIS. |
|---|---|---|---|---|
| Dominica... | | | | Dominica... |
| Lunæ... | | Ut sciat. | | Lunæ... |
| Martis... | *repro-* | | *eli-* | Martis... |
| Merc.... | *bare* | | *gere* | Merc... |
| Jovis... | *ma-* | et | *bo-* | Jovis... |
| Vener... | *lum.* | | *num.* | Vener... |
| Sabb... | | | | Sabb... |

*Multum juvabit ad victoriam pro commissis erratis aliquam sibi pœnam imponere.*

### § IV. VITIA, QUÆ PER HOC EXAMEN EMENDARI POSSUNT.

I. Verba aut opera impudica. 2. Mendacia. 3. Juramenta. 4. Malæ imprecationes. 5. Lusus vetiti. 6. Rixæ. 7. Perditio temporis, etc.

*Virtutes, quæ per hoc examen exerceri et acquiri possunt.*

1. Cura temporis. 2. Castitas. 3. Recta intentio. 4. Charitas. 5. Memoria præsentiæ Dei. 6. Custodia linguæ vel oculorum. 7. Patientia.

### § V. PRAXIS EXTIRPANDI ALIQUOD VITIUM, V. G. IMPUDICITIAM.

1. Cavere, ne ulli cogitationi immundæ locus detur. 2. Oculos domi, in plateis, maxime in templo quam diligentissime custodire : nec umquam muliebrem faciem aut aliud quippiam indecens curiose intuéri, 3. Turpia nec legere, nec loqui, nec audire. 4. Manus ab omni contactu illicito proprii, vel alieni corporis continere. 5. Omnem socientatem et conversationem noxiam maxime mulierum et puellarum velut pestem vitare.

*Praxis circa curam temporis.*

1. Mane sine mora se lecto proripere. 2. Bonam intentionem in omnibus actionibus præmittere. 3. Præscriptam temporis destributionem accurate servare. 4. Fabulas inutiles, lusus, nugas, etc., vitare. 5. Pœnam, quam nobis delinquentibus imposui-

mus , eodem die subire , etc.

*Praxis exercendæ charitatis.*

1. Libenter aliis subvenire , ipsos instruere , etc. 2. Acceptas injurias patienter ferre, et prompte condonare. 3. Vindictæ spiritum sollicite cohibere. 4. Alios dissidentes optimo quovis modo conciliare. 5. Sæpius in memoriam revocare monita Scripturæ sacræ : v. g. *Joan.* 21. *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

---

## 4. DE LECTIONE LIBRORUM SPIRITUALIUM.

### § I. EXPONITUR HUJUS LECTIONIS UTILITAS.

*Non minor utilitas est lectionis librorum spiritualium quam orationis.* Oras *(inquit S. Hier. epist. 22. ad Eustoch. c.* 11.*)*, loqueris ad Sponsum ; legis, ille tibi loquitur. *S. Aug. refert. l. 8. confess. c. 6. § 4. narrasse sibi Pontitianum* se et tres alios contubernales suos , apud Treviros , cum Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic, ut forte combinati spatiabantur, unum secum seorsum, et alios duos itidem seorsum , pariterque digressos : sed illos vagabundos irruisse in quamdam casam, ubi habitabant quidam servi Dei, spiritu pauperes, qualium est regnum cœlorum ; et invenisse ibi codicem, in quo scripta erat vita Antonii , quam legere cœpit unus eorum ; et mirari , et accendi ; et inter legendum meditari, arripere talem vitam , et relicta militia seculari, servire Deo. Tunc subito repletus amore sancto et sobrio pudore, iratus sibi conjecit oculos in amicum , et ait illi : Dic, quæso te , omnibus istis laboribus nostris quid quærimus ? Cujus rei causa militamus ? Majorne esse poterit spes nostra in palatio, quam ut amici Imperatoris simus ? Et ibi , quid non fragile , plenumque periculis ? Et per quot pericula pervenitur ad grandius periculum ? Et quamdiu istud erit ? Amicus autem Dei esse si voluero , ecce jam fio. Dixit hoc , et turbidus parturitione novæ vitæ , reddit oculos paginis et legebat, et mutabatur in-

tus, ubi Deus solus videt, et exuebatur mundo mens ejus, ut mox apparuit. Namque dum legit, et volvit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, et discrevit, decrevitque meliora: jamque Deo plane devotus ait amico suo: Ego jam abrupi me ab illa spe nostra, et Deo servire statui, et hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior; te si pigeat imitari, noli adversari. Respondit ille, adhærere se socio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo jam tui, o Deus affigentes cor in cœlo, manserunt in casa. Et ambo habebantsponsasquæpostea quam hoc audierunt, dicaverunt etiam ipsæ virginitatemDeo. Idem *Augustinus eodem lib. 8. Confessionum. c.* 12. *scribit, se quoque animo fluctuantem, conversionemque procrastinantem, audivisse vocem crebro dicentem*: TOLLE, LEGE; TOLLE, LEGE. Depressoque, *ait,* impetu lacrymarum, surrexi, nihil aliud interpretans, nisi divinitus mihi juberi, ut aperirem codicem, et legerem quod primum capitulum invenissem. Audieram enim de Antonio, quod ex evangelica lectione, cui forte supervenerat, admonitus fuerit, tamquam sibi diceretur, quod legebatur: Vade, vende omnia quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlis: et: Veni, sequere me; et tali oraculo confestim ad te esse conversum. Itaque concitus redii ad eum locum, ubi sedebat Alipius: ibi enim posueram codicem Apostoli, cum inde surrexeram. Arripui, aperui, et legi in silentio capitulum, quo primum conjecti sunt oculi mei: Non in comessationibus et ebrietatibus, non in cubilibus et impudicitiis, non in contentione et æmulatione: sed induimini Dominum Jesum Christum; et carnis Providentiam ne feceritis in concupiscentiis vestris. Nec ultra volui legere, nec opus erat. Statim quippe cum fine hujusce sententiæ, quasi luce securitatis infusa cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt. Tum interjecto digito, aut nescio quo alio signo, codicem clausi, et tranquillo jam vultu indicavi Alipio. At ille, quid in se ageretur, quod ego nesciebam, sic indicavit. Petiit videre quid legissem. Ostendi: et attendit etiam ultra, quam ego legeram: et ignorabam quid sequeretur. Sequebatur vero: INFIRMUM AUTEM IN FIDE RECIPITE. Quod ille ad se retulit, mihique aperuit. Sed

tali admonitione firmatus est, placitoque ac proposito bono, et congruentissimo suis moribus, quibus a me in melius jam olim valde longeque distabat, sine ulla turbulenta cunctatione conjunctus est. Inde ad matrem *(Monicam)* ingredimur, indicamus, gaudet : narramus quemadmodum gestum sit. Exultet et triumphat, et benedicebat tibi, qui potens es ultra, quam petimus aut intelligimus, facere. *Hucusque S. Aug. Discat hinc quilibet, quantum valeat lectio piorum librorum.*

*Sanctum quoque Ignatium de Loyola fundatorum Societatis Jesu, cum ex vulnere in defensione urbis Pampelonensis accepto decumberet, ex lectione libri pii (quandoquidem alius pro vota haberi non posset) ad sanctiorem militiam transiisse omnibus notum est.*

*Innumera alia similis conversionis exempla adduci possent. Ex piorum librorum lectione anima eruditur, et salutari scientia instruitur.* Declaratio sermonum tuorum illuminat, et intellectum dat parvulis. *Ps.* 118. Ubi *vero* non est scientia animæ, non est bonum. *Prov.* 19. *Proinde sibi quisque illud Apostoli dictum putet,* 1. Tim. 4. : Attende lectioni. *Liber bonus est nobis loco boni et sinceri consiliarii, imo, quod hic interdum non audet dicere, liber intrepide oggerit, et modo vitia culpat, modo ad virtutes exstimulat.*

## § II. QUOD TEMPUS HUIC LECTIONI SIT TRIBUENDUM.

*Optandum esset, ut quemadmodum quotidie corpus cibo et potu reficitur, ita et anima nulla die suo fraudaretur alimento.* Sicut enim, *inquit S. Aug.*, ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis interior homo nutritur et pascitur. *Facile autem cuique est, vel unum horæ quadrantem, negotiis aliis subductum, rei tam salutari impendere. Inveniunt occupatissimi tempus, quo amicis interpellantibus aures præbeant, aut libros profanos legant.* Lectio assidua, *inquit S. August.,* purificat omnia, timorem incutit gehennæ, ad gaudia superna cor instigat legentis. Qui vult cum Deo semper esse, frequenter debet ORARE ET LEGERE. Nam cum oramus, ipsi Deo loquimur : cum vero legimus, Deus nobiscum loquitur. *Dic ergo, arrepto quotidie sacro libello :* Loquere, Domine, quia audit servus tuus. 1. *Reg.* 3.

### § III. QUOMODO LIBRI PII SINT LEGENDI.

1. *Quem legendum statuisti spiritualem librum, constanter perlege a capite usque ad calcem. Locum, quo postrema stetit lectio, nota; ut ab illo deinceps ducatur initium. Fortuita, et inconstans nunc hujus, nunc illius libri aut capitis inspectio instabilis animi indicium est; neque speratus inde fructus impetrabitur. Fastidientis stomachi est multa degustare.*

2. *Dum lectionem auspicaris, mentem ad Deum eleva, et dic.* Revela oculos meos, *Ps.* 118. *vel :* Audiam quid loquatur in me Dominus, *Ps.* 84. *Nam* Divinæ Scripturæ quasi litteræ de patria nostra *cœlesti* sunt, *inquit S. Aug. Ne deinde sollicitus sis, ut multa, sed ut multum, hoc est, attente legas pauciora. Sicut pluvia præceps, et nimbus vehementior terram non penetrat, nec fertilem reddit, sed lenis et rarior, ita, ut lectio animam penetret, fructumque afferat, necesse est, ut sit meditata. S. Chrysost. hom. 29. in Gen., vult nos in sacra lectione imitari gallinas. Quotiescumque hæ pauxillum aquæ hauriunt, caput in cœlum sustollunt. Porro* qui ad legendum accedit, *ait, S. Bern. in spec. Mon.,* non tam quærat scientiam, quam saporem, *seu gustum spiritualem bonæ voluntatis.* Scientia *enim intellectus* inflat *teste Apostolo. Concludat S. Aug.* Optime uteris lectione divina, se eam tibi adhibeas speculi vice, ut ibi velut ad imaginem suam anima respiciat, et vel fœda quævis corrigat, vel pulchra plus ornet.

### § IV. QUI LIBRI INTER CÆTEROS UTILISSIME LEGANTUR.

*Non minor inter libros quam inter cibos corporales est differentia.*

Sacra biblia *sine omni comparatione omnes alios antecellere, dubitari non potest, cum illa a* Spiritu sancto *dictata sint, legemque salutis nostræ comprehendant. Sed audi monentem S. Aug. de doct. Christ.* Divinarum Scripturarum studiosus illud Apostolicum cogitare non cesset: Scientia inflat, charitas ædificat: *q. d. non vanæ scientiæ, sed charitatis ædificationi lector Scripturarum sit intentus.* Sunt *namq. uti id. ib. asserit,* qui eas legunt, et negligunt, quibus longe præferendi sunt, qui verba earum minus tenent, et cor earum sui cordis oculis vident, *quæque viderunt opere explent. Bene autem consideranda sunt verba S. Petri :* Esse quædam

difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, ad suam ipsorum perditionem. 2. *Petri, 3. Potissimum vero conducit legere* Testamentum Novum, Psalmos Davidis, *qui quotidianis serviunt precibus,* libros sapientiales *a Salomone et filio Sirach scriptos. Historias* de creatione mundi, diluvio, Abrahamo, Isaaco, Jacobo, Josepho, Moyse, filiisque Israel, Jobo, Samuele, Davide, Salomone, Tobia, Judith, Esther, *una* cum omnibus Prophetis. *Cave autem ne curiosius indages in quædam obscœna, quæ de* Loth, uxore Putipharis, Susanna, Gabaonitis, etc. *proferuntur Maxime autem periculosum est legere* Cantica: *carnalis enim homo facile illa in carnalem sensum trahit, cum tamen de Ecclesia, B. Virgine, et anima sint intelligenda. Tunc bene Scripturas juxta mentem S. Aug. tractamus, quando* nitimur hoc indagare atque comprehendere, quod voluit ille, quem legimus. *Lib. 12. Conf. c. 18. post Scripturam vix quidquam majore fructu legi potest quam aureus libellus* Thomæ a Kempis de Imit. Christi. *Nullus in hoc locus est, quo cor hominis ad virtutem, solatium, perfectionemque christianam non erudiatur. Utinam quotidianus apud omnes hujus esset usus!* Pugna spiritualis *et* Introductio ad vitam devotam *maxime etiam commendari merentur. Quinam potissimum inter cæteros libellos pios cuique conveniant, arbitrio confessariorum declarandum committitur.*

---

## 5. INTERPRETATIO PSALMORUM

### OFFICII BEATÆ MARIÆ VIRGINIS.

### AD MATUTINUM.

VENITE, ETC. PS. 94.

*Argumentum Psalmi.*

Invitantur omnes ad Dei laudem et obedientiam: dantur rationes et docetur modus, pœnæque contrarium facientium in Israelitis proponuntur.

1. *Præoccupemus faciem ejus,* h. e. tempestive obsequia nostra Deo in laude illius præstemus.

3. *Aridam,* i. e. creavit terram.

4. *Sicut in exacerbatione secundum diem,* q. d. Non faciamus ad normam diei illius pessimi, sicut fecerunt filii Israel in deserto: *Ubi tentaverunt me,* (hic subito Deus ipse loquens inducitur) *probaverunt:* i. e. periculum fecerunt veritatis et potentiæ meæ; sed *viderunt* mirabilia *opera mea.*

5. *Quadraginta annis* (tam diu peregrinati sunt filii Israel in deserto) *proximus fui* (ita ut distincte audirem murmura contra me) *generationi huic* pravæ Israelitarum, *quibus,* semper mihi rebellibus, *juravi in ira mea, si introibunt,* h. e. non introibunt in terram quietis, a me illis promissam. Consideret hæc ille, qui constanter peccat, et nihilominus æternam requiem sperat.

DOMINE DOMINUS, ETC. PS. 8.

*Argumentum Psalmi.*

Laudatur, ex consideratione creaturarum, potentia, sapientia et benignitas Dei, præcipue erga hominem.

3. *Ex ore infantium perfecisti laudem,* ut patet in parvulis Christo Hosanna acclamantibus. *Matth. 21.*

4. *Videbo cœlos,* h. e. dum video cœlos, tam pulchros, et considero homini illos servire, cogor exclamare: *Quid es homo ? etc.*

6. *Paulo minus ab Angelis.* Detracto corpore, homo similis est Angelo. *Gloria et honore coronasti eum:* quia illum ad imaginem et similitudinem tuam, æternæque beatitudinis capacem fecisti.

COELI ENARRANT, ETC. PS. 18.

*Argumentum Psalmi.*

Ostenditur Deum ex cœlorum ornatu et lege divina (quæ valde extollitur) cognosci. Primos hujus Psalmi versus S. Paulus pro Apostolis allegat *Rom. 10.* S. Augustinus totum Christo et Apostolis applicat.

2. *Dies diei eructat verbum,* h. e. de die in diem, de nocte in noctem cœli suo decore et ordinato motu declarant nobis gloriam, potentiam et sapientiam Dei.

3. *Non sunt loquelæ,* h. e. nulli populi tam peregrino utuntur idiomate, a quibus *non audiantur voces eorum,* sc. cœlorum.

4. *In omnem terram exivit sonus eorum,* h. e. ipsimet cœli suæ structuræ ornatum ubique prædicant dum illum ostentant. Et Apostoli variis linguis passim loquebantur magnalia Dei. *Act. 2.*

5. *In sole,* utpote in excellentissimo cœlorum side-

re, Deus posuit tabernaculum suum, ex quo gloriam suam nobis ostenderet. *Et ipse,* sol mane oriens (Christusque in nativitate) est *tamquam sponsus procedens de thalamo suo.*

6. *Exultavit ut gigas.* En promptitudinem solis ad cursum suum, et Christi ad opus Redemptionis.

7. *Et occursus,* i. e. cursus solis, *usque ad summum,* i. e. meridiem. Et Christi via ad summum evangelicæ perfectionis culmen perducit; et sicut nullus est, qui non participet *calorem* solis ita nemo non participat amorem Christi.

8. *Lex Domini* (præcipue evangelica) *immaculata* (ab hac melius, quam a cœlis in divinis rebus erudimur) *convertens animas* ad Christum. *Testimonium Domini fidele,* non promittens vana, sed *erudiens parvulos,* i. e. humiles.

13. *Delicta quis intelligit.* Quamquam cœli et lex Domini ita nos instruant, et homo etiam velit legem servare, sæpe tamen ex infirmitate labitur, idque non videt, amore proprio excæcatus. Proinde *ab alienis,* sc. peccatis, aut a superbis perversisve sociis *parce,* i e. libera et præserva me servum tuum.

14. *Si* defectus, perversique homines *mei* (est genitivi casus), h. e. in me *non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*

15. *Et erunt,* h. e. fiet, ut tibi tunc placeant *eloquia oris mei, et meditatio cordis mei* tunc erit *in conspectu tuo semper.*

DOMINI EST TERRA, ETC. PS. 23

*Argumentum Psalmi.*

Translata Arca ex domo Obededom in montem Sion, David hoc Psalmo Dei potentiam et gloriam, præcipue vero Christi Ascensionem, prædicat.

3. *In montem Domini,* sc Sion, in quo templum suum Deus ædificari voluit. Et cœlum per *Sion* intellige.

4. *Qui non accepit in vano animam suam:* frustra is animam accepit, qui ea ad vanitates abutitur, atque ita a fine suo, Deo, aberrare eam facit.

9. *Principes,* sc. Jerosolymitani, vel potius Angeli. *Portæ æternales,* h. e. cœlestes, quæ hominibus clausæ fuerunt, donec Christus illas primus ingrederetur.

ERUCTAVIT COR, ETC. PS. 44.

*Argumentum Psalmi.*

Epithalamium est Christi sponsi, et Ecclesiæ (vel B. Mariæ Virginis sponsæ, in

quo utriusque pulchritudo et dotes explicantur.

1. *Eructavit*, ex imo pectore effudit *cor meum verbum bonum*, id est, laudes Christi sponsi, et Ecclesiæ sponsæ. Idem sponsus virgineæ carni B. M. per incarnationem se quodammodo desponsavit. *Dico*, h. e. dedico vel eloquor hos versus meos *Regi* Christo.

2. *Calamus Scribæ*, i. e. Spiritus sancti,

2. *Speciosus forma*, Rex Christus. *Diffusa est gratia in labiis tuis:* tam enim gratiosus fuit sermo Christi, ut mirarentur omnes in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius. *Luc. 4. 22.*

4. *Accingere gladio tuo*, h. e. verbo tuo: gladius enim spiritus est verbum Dei, *Ephes. 6.*, ad dæmones profligandos, et homines tuæ fidei et servitio subjugandos.

5. *Specie tua*, h. e. in quo spirituali gladio tua species, et pulchritudo, consistit. In illum finem *intende* arcum et vires tuas, sicque *prospere procede, et regna*, qui honor tibi debetur, etiam *propter veritatem et mansuetudinem tuam.*

6. *Sagittæ tuæ* (verba tua Evangelica) *acutæ*, quæ infige *in corda inimicorum Regis*, h, e. eorum, qui tibi, qui Rex es, adversantur. Sic fiet, ut populi sponte se tibi subdant.

7. *Sedes tua*, solium imperii tui, *Deus*, o Christe (tu enim *homo Deus* es) æternum est, juxta verbum Angeli, *Luc. 1. Regni ejus non erit finis. Virga*, seu sceptrum *regni tui* justissime omnia dirigit.

8. *Propterea unxit te Deus* peculiariter *Deus tuus*, quia Pater tuus, et tu, ejusdem cum eo naturæ es, *oleo lætitiæ*, h. e. lætificante, *præ consortibus*, h. e. præ omnibus Sanctis, quos consortes tuos, imo filios adoptivos fecisti,

9. *Myrrha et gutta*, h. e. aloe vel liquor myrrhæ guttatim fluens, *et casia*, seu cinnamomum, præstantissima aromata, *a vestimentis* humanæ tuæ naturæ, quam veluti servilem habitum assumpsisti, gratissimum virtutum oderom spirant, Et sicuti regia vestimenta *a domibus eburneis* sumuntur, ita caro tua ex candidissimis Mariæ visceribus. *Ex quibus*, h. e. propter quæ vestimenta, cum in illis te ostenderes, *delectaverunt te filiæ regum*, animæ piæ, quæ post te trahi cupiunt: ut currant in odorem talium unguentorum tuorum. *Cant.* 1. 3.

10. *Astitit Regina*, Eccle-

sia ex gentibus collecta, *a dextris tuis,* honoratiore loco, *in vestitu deaurato, circumdata varietate,* h. e. omnium virtutum ac donorum genere exornata.

11. *Audi filia,* verba sunt Dei Patri, quibus Ecclesiam suam allicit ad legem evangelicam amplectendam, et ad idola, quæ ritu ethnicorum coluit, deserenda.

12. *Et concupiscet Rex,* Christus Filius tuus, *decorem tuum.*

13. *Et filiæ Tyri,* h. e. etiam ditissimi gentilium, qui Tyri habitant, offerendo suas facultates in pauperes sustentandos, et templa extruenda, *in muneribus vultum tuum deprecabuntur,* h. e. tuam, o Ecclesia, gratiam ambient, et ad legem tuam fidemque admitti cupient.

14. *Omnis gloria ejus,* i. e. Ecclesiæ gratia et pulchritudo, in corde et animo latet; quæ tamen etiam per varia charitatis opera sese in proximum effundit.

15. *Adducentur Regi* Christo *virgines,* animæ piæ, quæ reginam illam (Ecclesiam comitentur. *Proximæ ejus,* cognatæ et sociæ gentes ad te, o Christe, adducentur. Eadem facile applicabis beatæ Virgini.

16. *Afferentur in lætitia,* seu adducentur conversæ illæ gentes tibi, o Christe, Angelis, ipsisque conversis animabus lætantibus.

17. *Pro patribus,* Patriarchis et Prophetis V. T. nascentur tibi, o Christe, Apostoli, Episcopi, et Sacerdotes, quos in rebus spiritualibus, et convertendis populis, *constitues principes.*

18. *Memores erunt nominis tui,* h. e. isti filii nomen tuum, Jesu, *portabunt* et prædicabunt *coram gentibus,* Act. 9. 15. facientque, ut te populi æternum prædicent.

DEUS NOSTER, ETC. PS. 45.

*Argumentum Psalmi.*

Gratiarum actio est pro obtenta victoria, urbeque Jerosolymitana (quæ Ecclesiæ figura est) a persecutionibus liberata. Exhortatio quoque est ad ponendam in Deo fiduciam.

2. *In Cor,* id est, medium *maris.*

3. *Sonuerunt,* præteritum pro futuro : q. d. non timebimus quando sonabunt, et turbabuntur *aquæ eorum* scil. marium. S. Aug. legit *ejus,* uti et sequitur, *in fortitudine ejus,* sc. maris vel Dei.

4. *Fluminis, etc.* Ratio datur, quare pii non sint turbandi: quia *fluminis* gratiæ divinæ *impetus* (magna enim

gratiæ vis est) *lætificat* Ecclesiam (quæ est *Civitas Dei*) ejusque filios: propterea hi non turbantur adversitatum procellis. *Sanctificavit* sibi *Tabernaculum suum,* id est, Ecclesiam suam, in qua velut in tabernaculo sedem fixit *Altissimus.* Hæc et sequentia etiam accommodantur beatæ Virgini.

5. *Deus in medio ejus,* videlicet civitatis seu Ecclesiæ degit, veluti sol in medio mundi; propterea *non commovebitur* a statu et felicitate sua. Nam portæ inferi non prævalebunt adversus eam, *Matth. 16. Adjuvabit eam Deus mane,* tempestive.

6. *Conturbatæ sunt gentes* nunc scilicet, quando viderunt Deum in Ecclesia sua stare, *et inclinata sunt, concussa sunt, tremuerunt regna. Dedit vocem* imperii sui Deus, et metu perculsa est *terra.* Etiam prædicatio Evangelii vox Dei dicitur.

8. *Auferens bella,* scilicet tyrannum per totum orbem.

FUNDAMENTA EJUS, ETC. PS. 86

*Argumentum Psalmi.*

Dum urbs Jerosolymitana hoc Psalmo laudatur, Ecclesia simul, quæ exordium sumpsit in monte Sion (etiam B. Virgo), præconiis exornatur.

1. *Fundamenta ejus,* urbis Jerosolymæ, vel ejus templi consistunt *in montibus sanctis,* scilicet Moria et Sion. Et fundamenta Ecclesiæ in Sanctis Dei. Accommodatur etiam hic Psalmus beatæ Virgini cujus sanctitas et excellentia tanta est, ut in aliorum Sanctorum supremo fastigio quodammodo initium et fundamentum posuisse videatur. *Diligit Dominus* urbem *Sion* seu Jerusalem, super omnes civitates Israel. Et Christus Ecclesiam præ Synagoga diligit, et beatam Virginem præ omnibus Sanctis.

2. *Gloriosa dicta sunt de te,* o Jerusalem; et de te, o Ecclesia: de te quoque, o Mater Dei.

3. *Memor ero Rahab,* id est, Ægypti: sic appellatur a rege ejus Rahab, quod nomen SUPERBUM significat: cujus incolæ, licet gentiles sint, me in hac civitate, in Ecclesia scient, agnoscent et colent.

4. *Ecce alienigenæ,* i. e. Philisthæi (qui alienigenæ vocantur) et Tyrii et Æthiopes, et alii *fuerunt illic.* Omnes enim nationes, Jerosolymam, tamquam ad celeberrimam urbem, confluebant. Id vero potissimum contigit, quando ibidem Apostoli die Pentecostes præ-

dicaverunt Evangelium, sicque fundatam in monte Sion Ecclesiam (in quo et urbs Jerusalem fundata erat) mirifice auxerunt.

5. *Numquid Sion*, h. e. Sioni, *dicet* quilibet hæc videns? *Homo et homo*, h. e. plurimi homines per baptismum renati sunt in ea, et per B. V. intercessionem multi cœlo renascuntur.

6. *Dominus narrabit* seu recensebit *in scripturis populorum*, seu catalogo et libro divinæ scientiæ suæ, in quo omnes populos descriptos, habet, ingentem illum principem, et excellentium virorum numerum, qui ex urbe Jerusalem (Ecclesia) prodierunt.

7. *Sicut lætantium*, i. e. sincere omnes incolæ tui *in te*, o Jerusalem, o Ecclesia, o Mater Dei, lætantur: sed plenissime in cœlis id complebitur, *ait S. Aug.*

CANTATE DOMINO, ETC. PS. 95.

*Argumentum Psalmi.*

Omnes ad laudandum et colendum Deum, uti olim in Sion, ita nunc in Ecclesia Christi, ob redemptionem per Christum obtentam, invitantur.

6. *Confessio et pulchritudo in conspectu ejus*, h. e. coram Deo omnia plena sunt laudis, decoris et gloriæ, *sanctimonia et magnificentia* semper relucent in sanctuario *ejus*, maxime in Ecclesia Christi, in anima pia, in cœlo. Audi S. Augustinum: Turpis es, peccator. Vis esse pulcher? Confitere peccata tua; *confessio* enim *et pulchritudo* conjuncta sunt in conspectu ejus.

7. *Afferte Domino patriæ*, id est, domus patriæ, seu familiæ aut tribus *gentium*.

8. *Tollite hostias*, h. e. parate etiam non cruentas hostias, quæ olim in pane et vino potissimum consistebant, nunc in SS. Eucharistia, et sic *introite in atria* templi Dei, eumque ibidem *adorate*.

9. *Commoveatur*, seu contremiscat coram Deo *omnis terra*, solliciteque laboret ad laudes illi debitas concinendas: et inter gentes notum facite, quod *Dominus regnavit a ligno*.

10. *Etenim correxit*, emendavit *orbem* depravatum, videlicet per Crucem, potentissimam regni sui virgam, tam solide, ut non sit commovendus.

11. *Lætentur cœli* Christo regnum adeunte.

12. *Tunc*, illo tempore gratiæ, *exultabunt omnia ligna silvarum*, quod hæc post Christi adventum non

sint amplius consecranda idolis.

DOMINUS REGNAVIT, ETC. PS. 96.

*Argumentum Psalmi.*

Christi cum majestate ad extremum judicii diem adventus proponitur, uti patet ad Hebr. 1. 9. Boni proinde instigantur, ut Deum cum gaudio colant.

1. *Dominus regnavit,* hostes nostros prosternendo: proinde gaudeant qui terram nostram et qui insulas longe dissitas incolunt: maxime quando mundus Ecclesia Christi triumphante) innovabitur, et electi cœlo transcribentur.

2. *Nubes et caligo* erunt circa thronum Dei, quando Christus ad judicium descendet. Tunc *justitia et judicium* erunt rectitudo, basis, et sustentaculum *sedis* seu throni *ejus* judiciarii.

3. *Ignis,* quo conflagrabit orbis, *ante ipsum* Christum *præcedet,* antequam descendet ad judicium.

5. *Illuxerunt,* illucebunt *fulgura, etc.* Ita et in sequentibus præteritum pro futuro ponitur sc. videbit, commovebitur, fluet, etc.

6. *Annuntiaverunt cœli,* pro annuntiabunt toti orbi *justitiam ejus,* cum illi sulphur et ignem pluent.

8. *Audivit* hæc, *et lætata est Sion,* h. e. Ecclesia.

9. *Et exultaverunt,* exultabunt *filiæ Judæ,* i. e. animæ fideles, quia tunc appropinquabit illorum redemptio, et retributio.

11. *Lux* divini favoris et cœlestis gloriæ tunc orietur *justo,* etc.; quamobrem.

12. *Confitemini,* i. e. laudibus celebrate *memoriam sanctificationis* hujus Judicis, qui uti impios vere puniet, ita pios summa gloria remunerabitur.

CANTATE DOMINO, ETC. PS. 97.

*Argumentum Psalmi.*

Invitat omnes ad prædicandam salutem a Deo populo suo allatam, et uberius toti orbi per Christum a mortuis resurgentem conferendam.

2. *Salvavit,* id est, salutem peperit *sibi,* h. e. ad gloriam suam, *dextera ejus,* propria virtute resurgendo.

3. *Notum fecit Dominus salutare suum,* h. e. salutem nobis dudum promissam: et ita *gentibus* fidelitatem suam manifestavit.

4. *Recordatus est veritatis,* quæ docet ipsius promissionem, in gratiam et commodum domus Israel.

8. *Flumina,* fluctuum collisione, et veluti manibus

complosis gaudia sua cum omnibus aliis creaturis ostendent.

## AD LAUDES.

DOMINUS REGNAVIT, ETC. PS. 92.

*Argumentum Psalmi.*

Prædicat Dei potentiam consideratione creationis cœli et terræ. Simul potentiam regni Christi celebrat.

1. *Dominus regnavit* a principio mundi, quando cœpit habere subditos: *decorem*, gloriam majestatem *indutus est*, et *fortitudinem*, qua se instar potentissimi regis *præcinxit*. S. Hieron. Christus a morte resurgens, induit corpus gloriosum.

2. *Firmavit orbem terræ*, dum illum creabat: Christus vero Ecclesiam, dum illam post resurrectionem fundabat.

3. *Parata* fuit *sedes tua*, thronus regius, *ex tunc*, h. e. ab initio, quando mundum condidisti.

4. *Elevaverunt flumina vocem suam*, qua te, Domine. Creatorem suum prædicant.

6. *Mirabilis in altis*, in cœlis, unde furorem maris (et persecutores Ecclesiæ) Deus compescit.

7. *Testimonia*, promissiones tuæ, de Ecclesia tua fundanda, sunt fide dignissima; *domum tuam*, Ecclesiam, et animam hominis quam tu, Domine, inhabitas, *decet sanctitudo.*

JUBILATE DEO, ETC. PS. 99.

*Argumentum Psalmi.*

Invitantur omnes, etiam gentes, ad templum, ut Dei laudes inibi decantent pro acceptis beneficiis.

4. *Introite portas* templi *ejus in confessione*, h. e. cum laudibus et gratiarum actione: *confitemini illi*, h. e. laudate eum.

5. *In generatione et generationem*, i. e. apud omnes posteros *veritas*, i. e. fides *ejus* in promissis præstandis perstabit.

DEUS DEUS, ETC. PS. 62.

*Argumentum Psalmi.*

Solatur seipsum David consideratione divinæ bonitatis a qua hostibus deletis salutem sperat. Piæ animæ hic Psalmus suppeditat suspiria.

1. *Ad te*, Deus meus, *de luce vigilo*, h. e. cogito, dum expergiscor: quod magni in Deum amoris signum est.

2. *Quam multipliciter*, i. e. multis modis *tibi*, ad te sitit *caro mea*, ut te frui liceat.

3. *In terra deserta*, id est, etiam quando sum in loco solitario, perinde coram te

Domino Deo meo sto, ac si essem *in sancto*, hoc est in sanctuario tuo coram Arca, *ut gloriam tuam* semper *videam* et *virtutem* obtineam; adeo ad illam anhelo.

4. *Quoniam melior est misericordia tua*, q. d. consolatio tua spiritualis mihi vita ipsa dulcior est.

5. *Sic:* itaque laudabo *te in* omni *vita mea.*

6. *Sicut adipe et pinguedine, repleatur* gratiis et consolationibus *anima mea.*

7. *Si memor fui tui* in lecto meo vesperi vel nocte, multo magis *meditabor*, h. e. attente cogitabo de *te*, mane, tempore aptissimo de Deo cogitandi.

8. *In velamento alarum tuarum*, i. e. protectione tua munitus, *exultabo. Adhæsit anima mea post te*, i. e. tibi, sicut infans matri: propterea *me suscepit dextera tua.*

9. *Ipsi vero*, hostes mei frustra *quæsierunt animam meam*, seu vitam meam: *introibunt in inferiora terræ* h. e. in sepulchrum, *tradentur in manus*, h. e. in potestate *gladii*, quo occisi fient *partes* seu portiones *vulpium*, quæ magno numero in Judæa cadaveribus inhiant.

10. *Rex vero*, scilicet ego David *lætabor in Deo*, eripiente me ab omnibus malis, et gloriabuntur mecum *omnes*, qui, quando necessitas requirit, in vero Deo jurant. Et gaudium istud inde profluit, quia *obstructum est*, et porro obstruetur *os* calumniatorum et blasphemorum, qui per falsos Deos jurant.

DEUS MISEREATUR. ETC. PS. 66.

*Argumentum Psalmi.*

Rogat David, ut Deus per incarnationem se toti orbi terrarum cognoscendum exhibere velit.

1. *Deus misereatur nostri, et benedicat nobis*, scilicet per Christum: *illuminet*, remotis iræ nubibus, *vultum suum super nos*, seipsum nobis in forma hominis exhibendo, sapientiamque et charitatem suam in nos effundendo.

2. *Ut cognoscamus* nos miseri, qui in tenebris et in umbra mortis sedemus, clare *in terra viam*, per quam in cœlum ambulemus: Christus autem de se ait: Ego sum via. Et *salutare* tuum, Hebraice *Salvator* tuus, innotescat *omnibus gentibus*, ut videat omnis caro salutare Dei *Luc. 3.*

3. *Confiteantur tibi, o Deus, omnes populi*, hoc est, te laudent ob summum beneficium Incarnationis.

4. *Lætentur* etiam de tanto bono, *et exultent gentes quoniam* tu per Christum *judicas*, et judicabis *populos in æquitate,* ablato jugo diabolico, *et gentes in terra dirigis* per saluberrima præcepta et consilia. S. Aug. refert hæc verba ad extremum judicium, hoc modo: *Lætentur* hic *omnes gentes, quoniam* si quid male in hac vita ab hominibus patiuntur, veniet tempus, quo Deus juste judicabit populos: interim gentes sibi devotas *in terra diriget* per varias tribulationes ad salutem.

5. *Confiteantur tibi, etc.* repetitur exhortatio ad laudandum Deum nova addita ratione: quia *terra dedit fructum suum*, scilicet CHRISTUM, qui est fructus terræ sublimis. *Isai. 4.*

6. *Benedicat nos Deus* PATER, *Deus* FILIUS qui est per Incarnationem *Deus noster: benedicat nos Deus Spiritus sanctus.* Trina hæc repetitio tres nobis in Divinitate personas videtur indicare. *Et metuant eum* timore filiali *omnes* homines, qui fines terræ incolunt.

BENEDICITE. ETC. *Dan. 3.*

Hymnus ille est *Canticum trium puerorum* Sidrach, Misach et Abdenago, seu Ananiæ, Azariæ et Misaëlis, quod illæsi cantarunt in fornace ardenti, in quam a Nabuchodonosore conjecti sunt, quia statuam auream nolebant adorare.

Nulla hoc Canticum explicatione indiget.

LAUDATE DOMINUM ETC.
PS. 148.

*Argumentum Psalmi.*

Invitantur omnes creaturæ ad Dei laudes.

1. *Laudate Dominum de cœlis* videlicet vos cœlites, qui in cœlis estis: *laudate eum in excelsis*, i. e. in supernis habitationibus vestris.

4. *Aquæ omnes,* non nubium, sed *quæ super cœlos*, etiam super firmamentum *sunt*, quas Deus fortassis ideo ibi collocavit, ne conspectu cœli empyrei sole splendidioris impii umquam vel in terris fruantur.

6. *Statuit ea,* sc. omnia illa cœlestia corpora, ut stabilia permaneant, iisdemque *præceptum posuit,* juxta quod ordinatissime moveantur; *non præteribit*, non negliget, non abrogabit hoc præceptum Deus.

8. *Spiritus procellarum*, turbo, seu ventus procellam suscitans; *quæ* omnia *faciunt verbum ejus,* hoc est, jussis Dei obtemperant.

14. *Confessio,* i. e. laus et

gloria *ejus* relucet ubique in cœlo et in terra. *Et exaltavit* potentiam et gloriam *populi sui.*

15. *Hymnus,* seu laudis canticum sit ob Dei beneficia familiare *omnibus sanctis ejus,* h. e. populo ejus, qui Deo peculiariter sanctificatus est, et *sibi* (Deo) per fidem et religionem appropinquat.

CANTATE DOMINO, ETC. PS. 149.

*Argumentum Psalmi.*

Populus Dei præ cæteris invitatur ad gratiarum actionem. Prædicitur simul, Christianos contra dæmonem, mundum et carnem victores, et in extremo die judices fore.

1. *Laus ejus* (Dei) *in Ecclesia,* seu congregatione *sanctorum,* h. e. Deo sanctificatorum.

2. *Exultent in rege suo* Deo, nos etiam in Christo.

4. *Exaltabit mansuetos,* et humiles *in salutem* ipsorum, hanc illis dando.

5. *Exultabunt sancti,* pii, *in gloria,* i. e. gloriose *lætabuntur in cubilibus suis,* in locis seclusis a turba, ubi Dei laudibus et meditationi vacant. Etiam de beatis, et mansionibus cœlestibus hæc intellige.

6. *Exultationes Dei,* encomia, quibus Deus exaltatur erunt in ore ipsorum; unde etiam tanta illis præsidia externa a Deo conceduntur, ut quasi *gladios ancipites,* utrimque acutos habeant *in manibus,* quibus hostes suos arceant, et

7. *Vindictam* sumant *in nationibus,* i. e. gentilibus, et *populos increpent,* meritas iis infligendo pœnas.

8. *Ad alligandos reges,* i. e. ut etiam vinculis constringant reges iniquos eorum.

9. *Ut faciant in eis,* i, e. circa eos exerceant judicium a Deo et ejus lege præscriptum. *Gloria hæc est* concessa *omnibus* sanctitati deditis.

LAUDATE DOMINUM, PS. 150.

*Argumentum Psalmi.*

Deus non voce tantum, sed et variis additis instrumentis musicis laudandus est.

1. *Laudate Dominum in Sanctis,* Hebr. in sanctitate, alii in Sancto seu sanctuario *ejus,* h. e. laudate Deum ob sanctitatem ipsius, idque in locis sanctis, *in firmamento,* stabilitate *virtutis* seu potentiæ *ejus.*

2. *In virtutibus,* h. e. exercitibus, seu Angelis.

6. *Omnis spiritus,* S. Hier.

omne quod spirat, *laudet Dominum,* qui vitæ auctor est: vel omnis anima ratione prædita, vel omnis *spiritus*, sc. bonus, aut cœlestis *laudet* suum *Dominum.* Quibus verbis David addendo Alleluia, suum Psalterium, in 150 Psalmis consistens, finit.

BENEDICTUS, ETC. *Luc.* 1.

Gratias hoc Cantico agit Zacharias, quod Deus per Incarnationem humanum genus visitaverit, peccata sustulerit, et lucem novæ legis in mundum invexerit.

1. *Visitavit et fecit redemptionem plebis*, id est, facere cœpit per Messiam, quem B. Virgo tunc utero suo virgineo conceperat, redemptionem.

2. *Exerit cornu salutis nobis*, id est per Messiam nostram salutem roboravit, et stabilivit (cornutæ feræ robur suum in cornibus habent) idque *in domo,* i. e. familia *David pueri,* i. e. servi *sui.*

3. *Sicut locutus est,* sc. Dei Filius, nunc incarnatus, *per os sanctorum Prophetarum, qui a sæculo sunt,* i. e. qui ante centenos annos vixerunt.

4. *Salutem* seu salvationem ab *inimicis nostris*, diabolis, jam præstitit, nosque eripuit *de manu omnium, qui oderunt nos.*

5. *Et memorari*, i. e. ad declarandum, se memorem esse fœderis, olim cum sanctis Patriarchis et Prophetis initi.

6. *Jusjurandum*, subintellige ad explendum jusjurandum, *quod juravit ad Abraham* seu Abrahæ, videlicet in ejus semine benedicendas et salvandas esse omnes gentes; quod per Messiam factum est.

7. *Ut sine timore*, sc. servili, sed ex amore imposterum *serviamus illi in sanctitate.*

8. *Et tu puer.* Joannes.

10. *Per viscera misericordiæ visitavit nos oriens*, i. e. Messias. *ex alto*, sc. cœlo.

11. *Illuminare his*, modo infinitivo, sc. ut lumen ferat his, *qui in tenebris, etc.*

## AD PRIMAM.

DEUS IN NOMINE, ETC. PS. 53.

*Argumentum Psalmi.*

David contra adversarios suos Dei opem implorat, promittens laudes et gratias.

1. *In nomine tuo*, per invocationem nominis tui, vel propter gloriam nominis tui, *et in virtute*, potentia *tua, judica*, i. e. vindica *me.*

7. *Averte mala* a me ad inimicos meos, *et in virtute tua,* i. e. juxta veras promissiones tuas, *disperde illos.*

8. *Voluntarie,* non coacte *sacrificabo tibi.*

9. *Despexit* (Hebr. *vidit ex alto) oculus meus,* supple, ultionem infligi inimicis meis.

BENEDIXISTI, ETC. PS. 84.

*Argumentum Psalmi.*

David memoria liberationis a captivitate Ægyptiaca excitatus, petit humanum genus per Christum a servitute diaboli et peccati liberari, paceque donari.

1. *Benedixisti, Domine, terram tuam,* sc. quando *avertisti* servitutem a domo et familia *Jacob*, educendo illius posteros ex Ægypto, maxime vero redimendo per Messiam genus humanum.

2. *Operuisti peccata,* sanando illa sicuti medicus operit (sanando) vulnera: ita S. Aug.

3. *Avertisti,* supple, te, vel tuum vultum *ab ira.*

4. *Converte nos* a peccatis ad te.

6. *Deus tu conversus* misericorditer ad nos.

7. *Salutare tuum,* i. e. salutem, Hebr. *Salvatorem.*

8. *Audiam quid loquatur in me Dominus,* sc. per inspirationem, nam aliquid boni responsi mihi ad preces meas dabit: nam *loquetur,* annuntiabit *pacem.*

9. *Et super sanctos suos,* scilicet loquetur pacem, et ad eos, *qui convertuntur ad cor,* i. e. cognitionem sui veniunt; quod est initium emendationis.

10. *Verumtamen,* id est, vere *prope timentes eum salutare ipsius,* i. e. vera salus propinqua est timentibus eum, *ut* hac ratione *inhabitet gloria,* sc. Dei quæ parcendo maxime elucet, *in terra nostra.*

11. *Misericordia,* scilicet Dei, *et veritas* ejusdem, i. e. fidelitas in promissis (alii per veritatem intelligunt justitiam) pacifice convenerunt, et sese in Christo conjunxerunt, ut nos redimeremur. Itaque in Christo *justitia* (quia is in rigore justitiæ pro peccatis nostris satisfecit) *et pax,* seu remissio peccatorum, se mutuo *osculatæ sunt.*

12. *Veritas de terra orta est,* Christo nato, *et justitia* divina, quæ diu irata latuerat, placato vultu *de cælo* in terram *prospexit.*

13. *Etenim,* id est sane *Dominus dabit benignitatem,* i. e. imposterum propter Filium suum incarnatum da-

bit benedictionem et rorem gratiæ, *et terra nostra dabit fructum* bonorum operum.

14. *Justitia ante eum* (Deum) *ambulabit :* Christus enim justitiam, quæ prius exulabat, reducet in homines : *et ponet,* justitia, *in via gressus suos,* i. e. relinquet in progressu suo vestigia virtutum.

### LAUDATE DOMINUM, ETC. PS. 116.

*Argumentum Psalmi.*

David in spiritu prævidet Magos (primitias gentium) ab Oriente venientes, et Christum cum muneribus adorantes. Hos, et omnes gentes convertendas invitat ad Dei laudes.

## AD TERTIAM.

### AD DOMINUM, ETC. PS. 119.

*Argumentum Psalmi.*

David in exilio constitutus queritur de fraudulentis et calumniantibus hominum linguis.

3. *Quid detur tibi,* o maledice, h. e. quid mali possit tibi addi *ad linguam* tuam *dolosam ?*

4. *Sagittæ potentis acutæ, etc.* Lingua maledica est sicuti sagittæ acutæ, ab homine potente et valido jactæ, imo sunt veluti carbones omnia vastantes, et desolationem afferentes. Facit illa lingua, ut Davidem vitæ tæderet, prout declarat versus sequens.

5. *Heu mihi quia* exilium meum prolongatur : *habitavi* (quamdiu cum maledicis vixi) quasi cum barbaris, qui circa *Cedar,* i. e. locum in deserto Arabiæ, habitant; *multum incola fuit anima mea,* i. e. nimis diu inter tales vixi.

6. *Impugnabant me gratis,* i. e. sine causa.

### LEVAVI OCULOS, ETC. PS. 120.

*Argumentum Psalmi.*

Hortatur omnes David, ut suo exemplo opem a solo Deo expectent, docetque bonos omnes sub Dei custodia tutos esse.

2. *In montes*, Moriam et Sionem, in quibus sita erat urbs Jerusalem, *levavi oculos meos* templum versus, ubi arca Domini erat; vel potius in cœlos.

3. *Non det,* Hebr. *non dabit*, non permittet te labi.

4. *Ecce non dormitabit neque dormiet,* etsi id videatur interdum facere.

5. *Super,* i. e. juxta *manum dexteram tuam* est Dominus te protegens.

6. *Per diem sol non uret te, neque luna per noctem,*

dum Dominus est protectio seu umbraculum tuum. Sic nec in prosperis, nec in adversis læteris.

8. *Dominus custodiat* omnia tua negotia. S. Hier. Introitus est vita, exitus mors.

LÆTATUS SUM, ETC. PS. 121.

*Argumentum Psalmi.*

Sub allegoria lætissimæ frequentationis templi et pulchritudinis urbis Solymææ, describitur gaudium Christianorum, ad templa sua et cœlestem patriam properantium.

1. *Lætatus sum in his, etc.* Considera hic et imitare zelum Davidis in frequentando templo; ejusdemque desiderium domus cœlestis.

2. *Stantes erant pedes nostri in atriis, etc.* i. e. ingrediendo urbem Jerosolymam substitimus aliquando oblectati conspectu magnificæ structuræ portarum et murorum urbis. Atria cœli Ecclesia militans est; de hac potius quam de priore exclamare possumus:

3. *Jerusalem quæ ædificatur*, i. e. ædificata est, *ut civitas* bene ordinata, quæ nomen veræ civitatis meretur. *Cujus participatio,* hoc est, qui ejus participes sunt, scil. cives (vocula *ejus*, pertinens ad phrasim Hebr. redundat), *in idipsum* h. e. simul in unum conspirant et concordes sunt, ut patet ex sequentibus.

4. *Illuc enim ascenderunt tribus*, h. e, distinctæ familiæ Israel pulchro ordine procedunt, ter in anno juxta *testimonium Israel* seu legem a Deo Israeli datam, *Exod. 23. 17. ad confitendum,* i. e. laudandum *nomen Domini.*

5. *Quia illuc*, id est in Jerusalem, ad sedendum constitutæ sunt *sedes in* seu ad *judicium, etc.* Porro tribunalia Christo et Apostolis illic decreta sunt ad judicandos in extremo die, 12 tribus Israel; *sedes super domum David:* h. e. sedes illæ judiciariæ positæ sunt seu fundatæ *super domum David*, sicque domus Davidicæ thronus regius est stabilitus: magis vero in Christo potestas judiciaria Apostolorum, Episcoporum et Sacerdotum fundata est.

6. *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem,* h. e. omnem felicitatem et pacem apprecamini Jerosolymæ (Ecclesiæ) *et abundantia* omnium rerum eveniat iis, qui diligunt te, o Jerusalem, o Ecclesia.

7. *Fiat pax*, inter cives et incolas in potentia tua, o Jerusalem. *Et* annonæ *abundantia in turribus tuis*, h. e.

sit in granariis urbis, quæ erant in turribus portarum, vel aliis domibus turritis. Simul copiam bonorum operum Ecclesiæ apprecatur.

8. *Propter fratres meos*, tum carnales, tum spirituales, *loquebar pacem de te*, i. e. optabam tibi pacem, o Jerusalem, concordiamque Ecclesiæ.

9. *Propter domum Domini*, h. e. templum *et* arcam ôptavi *tibi*, o Jerusalem, omnia bona, similiter Ecclesiæ propter templa, et in iis contentam vivam Arcam, h. e. Eucharistiam.

## AD SEXTAM.

AD TE LEVAVI, ETC. PS. 122.

*Argumentum Psalmi.*

Est pia peregrinantium in exilio hujus mundi oratio, qua auxilium contra impiorum opprobria petitur.

1. *Qui habitas in cœlis*, in quibus gloriam tuam ostendis : cæteroquin ubique es.

2. *Repleti sumus despectione* : deridetur enim justi simplicitas.

5. *Multum repleta est anima nostra* despectione ; *opprobrium* sæpius factus sum *abundantibus*, h. e. divitibus, qui raro pii et humiles sunt, *et despectio* seu despectus factus sum *superbis*.

NISI QUIA, ETC. PS. 123.

*Argumentum Psalmi.*

Est gratiarum actio pro impetrata ope divina, qua repulsi sunt hostes, qui excidium populi moliebantur.

1. *Nisi quia (quia* redundat more græco) *Dominus erat* (fuisset) *in* seu pro *nobis*, h. e. a parte nostra, *dicat*, h. e. repetat hoc *nunc Israel : Nisi quia, etc.*

2. *Cum*, quando *exurgerent homines*, hostes nostri, *in nos, forte*, Hebr. tunc, *vivos* devorassent nos.

3. *Forsitan aqua*, uti olim mare Rubrum, *absorbuisset nos.*

4. *Torrentem pertransivit*, h. e. maxima pericula subiit *anima nostra.*

QUI CONFIDUNT, ETC. PS. 124.

*Argumentum Psalmi.*

Declaratur pios divino præsidio tutos fore, impiis pereuntibus ; in Deo proinde sperandum esse.

1. *Qui confidunt in Domino*, sunt *sicut mons Sion*, qui *non commovebitur*. Talis est, vel esse debet, *qui habitat in Jerusalem*, et ille, qui spiritualis Jerusalem, i. e. Ecclesiæ militantis, civis est : Nam

2. *Montes in circuitu ejus*, scilicet urbs Jerusalem, ita et *Dominus* in circuitu *po-*

*puli sui*, eumdem semper protegens.

3. *Non relinquet Dominus* diu *virgam* seu sceptrum et imperium *peccatorum super sortem justorum* (justi enim sunt *sors* seu pars hæreditaria Dei), ne forte impatientia victi peccent.

5. *Declinantes autem*, supple a vera virtute, *in obligationes* Chald.: in obliquitates, Græc. implicationes, i. e. versutias; quod faciunt hypocritæ, qui suas perversitates legunt, sicque tortuosis et occultis viis, byssinisque verbis innocentum animos quasi circumligant et involvunt. Hos *adducet*, i. e. pari modo ad pœnam trahet Deus, ac si essent palam *operantes iniquitatem* Sed ut *pax* sit. precor, *super Israel*, id est, Israelitas et Ecclesiam Dei.

## AD NONAM.

IN CONVERTENDO, ETC. PS. 125.

*Argumentum Psalmi.*

David prævidens captivitatem Babylonicam et liberationem ex eadem, gratias agit. Celebratur simul sub hujus typo liberatio generis humani per Christum.

1. *In convertendo*, Hier. cum converteret *Dominus captivitatem Sion*, et nos liberaret ex carcere Babylonico, *facti sumus sicut consolati*, hoc est sicut illi, qui insperatam consolationem post magnam tribulationem accipiunt. Maxime vero consolationem experiuntur illi, qui excussa servitute diabolica, ad Deum se convertunt.

3. *Tunc* multi ex gentibus *dicent: Magnificavit Dominus facere cum eis*, h. e. magna fecit Dominus pro salute Israelitarum, et populi sui.

4. *Magnificavit Dominus facere nobiscum.* Gentium vera repetunt læti Israelitæ, quasi dicerent: Omnino ita est, uti vos, o gentes, dicitis magnifice nobiscum egit Dominus, magno sumus perfusi gaudio.

5. *Converte*, i. e. inverte, solve *captivitatem nostram*, et fac, o Domine, omnes captivos celeriter et cum gaudio recurrere in sinum patriæ suæ, sicut solet currere in sinum maris *torrens* flante *austro*, calido vento, qui glaciem et nives solvit, fecitque aquarum abundantia cursum præcipitem, et terram irrigat. S. August. Flante Spiritu sancto solvuntur peccata cordis, gelu remittit, fluuntque lacrymæ. Ora proinde sæpius: *Veni, auster, perfla hortum meum.* Cant. 4. 16.

6. *Qui seminant in lacrymis*, etc. Similitudine hac

explicatur mœror euntium in captivitatem, et gaudium redeuntium ex illa. S. August. Qui bona opera in hac vita cum mœrore seminant, cum exultatione fructum illorum colligent in altera.

NISI DOMINUS, ETC. PS. 126.

*Argumentum Psalmi.*

Frustraneum absque Dei ope omnem esse laborem, David filio suo Salomoni erecturo templum Domini et Zorobabeli idem cum civitate post captivitatem Babylonicam restauraturo, insuper universis Ecclesiæ Ministris vivum Dei templum, h. e. Ecclesiam constructuris, ac demum privato cuilibet per bona opera domum sibi in cœlo ædificanti, inculcat.

2. *Vanum est vobis*, hoc est, Deo non juvante, frustra summo mane surgetis ad ædificandam domum Dei, sive materialem, sive spiritualem. *Surgite*, id est, esto surgatis *postquam sederitis*, id est, per noctem non nihil quieveritis, vel paululum in sede dormieritis, uti vos homines industriæ et labori vestro confidentes facere soletis, *qui* præ aliis *manducatis panem doloris*. Proinde plus gratiæ divinæ et orationi, quam propriæ operationi fidendum est.

2. *Cum dederit dilectis suis somnum*, hoc est, etsi indulgeat Deus probis, quos diligit, nocturnam quietem. *Ecce hæreditas*, hoc est, impetrant illi nihilominus optatissimam hæreditatem in terris, consistentem in filiis, qui sunt *fructus ventris*, magna sane justitiæ *merces*. Et cum pacem et quietem Dominus populo suo dederit, mittens ad illum verum Salomonem, h. e. Christum, qui Ecclesiam fundabit et propagabit, ipsos etiam reges et imperatores illi subjiciendo, *ecce hæreditas Domini, filii etc.*, id est, tunc apparebit, quod hæreditas Domini erunt plurimi filii, tamquam *merces* et *fructus ventris*, id est, Christi Domini, qui multo magis quam Paulus, *ad Galat. 4. 19.* filios suos parturit, fructumque salutis in omnibus parit. In altiori sensu prædicitur felicitas cœlestis Jerusalem, quæ *hæreditas* post somnum mortis temporaneæ datur omnibus electis tamquam *merces* quam morte sua Christus promeruit.

4. *Sicut sagittæ*, hoc est, filii isti, dati a Deo probis parentibus, velut hæreditas et merces bonorum operum, sunt in manibus, seu potestate parentum, *sicut sagittæ in manu potentis*, seu

robusti, qui per illas redditur formidabilis suis hostibus. Et recte dicuntur *filii* illi *excussorum*, hoc est, agitatorum et probatorum : nam multæ tribulationes justorum. *Ps. 7. 20.* Simul hic indicatur potentia martyrum et apostolicorum virorum (Christi *hæreditas et merces*) qui instar tonitru terrefaciunt et convertunt infideles et peccatores, omniaque tormentorum genera incredibili fortitudine tolerando superant, vere *filii excussorum*, seu a mundo ejectorum, quibus dignus non erat mundus. *Hebr.* 11. Imo facti purgamenta hujus mundi. 1. *Cor. 4.*

5. *Beatus vir* ille est, *qui implevit desiderium suum ex ipsis* hoc est, talibus filiis : sunt enim præsidio parenti suo, sicut sagittæ viro robusto. *Non confundetur* talis parens, *cum* litigabit cum adversariis suis *in porta*, loco olim judicii ordinario : nam a filiis suis ubique strenue defendetur. Et Christi felicitas per acclamationem hic prædicatur. *Beatus vir*, ille, sc. Christus, qui satiavit desiderium suum *ex*, seu in *ipsis* suis, obtinendo desiderii sui finem, qui erat salus et gloria filiorum suorum. Ideo *non confundetur* Christus, *cum loquetur inimicis suis*, sc. dæmonibus, et impiis *in porta*, loco extremi judicii. *Et stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt.* Sap. 5.

BEATI OMNES, ETC. PS. 127.

*Argumentum Psalmi.*

Explicatur felicitas Deum affectu filiali timentium.

*Quia manducabis*, etc. Prima felicitas timentis Deum est labores manuum manducare. Nota hic, non consistere felicitatem in copia divitiarum, sed in modicis bonis, quæ proprio labore acquiruntur : nam melius est medicum justo super divitias peccatorum multas. Potissimum vero labores bonorum operum manducabis in altera vita.

3. *Uxor tua sicut vitis abundans, etc.* En alia felicitas timentis Deum, si juxta vocationem tuam cum timore Dei, prout Angelus præcepit, *Tobiæ 1.* uxorem duxeris, illa erit in penetralibus *domus tuæ*, sicut fructifera vitis, perque talem obtinebis optatum matrimonii finem, scilicet prolem. Et spiritualibus Patribus, qui Deum timent, Ecclesia, cui desponsati sunt, *erit sicut vitis abundans, etc.*

*Filii tui* (felicitas tertia hæc est) erunt similes ele-

gantissimis arbusculis olivarum, quæ semper virent, et suavissimum fructum proferunt. Et Pater spiritualis, timens Deum, de suis filiis gaudebit, ut de iis dicere possit cum Apostolo ad Philip. 4. *Gaudium meum et corona mea, etc.*

6. *Benedicat tibi Dominus ex Sion,* etc. Felicitatem hanc quartam ex bono publico totius civitatis participat is qui timet Dominum. Altiori sensu videtur vates bene apprecari timenti Deum, hoc modo: *Ecce,* præter omnia bona, quæ evenient timenti Deum, *sic benedicetur,* h. e. sic illi dicetur: *Benedicat tibi Dominus ex Sion,* q. d. non tantum habeas in rebus temporalibus benedictionem, sed etiam, *benedicat tibi Dominus ex* monte sancto, cœlesti habitaculo suo, tibique præstet, *ut videas bona Jerusalem,* sc. cœlestis, *omnibus diebus vitæ tuæ*, quæ æterna erit.

## AD VESPERAS.

Dixit dominus, etc. ps. 109. *Vide pag. 649.*

Laudate pueri, etc. ps. 112. *Vide pag. 651.*

Lætatus sum, etc, ps. 121. *Vide pag. 680.*

Nisi dominus, etc. ps. 126. *Vide pag. 683.*

Lauda, etc. ps. 147.

*Argumentum Psalmi.*

Invitatur urbs Jerusalem ob singularia a Deo accepta beneficia. ad Dei laudes decantandas. Videtur David juxta mentem S. Aug. toto hoc psalmo de cœlesti Jerusalem loqui.

1. *Lauda Jerusalem*: continens pro contento, q. d. laudate vos, o incolæ urbis Jerosolymitanæ, *Dominum. Lauda Deum tuum,* et tu, o mons *Sion,* pars pro tota ejusdem urbis, in quo templum Domini ædificatum erat: maxime vero ad has laudes invitatur cœlestis urbs Jerusalem, utpote nulla cura rerum temporalium impedita.

2. *Quoniam confortavit*, fortissimas fecit, *seras portarum tuarum,* ita ut secura sint omnia tuorum civium bona, quibus abunde largiendis Deus *benedixit filiis tuis in te,* sc. habitantibus. Perfectius conveniunt illa cœlesti Jerusalem, ubi securitas æterna, et benedictio est fruitio summi boni.

3. *Qui posuit fines tuos pacem,* i. e. dedit pacem in omnibus finibus tuis, bellis undique sublatis: ita ut recte Jerusalem dicatur *visio pacis.* Sed vide, quam proprie hæc cœlesti Jerusalem conveniant: nam ibi perfecte omnes *satiat* Deus *adipe fru-*

*menti*, quia animæ cibus est veritas : Et quisque ibidem dulcedinem Verbi æterni sine cortice sacramentorum vel scripturarum, et ipsos fontes veræ sapientiæ gustat.

4. *Qui emittit* imperium in orbem terrarum : *velociter currit,* operando et exequendo omnia, *sermo ejus*.

5. *Qui dat nivem, etc.* (enarrat nunc David particularis divinæ providentiæ, potentiæ et sapientiæ effectus, ob quos potissimum superna Jerusalem, nullis temporum mutationibus obnoxia, Deum laudare potest). *Qui dat*, inquit, *nivem sicut lanam*, quia nix lanæ similitudinem refert.

6. *Mittit crystallum suam*, i. e. grandinem, quæ interdum tantæ magnitudinis cadit, ut non sit minor buccella seu bolo. Vox græca krystallos etiam glaciem significat, in quam Deus interdum aquas in minima quantitate passim repertas constringit, ut quasi per buccellas ubique in agris et arboribus divisa appareat. *Ante faciem* (hebraismus est, et idem quod *coram*) *frigoris ejus quis sustinebit ?* h. e. quis vim frigoris ita a Deo subito missi feret? Frigus hoc tam in grandine, quam glacie notatur.

7. *Emittet verbum suum, et liquefaciet ea*, q. d. sicut verbo et mandato suo mittit nivem, glaciem, etc., similiter verbo suo dissolvit illa, juxta quod *flabit spiritus*, h. e. ventus ejus australis, qui est calidus, *et fluens aquæ*, nive et glacie resolutis.

8. *Qui annuntiat verbum suum Jacob*. Ostenditur hic differentia providentiæ Dei erga populum suum, et alias nationes ; has enim docet et regit per effecta naturalia, qualia jam enarrata sunt, ut ex creatis rebus agnoscant Creatorem : sed populum suum, qui ex semine Jacobi seu Israelis descendit, docet per verbum suum illique *justitias et judicia sua*, h. e. legem manifeste *annuntiat*.

9. *Non fecit taliter omni*, h. e. ulli *nationi*, *quibus judicia sua* h. e. legem *non* ita sicuti tibi, o popule Dei, per Moysen *manifestavit*. Propterea lauda præ cæteris *Deum tuum*. Potissimum vero tu, o spiritualis Jerusalem, o Ecclesia, cui lex amoris per incarnatum Dei *Verbum* data est.

## AD COMPLETORIUM.

### SÆPE EXPUGNAVERUNT ME, ETC. PS. 128.

*Argumentum Psalmi.*

Deplorantur vitæ hujus

ærumnæ, inter quas tamen Deus non permittit impios, a quibus justi inique oppugnantur, prævalere.

1. *Sæpe expugnaverunt me, etc.* Illis verbis seipsum populus Dei consolatur, quod sæpius a juventute impugnatus, Deo adjuvante, semper fuerit liberatus. Repetat hoc Dei beneficium, iterumque *dicat nunc Israel.*

2. *Sæpe expugnaverunt,* oppugnaverunt *me* hostes a *juventute mea,* hoc est, a tempore quo populus Dei esse cœpi; *etenim non potuerunt* quidquam contra me. Id vero Christiani in suis persecutionibus potius dicant, qui Deo propter merita Christi longe sunt chariores, quam unquam fuerint Judæi.

3. *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores*, iniqui mei hostes, qui ita me tractarunt, ut dorso meo quasi pro incude usi fuerint, in eoque velut fabri ferrarii artem fabrilem exercuerint: et hos iniquos modos me tractandi et persequendi in longum tempus pertraxerunt.

4. *Dominus justus concidit* pro concidet *cervices peccatorum*, q. d. bono sis animo, o popule Dei, peccatores quidem nunc vestras cervices premunt, sed paulo post Deus cervices illorum non tantum premet, sed et in frusta concidet, uti videre est in Pharaone, Nabuchodonosore, Balthassare, Antiocho, Nerone, Domitiano, Diocletiano, etc. *Confundantur et* in fugam *convertantur omnes, qui oderunt* filios *Sion* Deo charos.

5. *Fiant* iidem iniqui persecutores *sicut fœnum tectorum*, quod non in campis crescit, sed in tectis domorum nascitur, *exaruitque* prius quam homo accedat, ut illud evellat.

6. *De quo* proinde *non implevit manum etc.*, non enim quisquam tanti facit tam vile fœnum.

7. *Et non dixerunt,* seu non dicent prætereuntes ad conspectum vilissimi istius fœni (uti solebant viatores olim messoribus precari): *Benedictio Domini super vos* et super fruges, quas metitis. *Benediximus*, pro benedicimus *vobis in nomine Domini:* sed potius abjectissimum illud fœnum etiam in flore suo pedibus conculcabunt. Et in novissimo die impii, qui per fœnum hoc adumbrantur, censebuntur indigni, quos messores Domini, Angeli, congregent in ejus horreis. Præterea a Christo Judice loco benedictionis audient: *Ite, maledicti, in ignem æternum.*

DE PROFUNDIS, ETC. PS. 129.

*Argumentum Psalmi.*

Pio hoc psalmo peccatorum, quæ causa sunt omnis calamitatis nostræ, venia petitur.

1. *De profundis*, i. e. de infimis et calamitosis locis *clamavi*, h. e. corde ferventer oravi: *Domine, etc.*

2. *Fiant aures tuæ intendentes*: frustra enim ad alium quis clamat si ille nolit attendere. Postulat David hoc et præcedente versu audientiam. Sequitur petitio:

3. *Si iniquitates observaveris*, rigide examinando illas, *quis sustinebit*, seu feret justitiæ tuæ rigorem? Proinde ad misericordiam confugiendum.

4. *Quia apud te propitiatio est.* Duo, quæ vere pœnitenti sunt necessaria, David re ipsa hic exercet: 1. Agnoscit tribus primis vers. suam miseriam. 2. Confidit divinæ misericordiæ, quam Deus sibi ipse velut legem imposuit. *Et propter* hanc *legem tuam sustinui*, expectavi *te* et clementiam tuam, *Domine.*

5. *Sustinuit*, expectavit confidenter, *anima mea*, promissam pœnitentibus gratiam *in verbo* vel juxta verbum, seu promissionem *ejus* per Moysen, aliosque Patriarchas et Prophetas factam.

6. *A custodia*, a vigilia *matutina usque ad noctem*, h. e. tota die et semper, *speret Israel*, h. e. Israelitæ *in Domino*: prout ego David facio. Majorem idem faciendi causam habent Christiani quorum amore Christus Dei filius sanguinem profudit, adeoque illis copiosissima *apud eum* est *redemptio.* De illis enim dicitur 1. *Cor.* 6. Empti estis pretio magno. Et. 1. *Petr. 1.*: Non corruptibilibus auro vel argento redempti estis, sed pretioso Sanguine quasi agni immaculati et incontaminati Christi.

8. *Et ipse* Deus per Christum *redimet Israel*, omnesque credentes, juxta illud *Matth. 1. Ipse salvum faciet populum suum a peccatis eorum*, simulque a pœnis, ut perfecta sit redemptio.

DOMINE, NON EST, ETC. PS. 130.

*Argumentum Psalmi.*

Purgat se David ab impacta calumnia superbiæ, suum humilitatis studium modeste insinuando, atque omnes ad idem invitando.

1. *Domine non est exaltatum cor meum* q. d. tam ab interna superbia, quæ in corde latet, immunis sum,

quam ab externa, quæ se per oculos elatos prodit.

2. *Neque ambulavi in magnis* , res magnas, quæ vires meas superant, mente volvendo, aut verbis jactitando, prout facere consueverunt superbi : *neque in mirabilibus*, h. e. arcana Dei consilia *quæ super me* sunt, scrutando aut examinando.

3. *Si non humiliter sentiebam*, formula hac, per voculam si inchoata, Judæi jurare solebant, sermone non integre prolato, q. d. si non fuerim in corde meo sincere humilis, subintelligebatur : vel infeliciter dispeream, vel has et illas mihi Deus pœnas infligat.

Nunc dimittis etc. *Vide pag. 654.*

---

## 6. INTERPRETATIO PSALMORUM GRADUALIUM.

Ad dominum, etc. ps. 119. *Vide pag. 679.*

Levavi oculos, etc. ps. 120. *Vide pag. 679.*

Lætatus sum, etc. ps. 121. *Vide pag. 680.*

Ad te levavi, etc. ps. 122. *Vide pag. 681.*

Nisi quia dominus, etc. ps. 123. *Vide pag. 681.*

Qui confidunt, etc. ps. 124. *Vide pag. 681.*

In convertendo, etc. ps. 125. *Vide pag. 682.*

Nisi dominus, etc. ps. 126. *Vide pag. 683.*

Beati omnes, etc. ps. 127. *Vide pag. 684.*

Sæpe expugnaverunt, etc. ps. 128. *Vide pag. 686.*

De profundis, etc. ps. 129. *Vide pag. 688.*

Domine non est, etc. ps. 130. *Vide pag. 688.*

Memento domine, david, etc. ps. 131.

*Argumentum Psalmi.*

Ubi David a Nathan Propheta intellexit, Deum velle, non ut ipse, sed Salomon filius templum ædificaret, Psalmum hunc scripsit, quo desiderium et vota sua, promissaque a Deo sibi facta commemorat. Filio illum tradidit, fabrica perfecta, coram populo decantandum : quia vero præterea populus, zeli Davidis et Salomonis memor eumdem in reditu ex captivitate Babylonica cantaturus erat, inter cantica Graduum seu Ascensionum refertur. 2 *Paral. 6.*

1. *Memento, Domine, David* patris mei: sic loquitur Salomon, pro cujus persona David (ut jam dictum est) hunc psalmum scripsit: *et omnis mansuetudinis ejus*, quam ostendit in Saule, Semei, Absalone.

2. *Sicut*, S. Hier. qui, sc. David, *juravit Domino.*

3. *Si introiero in tabernaculum:* hæc juramenti est formula usitata Hebræis: Si hoc vel illud fecero; supple, dispeream, vel Deus me puniat.

5. *Donec inveniam locum Domino,* in quo *tabernaculum Deo Jacob,* per filium meum impensis a me conquisitis, exstruatur.

6. *Ecce audivimus*, etc. Rationem dat ardentissimi sui desiderii ad ædificandum templum, videl. quod arca non haberet stabilem locum. *Ecce*, ait, intelleximus, *eam* scilicet arcam esse in *Ephrata,* nimirum in Silo, civitate regionis Ephraim (ibi enim aliquamdiu detenta est) : *invenimus eam* alio tempore *in campis silvæ:* postquam enim Philisthæi captam arcam dimiserant, ab Israelitis inventa est in campo Josue Bethsamitæ, cui vicina silva fuit; unde deducta est in Cariathiarim, in domum Obededom.

7. *Introibimus*, etc. Hic David recenset nomine filii sui et universi populi, quid futurum sit, si locus conveniens et stabilis pro arca constitutus fuerit. *Introibimus in* ædificatum *tabernaculum* seu templum *ejus, adorabimus in loco*, i. e. convertemus nos ad locum, ubi arca est, quia ibi *steterunt pedes ejus:* nam arca scabellum erat pedum Dei.

8. *Surge, Domine,* Salomon cum populo ad Deum sermonem convertit, q. d. jam, Domine, locus tibi et arcæ tuæ paratus est: *Surge,* et posside illum, etc.

9. *Sacerdotes tui,* qui hanc arcam portant et tractant, *induantur justitiam*, i. e. sint justi, *et sancti tui*, sc. iidem Sacerdotes, qui tibi sanctificati sunt, *exultent* te laudando.

10. *Propter David, etc.* Salomon hic pro se orat, ut numquam regno et honore privetur: *non avertas faciem Christi*, seu uncti *tui*, q. d. non ita me, qui in regem unctus sum, confundas, ut facies mea aversa, neque te, neque ullum hominem aspicere audeat.

11. *Juravit Dominus* Davidi, etc. Salomon hic refert promissa a Deo, patri suo, ejusque posteris; videl. aliquem ex filiis successurum in

*sedem* regiam, hac tamen lege:

12. *Si custodierint filii tui*, o David, *testamentum* seu pactum *meum, et testimonia* seu præcepta *mea, quæ docebo eos:* tunc enim.

13. *Filii eorum* sc. filiorum, *sedebunt super sedem* regiam, o David. Audi rationem quæ sequitur.

14. *Quoniam elegit Dominus Sion*, seu Jerusalem.

15. *Hæc*, sc. Sion, *requies mea* est (verba Dei sunt), et tu, o Christiane, vicissim elige tibi cœlestem illam urbem Jerusalem, et dic: *Hæc requies mea.*

16. *Viduam ejus*, sc. urbis Sion, benedictionibus replebo. Omnibus incolis urbis Hierosolymæ Deus promittit rerum abundantiam.

17. *Sacerdotes* urbis et templi *induam salutari*, hoc est, justitia et sanctitate, unde ipsis et aliis salus proveniet. *Et sancti ejus* valde *exultabunt.* Quod ℣. 6. Salomon optat, hic Deus præstare promittit.

18. *Illuc,* scilicet in Sion, *producam cornu,* id est robur et potestatem regiam Davidi procurabo, et florere faciam regnum ejus. *Illic* præterea (quod maximum est) *paravi lucernam*, seu lumen, *Christo meo*, i. e. Davidi uncto. Lucerna hæc Messias est, semini Davidis promissus. *Lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Joan. 1. Et hujus Messiæ regnum in Sion initium sumet, indeque per totum orbem promulgabitur.

19. *Inimicos ejus*, Davidis, ejusque domus, maxime vero Messiæ, confundam: *super ipsum autem* Messiam et Davidem *sanctificatio mea efflorebit,* i. e. flores feret, fructusque porro disperget in universum terrarum orbem.

ECCE QUAM, ETC. PS. 132.

*Argumentum Psalmi.*

Concordia fraterna prædicatur.

1. *Ecce quam bonum,* sc. jucundum et utile est, *fratres in unum,* hoc est unanimes inter se habitare. Est enim illa concordia.

2. *Sicut unguentum* pretiosissimum, Exod. 30. quod in caput Aaronis summi Sacerdotis pro more effusum (Levit. 8.) fragrantia sua ipsum Aaronem, omnesque præsentes recreat.

3. *Quod*, sc. unguentum *descendit in barbam,* indeque *in vestimenti oram,* non imam, sed summam, quæ circa collum est, *et sicut ros* montis *Hermon* (en alteram similitudinem) qui ros etiam *descendit in mon-*

*tem Sion*, fertiles reddit: sic recreat (quod jucundum est) fraterna charitas; ubberrimosque fructus (quod utile est) parit.

4. *Quoniam illic*, sc. ubi fraterna charitas est, *mandavit Dominus benedictionem*, h. e. bonorum omnium copiam jussit esse, vitamque longam. Quam autem Deus fraternam charitatem amat, tam discordiam eorumdem execratur. Audi S. Aug. ad vers. 1. *Ecce quam bonum*, etc. *Illa*, ait, *verba Psalterii, iste dulcis sonus monasteria peperit. Ad hunc sonum, qui divisi erant, congregati sunt*, etc.

ECCE NUNC, ETC. PS. 133.

*Argumentum Psalmi.*

Hortatur sacerdotes et levitas, reduces ex Babylone in patriam, ad laudes Deo una cum populo decantandas.

2. *Qui statis in domo Domini*, sc. sacerdotes, servitio Dei consecrati. Et vos qui statis *in atriis*, videlicet interioribus, ubi levitarum locus; nam in exterioribus erat locus populi.

3. *In noctibus* quoque (non tantum per diem) cantantes et orantes, *extollite*, elevate *manus vestras* versus *sancta* id est, sanctum sanctorum, propitiatorium et arcam. Christiani vivam habent arcam in sacra Eucharistia: huc et in cœlum extendant hi sæpius manus suas.

4. *Benedicat te*, qui Dominum benedicis, vicissim *Dominus ex* monte *Sion*, ubi ipsius templum et arca est: te vero, o christiane, ex SS. Altaris sui Sacramento, et ex cœlo, etc.

---

## 7. INTERPRETATIO

### SEPTEM PSALMORUM PŒNITENTIALIUM.

*Refert episcopus Calaminensis* Possidonius *(qui ab aliis* Possidius *appellatur), magnum illum Ecclesiæ Catholicæ Doctorem* S. Augustinum *(quo per 40 fere annos familiarissime usus est, et cui morienti adstitit) inter pia ejus colloquia dicere consuevisse:* Post perceptum baptismum, etiam laudatos christianos et sacerdo-

tes absque digna et competente pœnitentia exire de corpore non debere. Proinde ultima, qua defunctus est ægritudine, sibi jussit *(S. Aug.)* Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi de pœnitentia, scribi: ipsosque quaterniones jacens in lecto contra parietem positos, diebus suæ infirmitatis intuebatur et legebat, et jugiter ac ubertim flebat, etc.

*Atque ita mortuus est* S. Aug. *anno 433, ætatis suæ 76.*

Fac et tu, dum sanus es, pie lector, ita horum Psalmorum usum tibi familiarem, ut moriens eumdem, quem S. Augustinus, fructum inde percipias.

DOMINE NE IN FURORE, ETC.

PS. 6.

*Argumentum Psalmi.*

Est hic Psalmus oratio Davidis pœnitentis, et ad reconciliationem aspirantis.

2. *Conturbata sunt ossa mea,* i. e. debilitatum est robur corporis et animæ meæ.

3. *Sed tu, Domine, usquequo* perges me cruciare, et non misereberis, non sanabis me?

5. *Non est in morte,* sc. æterna: nam animæ justorum in manu Dei sunt, et non tanget illos tormentum mortis. *Cap. 3. 1. Qui memor sit tui,* sc. in bonum, ut te adoret, et colat. Similiter anima in peccatis mortua non est memor Dei.

6. *Laboravi,* h. e. afflixi et fatigavi me gemendo, *lavabo,* hebr. *natare faciam* in lacrymis *per singulas noctes* totius vitæ meæ, *lectum meum,* in quo adulterium patravi. Intueantur hoc pœnitentia speculum peccatores, qui ad plurima et gravissima scelera sua eluenda, ne unicam quidem fundunt lacrymulam.

7. *Turbatus,* hebr. erosus animio fletu *est oculus meus* propter furorem tuum, quem concepisti contra peccatum meum, in quo tam longo tempore mihi videor inhæsisse, ut dicam merito: *Inveteravi,* consenui et contabui *inter inimicos meos,* qui me tam turpiter lapsum ludibrio habent. Etiam illos omnes David hic inimicos suos appellat, qui illum ad peccatum induxerunt. Proinde ait, *discedant a me, etc. convertantur* in fugam, vel, a peccatis ad pœnitentiam, *et erubescant,* confundantur *valde velociter,* h. e. quam primum intellexerint, quod Deus gemitus meos exaudierit, et in gratiam me receperit.

BEATI QUORUM, ETC. PS. 31.

*Argumentum Psalmi.*

David prædicat hominem a peccatis liberum, et dolet se peccata suo malo celasse, omnesque ad meliorem vitam hortatur.

1. *Beati quorum tecta* (S. August. abolita) *sunt peccata.* Audi eumdem S. August. enarrat. 2. hujus Psalmi: *Sub regimine medici sanatur vulnus, sub regimine vulnerati celatur vulnus: Deus ut medicus regit et sanat peccatum.* Non ergo beati censendi sunt, quorum tecta sunt peccata, et manent (ut volunt hæretici), sed quorum peccata ita tecta sunt, ut sanentur et tollantur. Et quomodo potest quidquam Deo tegi, *cujus oculis omnia nuda et aperta sunt?* Hebr. 4.

2. *Beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum,* h. e. qui vel nihil commisit, quod Deus illi ad peccatum imputare possit, vel cui Deus condonavit peccatum, ut amplius non sit, quod imputetur. Male et hic fingunt hæretici, peccatum manere semper in anima, sed non reputari pro peccato. Quomodo enim talis beatus esset, cum Deus peccatum et eum, in quo illud est, semper oderit? Impium præterea esset dicere, Deum rem aliter æstimare, et imputare, quam in seipsa sit.

3. *Quoniam tacui.* Considerata beatitudine justificatorum, deflet miseriam suam, q. d. illi quidem beati; ego vero miser sum, qui non solum innocentiam non servavi, sed per annum circiter adulterium meum tacui, et dolose conatus sum celare, non parcendo Uriæ innocentis vitæ: Ideo *inveteraverunt ossa mea,* i. e. robur meum elanguit: *dum clamarem,* Hebr. rugirem *tota die* præ magnitudine doloris, orti ex peccati mei sic occultati agnitione.

4. *Die ac nocte gravata est super me manus tua,* me pro merito puniens et castigans. Multæ enim pœnæ Davidi propter commissum adulterium et homicidium inflictæ sunt: Nam 1. Filius ex adulterio natus statim obiit. 2. Filia ejus Thamar ab Ammone fratre oppressa est. 3. Ammonem frater Absalon occidit. 4. Absalon, post violatas palam patris conjuges, in bello contra patrem suscepto, misere interfectus est. Sed *conversus sum* ad agnitionem et emendationem *in ærumna* seu tristitia *mea, dum configitur,* sc. in me, *spina* vel mœroris, vel conscientiæ; prout commisso

peccato fieri consuevit cuilibet peccatori.

5. *Dilectum meum cognitum tibi feci,* illud tibi Deo meo, et hominibus confitendo, ad quod me agnitio peccati, et ejus pœnæ induxerunt. Olim etiam Sacerdoti, qui vices Dei gerebat, debebat fieri peccati confessio, et oblatio hostiæ pro peccato, ut remissio hujus impetraretur. *Vid.* Lev. 5. 5. et Num. 3. 7.

6. *Dixi,* seu mecum constitui, *confitebor adversum me injustitiam meam Domino,* meique accusator coram te Judice meo ipse ero. *Et tu remisisti* (prout omni peccatori sincere confitenti et pœnitenti facis, et mihi per Nathan Prophetam aperte indicasti) *impietatem peccati mei.*

7. *Pro hac* re, vel gratia mihi præstita, *orabit,* seu clamabit cum fiducia *ad te omnis sanctus,* id est, studiosus sanctitatis meo exemplo animatus *in tempore opportuno,* hoc est, priusquam finiatur vita. Proinde *quærite Dominum, dum inveniri potest.* Isa. 55. 6 Nam

8. *In diluvio aquarum multarum,* hoc est ingruentibus circa finem vitæ malorum fluctibus, *ad eum,* sc. sanctum, qui statim post lapsum studet Deo reconciliari, ista mala *non approximabunt,* sc. ut noceant.

9. *Tu es refugium meum* ad quod me *a tribulatione* recipio, *quæ circumdedit me.* Videtur David, cum hunc Psalmum scriberet, ab exercitu filii sui Absalonis fuisse circumdatus.

10. *Intellectum tibi dabo.* Verba Dei sunt, quibus Davidi tam pie oranti respondet, opemque promittit. *Firmabo super te oculos* providentiæ meæ, omniaque mala a te avertam.

11. *Nolite fieri sicut equus.* Nunc demum David omnes homines hortatur, ne adeo se a cupiditatibus excœcari sinant, ut sicut equi aut muli hinniant ad uxores proximi, pauperesque morsu et calcibus impetant; prout ipse fecerat, Bethsabeam violando, et Uriam occidendo.

12. *In camo* seu capistro, id est, fune, quo constringuntur equorum ora, et *fræno maxillas eorum,* qui ut bruta vivunt, *constringe,* o Deus: q. d. per magnas calamitates coerce illos, *qui* ultro *non approximant ad te.*

13. *Multa flagella peccatoris;* quod hodiedum omnes impii cum Davide experiuntur.

14. *Lætamini in Domino,*

etc. Sicut David in principio dixit, quod beati sint *justi*, ita eosdem pro conclusione hortatur ad sinceram lætitiam. *Et gloriamini*. Vox *gloriari* hic, et quibusdam aliis Scripturæ locis. non significat laudibus se efferre, sed lætari, jubilare, uti ad *Rom*. 5. *Gloriamur in tribulationibus.*

DOMINE NE IN FURORE, ETC.
PS. 37.

*Argumentum Psalmi.*

Peccatorum suorum pœnas, animi et corporis morbos, hostium vexationes, etc., David hic describit et deprecatur.

1. *Domine ne in furore.* S. Aug. ait: Arguuntur in furore, qui damnantur ad gehennam: in ira corripiuntur, qui igne purgatorii cruciantur. Petit David hic non vero in gehenna aut purgatorio puniri.

2. *Sagittæ tuæ*, id est morbi, ærumnæ, *infixæ sunt mihi, etc.* Ab hoc ℣. usque ad 16 explicat David suas miserias ex peccatis ortas: *confirmasti* seu roborasti *super me manum tuam*, ut alias istas sagittas tuas mihi infigeres.

3. *Non est sanitas in carne mea* (ecce effectum sagittarum Dei) *a facie iræ tuæ*, id est, propter iram tuam. Hebræi, loco *propter*, dicunt, ut plurimum, *a facie*.

4. *Quoniam iniquitates, etc.* q. d. submergor multitudine peccatorum, eorumque ingens *onus* me valde gravat.

5. *Putruerunt cicatrices.* Hic David dilationem pœnitentiæ deflet, quæ unius fere anni erat: a Nathan enim correptus est, nato jam puero ex adulterio. Interea noxiæ quædam oblivionis cicatrices vulnera peccatorum obduxerunt, quæ *corruptæ sunt a facie insipientiæ meæ,* i. e. propter insipientiam meam.

6. *Curvatus sum* (fœde me inclinando ad voluptates bestiales,) *usque in finem*, h. e. adeo ut magis me inclinare, et effundere in libidinem non possem.

7. *Lumbi mei* (in quibus est sedes libidinis) *impleti sunt illusionibus,* seu motibus impuris, quibus luxuriosi etiam post conversionem et pœnitentiam infestantur. *Et non est sanitas in carne mea;* quia varii morbi ex hoc vitio nascuntur.

8. *Rugiebam* tamquam leo præ *gemitu* et *cordis* dolore.

9. *Domine*, tibi patet *omne desiderium meum.*

10. *Cor meum conturba-*

*tum est* consideratione iræ tuæ et meorum peccatorum. *Dereliquit me* robur animi et corporis. *Et lumen oculorum meorum* continuo fletu amisi. Solet quoque peccator lumine intelligentiæ privari. *Eccl. 11. 16.* Error et *tenebræ peccatoribus concreata sunt.*

11 *Amici mei* seu proximi cognati (vide hic quomodo præter bellum intestinum peccator etiam exterius patiatur) *adversum me,* seu e regione mea, non tamquam consolatores, sed molesti spectatores miseriæ meæ *steterunt.*

12. *Et qui juxta me* esse solebant scilicet milites, servi, consiliarii, *de longe steterunt:* abegit enim illos a me vulnerum meorum fœtor. *Et vim faciebant,* h. e. magnum conatum adhibebant, *qui quærebant animam meam* ad necem, qualis fuit Achitophel, Semei, etc.

13. *Et qui* (sc. Achitophel et Semei) cupiebant *mala mihi, locuti sunt* res falsas, *et dolos* contra me.

16. *Quoniam in te, Domine, speravi.* Hæc est 1. ratio quare se tamquam surdum in prædictis injuriis habuerit: quia Deo sui defensionem commisit.

17. *Quia dixi: Nequando supergaudeant, etc.* Hæc est 2. ratio: Dixi enim mihiipsi, ne aliquando me victo gaudeant super me hostes mei (quod facile fit, dum verbis certamus), præstat me habere patientiam, et sperare in ope Dei. *Et,* i. e. quia, *dum commoventur* nunc *pedes mei* ad lapsum, dum constitutus fui in periculo amittendi regni, *super me magna,* i. e. superba dicteria insultantis loquuntur, uti alias sæpe *locuti sunt* hostes mei.

18. *Quoniam ego* propter peccata mea non solum ad *flagella* verberum, sed etiam verborum et contumeliarum subeunda *paratus sum* (quæ est 3. silentii causa) *et dolor,* i. e. causa doloris mei, seu peccatum, *in conspectu,* in memoria mea est *semper.*

19. *Quoniam iniquitatem meam annuntiabo,* id est, palam confitebor (satis hac ratione demonstrat se ad flagella paratum) *et cogitabo pro peccato meo,* quibus scil. modis illud passim expiare, Deoque satisfacere.

20. *Inimici autem mei vivunt,* et exultant, dum ego modeste me gero, et ad contumelias sileo. *Et confirmati sunt* potentia et fortitudine *super me: et multiplicati,* aucto illorum nu-

mero, *qui me* injuste *oderunt.*

21. *Detrahebant mihi*, illi sc. *qui* tamquam ingrati *retribuunt mala pro bonis*, a me enim magna ante hac beneficia acceperunt, hancque malitiam exercuerunt, *quoniam sequebar* et amabam *bonitatem*, i. e. sincera et bona voluntate cum omnibus agebam.

22. *Ne derelinquas me*, auferendo gratiam tuam.

Spiritus sanctus plura sæpe iisdem verbis intendit. Narrat v. g. Davidis miseriam; et simul Christi passionem prædicat: prout hoc Psalmo fieri SS. Aug. Hier. Chrys. et alii docent. Atque ita primis 7. versibus Christus pro corpore suo mystico, seu Ecclesia, cujus ipse caput est, iram Patris deprecatur; peccata, quæ in se expianda suscepit, sua appellat fateturque illorum multitudinem et gravitatem ingentem esse. A ℣. 8. usque ad 22. exponit, quæ ipse passus sit pro expiandis peccatis; quomodo in passione sua clamarit, viribus et oculorum usu destitutus, ab amicis derelictus, et ab inimicis falso accusatus fuerit, etc.; ad acerbiora nihilominus flagella se offert. Rogat denique Patrem, ne se deserat.

## MISERERE MEI, ETC. PS. 50.

*Argumentum hujus Psalmi* satis indicatur per titulum, qui est: *Psalmis David, cum venit ad eum Nathan Propheta, quando intravit ad Bethsabee.* Commissi adulterii et homicidii venia hoc Psalmo petitur.

3. *Amplius lava me*, ut etiam a reliquis peccatorum, malisque illorum habitibus, et ab omni pœna temporali liberer.

4. *Contra* seu coram *me* peccati fœditas *est semper.*

5. *Tibi soli* tamquam judici meo, et soli conscio sceleris mei, *peccavi:* nemo enim alius me (cum rex sim) punire potest, nec per testes convincere commissi criminis, *ut justificeris, etc.* Hæc conjungenda sunt cum tribus primis versibus: quasi diceretur: Sis mihi propitius, o Deus, ut declareris palam justus et verax: non enim solum continuationem regni mei usque ad Messiæ adventum; verum etiam peccati remissionem mihi, uti omnibus aliis pœnitentibus, promisisti. Miserere ergo mei, ut *et vincas* evertendo judicia æmulorum meorum, qui jactant te ob scelera mea numquam mihi juxta promissa tua parciturum.

6. *Ecce enim in iniquitate* maculæ originalis *conceptus sum, et in peccatis,* pro peccato, scilicet originali (quod etsi unum sit, est tamen fons omnium aliorum) *concepit me mater mea:* cujus miseriæ humanæ consideratione spero misericordiam tuam propensiorem fore.

7. *Ecce enim veritatem* (quam ego peccator, culpam meam agnoscendo et confitendo, amplector) *dilexisti, incerta et occulta sapientiæ tuæ,* h. e. mysteria tua, v. g. Incarnationis, Passionis, Resurrectionis, etc. *manifestasti mihi,* tamquam amico speciali ob sinceritatem meam, qua summopere afficeris. Dicuntur autem illa mysteria *incerta,* quod nobis sint oculta et incognita.

8. *Asperges:* asperge *me hyssopo, etc.* Immunditia legalis olim tollebatur per aspersionem hyssopi sanguine tincti. *Levit. 14. Num. 19.* Postulat autem David ab ipsomet Deo aspergi et expiari, ut et interius a peccato mundetur: aspersio enim hyssopi, quæ olim per sacerdotem fiebat, non tollebat cordis immunditiam. Videtur autem David potissimum ad aspersionem Sanguinis Christi (cujus vis, uti et aqua baptismatis, perfectissime omne peccatum tollit) respicere.

9. *Auditui meo dabis gaudium.* Signum perfectæ justificationis est, dum *Spiritus* testimonium reddit spiritui nostro, quod simus filii Dei. Hoc David alias expertus, jam iterum petit, confidenter asserens: Facies me audire gaudium, seu vocem Spiritus sancti, quod peccata mea plene remissa sint. Et tunc *exultabunt ossa* confracta per spiritum timoris, qui disponit ad spiritum amoris, quo anima justificatur.

11. *Spiritum* seu affectum *rectum* (quia hic per cupiditates et peccata distortus est) *innova in visceribus,* i. e, in anima mea.

12. *Ne projicias me,* i. e. ne me plane deseras, uti Saulem de, quo *1. Reg. 16. Dixit Dominus ad Samuel: Usquequo tu luges Saul, cum ego projecerim eum?* Proinde *Spiritum sanctum* seu gratiam tuam, sine qua non possum in bono perseverare, *ne auferas a me.*

13. *Redde mihi lætitiam salutaris tui:* q. d. *lætitiam* illam, quam ego ex promissione salutis æternæ obtinendæ, et Salvatoris ex me nascituri, antehac habui, mihi redde; metuo enim, ne ob commissum adulte-

rium et homicidium, illa gratia exciderim. *Et spiritu principali*, h. e. munifico, forti, exemplari, qui principem decet, *confirma me*.

14. *Docebo iniquos vias tuas*, verbo et exemplo, si me in gratiam receperis: viæ autem Domini sunt misericordia et veritas, seu justitia. Videntes ergo *impii* tuam misericordiam in peccatis remittendis, et justitiam in temporalibus pœnis ob peccata infligendis (quas pœnas David expertus est morte filii ex adulterio nati, exturbatione ex solio et urbe regia, Ammonis et Absalonis interfectione, etc.) a via peccatorum retrahentur ad pœnitentiam.

15. *Libera me de sanguinibus*, seu multo sanguine Uriæ, quem cum suis servis jussi occidi, *Deus* auctor *salutis meæ: et exultabit*, hoc est exultando laudabit *lingua mea justitiam tuam*.

16. *Domine, labia mea aperies*, suppeditando mihi, ut confido, novam materiam laudandi te.

17. *Si voluisses sacrificium*, sc. pecorum a lege pro expiatione peccatorum præscriptum, illud haud dubie *dedissem:* sed *holocaustis* solis et sine cordis contritione oblatis *non delectaberis*. Et *impossibile est, sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*. Hebr. 10.

18. *Sacrificium Deo* gratum est *spiritus contribulatus*, Chald. anima contrita per pœnitentiam.

19. *Benigne fac Domine*. Orat rex etiam pro subditis suis, et urbe *Sion* seu Jerusalem, cujus muri non tantum imperfecti tunc erant, sed et templum deerat, quorum perfectionem metuebat per peccata sua impediri.

20. *Tunc*, cum urbs (me in gratiam recepto) fuerit perfecta, et templum exstructum, *acceptabis*, seu magno numero accipies *sacrificium justitiæ*, quod ex justo et pio animo præstabitur; similiter accipies *oblationes et holocausta*, hoc est, omnis generis bona opera, qualia exigit S. Paulus ad Rom. 12. *Obsecro vos, fratres, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, etc. Tunc imponent super altare tuum vitulos*, q. d. homines tunc passim offerent perfectissimæ justitiæ opera, nam sacrificium vituli erat olim præstantissimum. Theodoretus et Euthymius intelligunt posteriores hos versus de ædificatione mystica Ecclesiæ christianæ in terris, S. August. de ædificatione cœlestis Jerusalem,

ubi sacrificia undequaque perfecta ab omnibus offerentur.

DOM. EXAUDI, ETC. PS. 101.

*Argumentum hujus Psalmi* consistit in ejusdem titulo, qui est: *Oratio pauperis* (vel Christi in passione, vel cujuslibet afflicti) *cum anxius fuerit, et in conspectu Domini effuderit precem suam.* A ℣. 13. usque ad finem prædicitur instauratio urbis et templi post captivitatem Babylonis, et sub hoc typo, mundi renovatio per Christum.

4. *Quia defecerunt, etc.* Ab hoc ℣. usque ad ℣. 13. David sex rationibus celerem suarum precum exauditionem a Deo obtinere contendit. 1. Est, quod potior vitæ suæ pars *sicut fumus* evanuerit. 2. Quod *ossa sicut cremium*, h. e. lignum semiustum seu aridum, et ad comburendum aptum, *aruerunt.*

5. *Percussus sum ut fœnum* (en 3. ratio) *cor meum* putredine paupertatis et miseriæ mundanæ percussum *aruit:* ideo *oblitus sum comedere panem meum*. veritatis scil. cœlestis, qui proprie noster est panis, quia non est cum bestiis communis.

6. *A voce gemitus.* Pro 4. ratione adducit, quod clamoso gemitu se adeo exhauserit, ut ossa pelli adhæserint.

7. *Similis factus sum:* pro 5. ratione timorem et tristitiam singularem per comparationem sui cum tribus avibus hominum conspectum fugientibus proponit. 1. *Pelicano* solitario. 2. *Factus sum sicut nycticorax,* seu noctua *in domicilio*, sc. diruto et inculto.

8. 3. *Factus sum sicut passer*, fugiens consortium aliarum avium, trepidusque *in tecto* sedens.

9. *Tota die exprobrabant mihi* (David proposita occulta sua miseria, qua Deum ad sui exauditionem promovere voluit, in eumdem finem, quæ est 6. ratio, externas persecutiones memorat) *inimici*, qui antea mecum peccantes, ob communia studia videbantur amici, *qui et* tunc *laudabant me*, postea contra *me jurabant* conspirantes.

10. *Quia*, i. e. interea dum *cinerem* immixtum pani (nullam præ dolore faciens cibi distinctionem) *tamquam panem manducabam.*

11. *A facie iræ et indignationis tuæ*, i. e. propter iram, etc *quia elevans* me ad regnum et alia bona, *allisisti me* terræ, et in hanc miseriam præcipitasti.

12. *Dies mei sicut umbra,* in qua nihil solidi est, *declinaverunt* sine honore et gaudio; *et ego sicut fœnum* ex mœrore *arui* seu contabui.

13. *Tu autem, Domine, etc.* Altera hæc Psalmi pars est, in qua David, explicata rerum humanarum inconstantia et miseria sua, ad Dei stabilitatem et æternitatem confugit, in eaque omnem spem restituendæ secum in pristinum florem urbis Jerosolymæ ponit. *Et memoriale tuum,* memorabilia facta tua *in generationem, etc.* i. e. digna sunt æterna memoria.

14. *Tu exurgens* velut a somno *misereberis* Sionis, (cujus beneficii ego particeps ero) *quia tempus,* quo promisisti misericordiam Sioni, elapsis 70 annis, adesse video. De re futura (scilicet captivitate Babylonica) tamquam de præsente aut præterita David loquitur, more Prophetarum. Aliæ causæ, ob quas putat David esse tempus liberandi populi ex captivitate, sequuntur.

15. *Quoniam placuerunt servis* rudera *tuis* Israelitis Sionis, plus quam splendidissima palatia Babylonis. *Et terræ ejus,* seu pulveris ipsius, in quem redacta est Sion, *miserebuntur:* proindeque liberati, urbem sumptu in manibus suis instaurabunt. Unde fiet quod sequitur.

16. *Timebunt gentes nomen tuum, Domine,* ideo

17. *Quia ædificavit Dominus,* et non homo urbem *Sion, et videbitur in gloria* templi sui. Nota hos tres postremos versus etiam intelligi de nova Sion, i. e. Ecclesia Christi, cujus *servis* (Apostolis) *placuerunt lapides* vivi, i. e. animæ, ut ex illis novam Sionem super Christum tanquam fundamentum ædificaverint. Sicque *timebunt* et convertentur *gentes, etc.* quod fiet ideo, quia videbunt *Dominum,* et non alium ædificasse novam Sion.

18. *Respexit* Dominus *in orationem humilium,* i. e. humiliatorum Israelitarum et Christianorum.

19. *Scribantur* (ne memoria excidant) *hæc,* Dei beneficia, *in* (pro ad) *generatione altera,* Hebr. *generationi novissimæ,* qua tam Christiani quam Judæi comprehenduntur. *Et populus futurus,* ista intelligens, *laudabit Dominum:* quod faciet ideo

20. *Quia Dominus prospexit* misericorditer *de excelso sancto* seu Sanctuario *suo.*

21. *Ut audiret gemitus compeditorum,* seu compedibus obstrictorum ac miserorum, *ut solveret filios* illorum parentum, qui crudeliter interempti sunt.

22. *Ut annuntient,* liberati ex captivitate, *in Sion* (Ecclesia) *nomen Domini.*

23. *In conveniendo populos in unum,* S. Hieron. *Cum congregati fuerint populi et reges, ut serviant Domino* in uno spiritu, in una fide, charitate, etc. quod fiet maxime in Ecclesia Christi: tunc dicent *laudem* Domini *in Jerusalem,* in Ecclesia, etc.

24. *Respondit,* sive populus Judaicus a servitute Babylonica revocatus in patriam, sive a Gentilismo in Ecclesiam citatus, ut laudet Deum: hic, inquam, populus, vel unus e populo nomine omnium, *respondet ei,* sc. Deo suo, *in via virtutis suæ,* h. e. in cursu optimæ et robustissimæ ætatis suæ: *paucitatem dierum meorum nuntia mihi:* q. d. dic mihi, Domine, an tam diu sim victurus, ut ex hac captivitate liberer, et in Jerusalem (Ecclesiam) instaurandam revertar, quod unice opto et desidero. Proinde rogo

25. *Ne revoces me* ex hac vita *in dimidio dierum meorum,* hoc est, in flore ætatis meæ: sed longam mihi vitam indulge, ut videam finem captivitatis, et Jerosolymæ instaurationem. *In generationem et generationem anni tui,* q. d. Tu, Domine, æternum vivis: vitæ autem humanæ anni pauci et incerti sunt: tu proinde non tam cito hominem ex vita hac eripe; sed illam saltem ad justum terminum proroga; quod tibi æterno Deo facillimum est.

26. *Initio tu, Domine, etc.* Prolixius hoc et seqq. ℣. Dei æternitas et immobilitas prædicatur.

27. *Ipsi* cœli *peribunt,* i. e. esto pereant, veterascant, et mutentur, *tu tamen,* Domine, idem *permanes.*

28. *Sicut opertorium.* S. Hier. *Sicut pallium,* sc. post extremum diem judicii, *mutabis,* seu obvolves *eos,* ut amplius non circumgyrentur, uti in obsequium hominum factum est: sicque *mutabuntur* quoad statum, in quo nunc sunt, non secundum substantiam: quoad hanc enim manebunt incorrupti. Itaque *mutabuntur* cœli, sicut homo, aliam vestem seu habitum induens, mutatus dicitur.

29. *Filii servorum tuorum habitabunt* jucundi in patria sua, et urbe Jerusalem, ad quam illos ex captivitate

Babylonica reduces. Sed jucundius filii tui a Christo redempti habitabunt in Ecclesia. *Et semen eorum* (seu nepotes) *in sæculum*, i. e. diu in terris, æternum in cœlis *dirigetur*. S. Hier. ex Hebr. legit : *Ante faciem tuam perseverabit.* Quod potissimum intellige de Christianis. En fructum pœnitentiæ, priore hujus Psalmi parte descriptæ: per hanc enim ad æternam felicitatem evehitur, qui alias in æterna captivitate miser permansisset.

DE PROFUNDIS CLAMAVI, ETC. PS. 129. *Vide pag. 688.*

DOMINE EXAUDI, ETC. PS. 142.

*Argumentum Psalmi.*

David, cum a filio suo Absalone oppugnaretur, peccatorum suorum, quæ omnium malorum causa sunt, veniam petit. Idem faciat omnis peccator.

1. *In veritate tua,* i. e. juxta vera promissa tua, *exaudi me in tua justitia,* quæ exigit, ut promissa impleas.

2. *Non justificabitur, etc.* quia *in multis offendimus omnes.* Jac. 3. 2. *Vere scio,* ait Job. 9. *quod ita sit, et quod non justificabitur homo compositus Deo.* Sicut enim cerei lux ad radios solis non apparet, sic nec justitia nostra comparata Deo. Male ex his verbis Lutherus ad defendendum peccandi libertatem conatur probare, opera justi esse peccata.

3. *Quia persecutus est* (David hoc argumento vult Deum movere, ut se exaudiat, et peccata ignoscat) *inimicus,* sc. Absalon filius meus, *animam* seu vitam *meam: humiliavit,* i. e. prostravit usque ad terram *vitam meam.*

4. *Collocavit me in obscuris,* q. d. compulit me Absalon in obscuras speluncas, ut videar iis similis, qui ante centum annos mortui in sepulchris latent. Ita diabolus per peccatum prosternit animam, et cupiditatibus excæcatam, tenebris spiritualibus involvit.

5. *Memor fui dierum antiquorum,* quando Abraham, Isaac et Jacob per te liberati sunt, *meditatus sum in omnibus operibus tuis,* in quibus tua misericordia elucet: ut me in spem similis gratiæ obtinendæ erigerem. Sicque

6. *Expandi manus meas* cum fiducia *ad te: anima mea tibi,* seu ad te anhelat, *sicut terra,* quæ est *sine aqua,* sitit pluviam.

7. *Defecit spiritus meus* præ metu et longa expecta-

tione auxilii. Nota, veræ contritionis signum esse, quando reconciliationis desiderium ita pœnitentem urget ut non possit ferre moras.

8. *Non avertas faciem tuam,* me deserendo, *et* (pro *alioqui*) *similis ero* mortuis.

9. *Auditam fac mihi,* i. e. fac me per inspirationem tuam audire, seu intelligere et experiri *misericordiam tuam mane*, h. e. mature.

10. *Notam fac mihi viam, in qua* sine periculo amittendæ vitæ et gratiæ *ambulem.*

11. *Deus meus es tu*, cui servire teneor.

12. *Spiritus tuus* sanctus, a te et a Filio procedens, essentialiter *bonus deducet me* per hujus vitæ miserias et pericula, *in terram rectam*, sc. viventem, i. e. in cœlum: *Et propter* gloriam nominis tui *vivificabis me,* i. e. in vita me conservabis, vitamque spiritualem animæ meæ conferes *in æquitate tua,* i. e. secundum justitiam tuam, quæ non sinit innocentes diu injuste affligi.

13. *Educes de tribulatione* pro more tuo *animam meam,* maxime in extremo judicio, etc. Idem cuivis cum Davide dicere et sperare licet, qui innocentiam custodire, aut hac amissa per pœnitentiam ad justitiæ viam redire cum Dei gratia nititur.

# XLII
# DE ELIGENDO VITÆ STATU.

QUID ÆGROTANTIBUS, AUT ERGA ÆGROTANTES SIT AGENDUM, INTERPRETATIO PSALMORUM OFFICII DEFUNCTORUM ET AD VESPERAS APOSTOLORUM ITEM EORUM, QUI PER VARIA HUJUS OPERIS LOCA DISPERSI REPERIUNTUR. UTILISSIMÆ QUÆDAM PRECES QUÆ IN DUABUS PRIORIBUS EDITIONIBUS DESIDERABANTUR.

## 1. DE ELIGENDO VITÆ STATU.

### § I. QUANTI MOMENTI SIT HÆC ELECTIO.

Docet nos quotidiana experientia, paucos felicem vitæ exitum sortiri, qui sine deliberatione, nulla voluntatis divinæ suæque salutis

habita ratione, ad conjugia, ad ecclesias, ad animarum curam, ad religiosa instituta provolant. Quis ergo non videat mature et serio deliberandum et statuendum esse, a quo non modo temporalis, verum æterna quoque animæ nostræ salus dependet? Quamobrem *deprecare Altissimum, ut dirigat in veritate viam tuam.* Eccli. 37. 19. Sed *non omnia omnibus expediunt.* Ib. 21. Proinde Tobias sapienter cum eodem Sapiente monet *filium,* Tob. 4. *Fili mi, pete a Deo ut vias tuas dirigat, et consilia tua in ipso permanet.*

Si quis tamen his neglectis ad vitæ statum pervenisset, cui mutatio non amplius esset libera; is, quamvis se in miseriis constitutum sentiat, non tamen de mutatione laboret: sed cogitet, Deum id fortassis in pœnam peccatorum suorum permisisse; coneturque divina adjuvante gratia in præsenti statu se perficere. Quemadmodum vero omnium aliarum calamitatum, ita et hujus efficacissimum inter cætera est remedium, creber et pius Sacramentorum Pœnitentiæ et Eucharistiæ usus.

§ II. QUANDO SIT DE VITÆ STATU DELIBERANDUM.

Etsi nihil præpropere statuendum sit, mature nihilominus initium deliberationis est faciendum. Nam *deliberandum est diu, quod semel statuendum.* Quidam a Deo in juvenili ætate monentur, et ad salutarem vitæ statum vocantur; quia vero hi vocem Dei negligunt, ab eodem postmodum deseruntur. Quando sponsa hæsit in lectulo suo, ostiumque dilecto pulsanti aperire neglexit, *ille declinavit et transiit.* Cant, 5.

Non est instituenda hæc deliberatio, quando animus aut nimia tristitia, ira, odio, aliave passione est perturbatus, nec quando deliciis vitæ indulgemus: spiritus enim consilii, qui divinæ voluntatis est explorator, in nobis tunc locum habere non potest: neque tunc animus ad quemlibet statum, juxta Dei voluntatem amplexandum, est indifferens, etc. Opportunissimum tempus et occasio est ad explorandam voluntatem, quando cum eo per pœnitentiam sumus reconciliati, et per sacram Eucharistiam conjuncti. Tunc enim Deo nostro secundum humanam æque ac divinam naturam nobis intime præsenti, dicere confidenter cum Samuele possumus: *Loquere, Domine, quia audit servus tuus.* 1. Reg. 3.

§ III. QUÆ SERVANDA SINT UT RECTE FIAT DELIBERATIO.

1. Pone ante oculos omnis generis status, ad quos tibi aptus videris (Deus enim neminem ad statum vocat, ad quem ineptus est); considera deinde, qua ratione ultimum finem tuum, æternam videlicet beatitudinem, ad quam creatus es, in hoc aut illo statu consequi possis, quæ adminicula, quæ impedimenta in iis sperari aut metui possint. Non inutile est, rationes in utramque partem moventes scripto notare, et inter diligentem earum lectionem attendere, quæ præponderent.

2. Considera, quid charissimo amico tuo, quem æternum cuperes salvum, consilium in simili re a te petenti suasurus esses; idem tibi applica.

3. Perpende quid in mortis articulo te fecisse optares, quando omnia, quibus summe in vita tua delectatus es, erunt quasi numquam fuissent: quando propinqui et amici te deserent: quando solus coram severissimo judice, apud quem nulla personarum est acceptio, qui nec muneribus corrumpi, nec lacrymis aut precibus flecti poterit, apparebis: quando *ibit homo in domum æternitatis suæ*, Eccl. 12. Ex horum tamen consideratione non sequitur, ecclesiasticum, vel religiosum statum tibi esse amplectendum: quamvis enim uterque ille status sit per se perfectior, et ad salutem consequendam securior; quidam tamen sanctius in conjugio, quam alii in alterutro illo statu vivunt: dum nimirum hi vota et instituta sua libere transgredi non formidant.

4. Durante deliberatione conscientiam tuam crebro pœnitentiæ Sacramento expia, et sacram Eucharistiæ mensam frequenta. Sapientem denique imitare sic orantem: *Emitte, Domine, sapientiam de sede magnitudinis tuæ, ut mecum sit, et mecum laboret: ut sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore.*

5. Ad evitandum erroris aut deceptionis periculum (cæcutimus enim non raro in propriis rebus), consule viros prudentes et pios; potissimum confessarium, cui natura tua animique propensiones sunt perspectæ. Agit Deus ordinarie per causas secundas, et sine singulari necessitate miracula non edit. Quæ proinde a nobis vult fieri, per homines sæpe indicat. *Interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona,*

*et ambulate in ea.* Jer. 6. 16. *Via stulti recta in oculis ejus: qui autem sapiens est, audit consilia.* Prov. 12. 15. Cum Paulus exclamaret, *Act. 9. Domine, quid me vis facere?* ait Dominus ad eum; *Surge et ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi* (videlicet ab Anania) *quid te oporteat facere.* Sapienter in hanc rem Siracides, *Eccli. 32. 24. Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis.* Periculosum vero et noxium est, consilium a carne et sanguine, a parentibus et propinquis capere, quorum vel tam immoderatus filiorum amor est, vel summa rerum temporalium cupiditas. *Quid vero proderit homini, si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* Matth. 16. 26. *Melius multis esset, si nati non fuissent. Annos æternos in mente semper habe.*

Sedulo cavendum est, ne quid temere voveatur, non consulto confessario, maxime circa vitæ statum: *Displicet enim Deo infidelis et stulta promissio; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Eccl. 5. 3.

## 2. QUID ÆGROTANTIBUS

### AUT ERGA ÆGROTANTES SIT AGENDUM.

Audi *monentem,* Eccl. 12. 1. Memento Creatoris tui in diebus juventutis (*et sanitatis*) tuæ, antequam veniat tempus afflictionis *et morbi. Tunc* excelsa quoque timebunt et formidabunt; quoniam ibit homo in domum æternitatis suæ.

#### § I. QUID ÆGRO FACIENDUM.

Fili (inquit Siracides, *Eccl. 38. 9.) in tua infirmitate ne despicias teipsum; sed ora Dominum, et ipse curabit te. Averte a delicto, et dirige manus, et ab omni delicto munda cor tuum. Et da locum medico.* Nota curam mundandi cordis præmittendam esse medicinæ corpori adhibendæ. Quod *Saul Pythonissam consuluerit, nec speraverit in Domino, interfecit eum Dominus et transtulit regnum ejus ad David.* Similiter rex Ochozias periit in morbo suo, eo quod consuluerit Beelzebub Deum Accaron, vero Deo præterito, 4. *Reg. 1.* Et regi Asa, 2. *Paral. 16. 12.* moriendum

fuit, eo quod plus fiduciæ in medicis, quam Deo posuerit.

2. Infirmus, si capax sit, mature condat testamentum. Suadet hoc Siracides, *Eccli. 33. 24. In die consummationis dierum vitæ tuæ, et in tempore exitus tui distribue hæreditatem tuam.* Et Isaias præcepit nomine Dei Ezechiæ regi ægrotanti. *Is. 38. 1. Dispone domui tuæ, quia morieris.* Præstaret autem quemque ante hoc tempus morbi condere testamentum, ne animus a Deo et præparatione ad æternam felicitatem, cui soli merito vacandum esset moribundo, abstrahatur. Nota, id quemque portare secum in alteram vitam, quod bona intentione in pauperes et in usus pios largitur: sed amicis indigentibus præ cæteris subveniendum est; exigit enim id ordinata charitas. Bona autem aliena sunt quam citissime fieri potest, vel domino suo, vel hæredibus restituenda: quod si fuerit impossibile, in pauperes vel usus pios convertenda sunt. Par est obligatio restitutionis ablati honoris et famæ, et compensationis cujuslibet illatæ injuriæ. Curandum præterea, ut satisfiat creditoribus, etc.

3. Sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ infirmus non diu differat; hæc enim non modo animæ, verum etiam corpori non raro prosunt.

4. Neque cum Extrema Unctione expectandum est, donec rationis et omnium sensuum usu destitutus sit æger, animaque jamjam exhalaturus: usus enim rationis et devotio infirmi plurimum conferunt ad effectum Sacramenti. Et vires hoc Sacramentum confert contra tentationes, quæ privationem usus rationis solent præcedere; nam ratione destitutus non capax tentationum. Bellarmini sententia est. lib. 2. DE ARTE BENE MORIENDI c. 8., *causam, cur multi ægri non convalescunt, esse, quod tam tarde petant Extremam Unctionem.* Hæc ergo conferenda est, quando periculose quis incipit laborare. Audiatur apost. *Jac. 5. 14. Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit eum Dominus: et si in peccatis sit, remittentur ei.* Et non modo peccata venialia, verum etiam, secundum communissimam sententiam, mortalia, quibus æger forte obnoxius est (sed obnoxium se esse inculpabili-

ter ignorat), dummodo contritus fuerit, per hoc Sacramentum remittuntur, juxta formulam qua sacerdos utitur : *Per istam sanctam unc ionem, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum, auditum, odoratum, gustum et tactum, etc.*

Infirmi imitentur S. Pium Papam V. et S. Franciscum a Borgia, qui in lethali morbo constituti, Cardinales et alios, res magni momenti proponere volentes, audire noluerunt : causam dederunt quod res nulla majoris momenti ipsis esse posset, quam propriæ animæ salus.

### § II. QUAM BONUM SIT INFIRMOS INVISERE.

Siracides hoc declarat *Eccli. 7. 39. Non te pigeat visitare infirmum : ex his enim in dilectione firmaberis:* in dilectione autem omnis perfectio christiana consistit. Idem c. 38. 24. *Consolare illum in exitu spiritus sui.* Et Christus in die judicii dicet: *Infirmus eram, et visitastis me.* Matth. 25. 36.

### § III. QUID IIS FACIENDUM, QUI INFIRMOS VISITANT.

Ostendant imprimis se propensos, ut ægro in omnibus, potissimum æternæ salutis negotio, opitulentur. Inducant illum præterea, ut præter actus fidei, spei et charitatis, crebro actum contritionis eliciat : posset enim mors ipsius confessionem prævenire.

### IV. QUÆ SPECTANT AD INFIRMI CUBICULUM.

1. Imago Christi crucifixi, cujus crebro intuitu infirmus ad pia elicienda suspiria moveatur, et se in doloribus soletur. 2. Aqua lustralis, qua ipse et lectus, ad arcenda diabolica præstigia, interdum aspergantur. 3. Liber pius, ex quo infirmus, si possit, vel qui ipsum invisit, subinde aliquid prælegat. 4. Cereus benedictus, qui ex hac vita migranti detur in manus, ut Christum Jesum, qui lux mundi est, ejusque fidem catholicam testetur, et adventum Domini sui expectet : prout ipse præcepit *Luc. 12. Sint lumbi vestri præcincti, et lucernæ ardentes in manibus vestris, ut, cum venerit, et pulsaverit, etc. Venit quippe Dominus* (inquit S. Greg. hom. 13. in Evang.) *cum ad judicium properat, pulsat vero, cum jam per ægritudinis molestias esse mortem vicinam designat.*

## 3. INTERPRETATIO PSALMORUM

### OFFICII DEFUNCTORUM.

### AD VESPERAS.

DILEXI, ETC. PS. 114.

*Argumentum Psalmi.*

Ereptus David ex summis angustiis, gratias agit hoc Psalmo, qui etiam Ecclesiæ militanti, animabus in purgatorio, et peccatori jam pœnitenti applicatur.

1. *Dilexi :* diligam Deum, *quoniam exaudiet*, ut pro sua bonitate facere solet, *vocem, etc.* Cantet hoc (inquit S. August.) anima, quæ perigrinatur a Domino : cantet hoc ovis illa, quæ perierat; cantet hoc filius ille, qui mortuus fuerat, et revixit.

2. *In diebus meis*, quibus mihi affulget divina gratia.

3. *Circumdederunt me dolores mortis*, tentationes mortiferæ; adeo ut cogar exclamare cum Apostolo ad *Rom. 7.*: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Et pericula inferni*, quæ agonizans, et graviter tentatus, subit, *invenerunt me.*

6. *Custodiens parvulos Dominus*, q. d. quia scio tibi parvulos et humiles maxime curæ esse, ego quoque sponte *humiliatus sum, et liberavit me* Deus ex omnibus angustiis et periculis.

7. *Convertere* proinde ex nimia perturbatione, *o anima mea in requiem tuam*, i.e. ad Deum tuum, in quo solo anima conquiescit. Dicat hoc potissimum peccator pœnitens : nam impii sunt quasi mare fervens, quod quiescere non potest. *Isaiæ 57. 20.*

9. *Placebo,* id est, conabor placere *Domino in regione vivorum*, h. e; quoad vivam in hoc mundo. S. Augustinus cœlum ait vere regionem esse vivorum, ubi homo perfecte Domino placebit.

AD DOMINUM, ETC. PS. 119. *Vide pag.* 679.

LEVAVI OCULOS, ETC. PS. 120. *Vide pag.* 679.

DE PROFUNDIS, ETC. PS. 129. *Vide pag.* 688.

CONFITEBOR, ETC. PS. 137.

*Argumentum Psalmi.*

Deum laudat, et gratias agit David, quod se humilem exaudiverit, et multis suspiriis petitum Messiam mittere decreverit.

1. *Confitebor,* laudabo, etc.

2. *In conspectu Angelorum*, quos scio me psallentem et orantem semper intueri. Hebr. *In conspectu deorum:* nam Angeli, reges, sacerdotes, et superiores in Scriptura dii passim appellantur. *Adorabo ad templum*, h. e. procidam coram te, conversus ad templum, in quo est arca. Quanto magis Christianus ad templa, in quibus est viva Arca, SS. Eucharistia, se convertat, Deumque adoret!

3. *Super misericordia tua* (supple *confitebor nomini tuo) et veritate tua*, qua stas promissis tuis, *quoniam magnificasti super omne*, quod creatum est, *nomen sanctum tuum*, Jesus; quem nobis dando, maxime misertus es generis humani, et cumulatissime veritatem tuam implevisti.

4. *In quacumque die* per merita Messiæ *invocavero te, etc.*, *multiplicabis*, uti spero per illum, in *anima mea virtutem*, h. e. robur, ut possim perferre omnes ærumnas.

5. *Confiteantur*, seu laudes et gratias dicant *tibi*, o Deus, *omnes reges terræ*, quos per Filium tuum incarnatum, et prædicationem Apostolorum ad te vocabis.

6. *Et cantent* iidem reges *in viis Domini*, laudando ac probando facta, consilia, viasque et rationes divinæ providentiæ tuæ.

7. *Quoniam excelsus Dominus*, q. d. hæc est gloria Domini, quod cum sit excellentissimus, tamen omnia, quæ sunt *humilia*, quasi de proximo benigne *respicit: et alta a longe cognoscit;* nam a superbis longe recedit, vel eos longe a se projicit: uti ostendit in Lucifero, etc.

8. *Si ambulavero in medio tribulationis*, tu me, Domine, quia humilis sum, vivum et illæsum conservabis, *et super*, i. e. contra *iram inimicorum meorum extendisti* (pro extendes) *manum tuam*, illos compescendo.

9. *Dominus retribuet pro me*, vindictam hostibus meis, *Domine, misericordia tua in sæculum*, h. e. æternum durat. Ideo peto *ut opera manuum tuarum*, inter quæ ego et omnia mea sunt, *non despicias*.

MAGNIFICAT, ETC. *Lucæ 1.* *Vide pag.* 653.

LAUDA, ANIMA MEA, DOMINUM, ETC. PS. 145.

*Argumentum Psalmi.*

Non in principibus, aut ullo homine, sed in solo Deo fidendum; utpote solo

fidelissimo, benignissimo, potentissimo.

2 *Nolite confidere in principibus*, *in filiis,* h. e. qui sunt filii *hominum. etc.* Non hic plane omnis fiducia in homines prohibetur, sed immodica, quæ Deum negligit, *in quibus non est salus*, h. e. qui non possunt salvare : nam *Domini est salus*, Ps. 3. 9. Et, uti ait hic S. Augustinus, *solius Jesu est salvare nos.*

3. *Exibit spiritus,* anima *ejus*, sc. principis, *et revertetur* secundum corpus, *in terram suam.*

4. *Beatus* ille est, *cujus adjutor* est *Deus Jacob*, cujus familia verum Deum semper coluit. Vox *ejus* abundat, quod frequens est in Scriptura.

5. *Custodit veritatem*, h. e. servat fidem in promissis.

*Dominus solvit compeditos*, h. e. solvit strictos compedibus, ut olim Josephum, Manassen, etc. Solvit quoque vincula concupiscentiæ, aliorumque pravorum affectuum.

7. *Dominus erigit elisos*, prostratos, pressosque ærumnis.

8. *Dominus custodit advenas,* h. e. illos, qui se peregrinos in hac vita reputant, *et utuntur hoc mundo, tamquam non utantur. 1.* Cor. 7. 31.

9. *Dominus regnabit in sæcula*, h. e. æternum, qui est *Deus tuus, o Sion,* o Ecclesia; hic, inquam, regnabit cum filiis tuis *in sæcula sæculorum.*

## AD MATUTINUM.

VENITE EXULTEMUS, ETC.

PS. 94. *Vide pag.* 665.

VERBA MEA, ETC. PS. 5.

*Argumentum Psalmi.*

Orat David in persona Ecclesiæ, vel animæ affiictæ, ut Deus impios cohibere, piisque velit benedicere.

4. *Mane,* tempore ad orandum aptissimo, *exaudies.*

5. *Mane astabo tibi* supplex *et videbo* (experiar) *quoniam non Deus volens iniquitatem tu es ;* ut faciunt dii gentium ; neque *volens* ut ego inique ab hostibus meis opprimar.

6. *Neque habitabit juxta te malignus*, q. d. jure amicitiæ *malignus* non erit vicinus tuus.

8. *Ego autem in multitudine.* Junge hunc cum seq. versu.

*Introibo in domum tuam,* confisus multæ misericordiæ tuæ.

9. *Domine deduc me in justitia*, h. e. lege *tua*, cujus observatio justos facit,

idque fac *propter inimicos meos*, ne hi quidquam in me reperiant, ob quod illis videar juste pati. *Dirige in conspectu tuo viam meam*, id est, consilia et actiones meas, ut oculis tuis placeant.

10. *Non est in ore eorum*, sc. inimicorum meorum, *veritas: cor eorum vanum*, i. e. pravum *est*.

11. *Sepulchrum patens est guttur eorum*, h. e. os eorum instar aperti sepulchri intolerabilem fœtorem mendaciorum et obtrectationum exhalat.

*Decidant a cogitationibus suis*, h. e. frustrentur pessimis suis consiliis; *expelle eos* a conspectu tuo et bonorum consortio, siquidem se non emendent.

13. *Ut scuto bonæ voluntatis*, seu gratiæ *tuæ coronasti*, h. e. cinxisti et munivisti *nos*.

DOMINE, NE IN FURORE, ETC. PS. 6. *Vide pag.* 693.

DOMINE DEUS, ETC. PS. 7.

*Argumentum Psalmi.*

Queritur David de calumniis sibi a Saule et ejus aula, maxime Semei, impactis: videl. quod sit perduellis, insidietur vitæ et sceptro Saulis, etc. Sub sua persona simul prophetice gerit personam Christi, vel cujuscumque justi calumniam sustinentis.

2. *Ne quando rapiat ut leo*, sc. Saul cum suis, *animam*, id est, vitam *meam*, illo tempore quo nullum armatum militem mecum habeo, *qui me redimat*.

3. *Domine Deus, si feci istud*, quod de me spargunt, quasi vitæ et regno Saulis insidias struam.

4. *Decidam inanis*, h. e. cadam in prælio, sine ulla militari gloria, nullo damno hosti illato, et maximo accepto, si nimirum vera sint, quæ de me sparguntur.

6. *Exurge, Domine, in ira tua*, i. e. juste tandem meæ innocentiæ causa irascere, *et exaltare*, h. e. gloriosum te exhibe, tamquam justum innocentem vindicem, *in finibus* terræ *inimicorum meorum*.

7. *In præcepto*, h. e. juxta legem a te latam, sc. ut puniantur illi, qui innocentes opprimunt; *et synagoga*, Hebr. congregatio, *populorum circumdabit te*, hoc est, in simili casu ad te supplicabunda confluet, teque patronum innocentum prædicabit. Proinde si non propter me, saltem.

8. *Propter hanc* synagogam, *in altum* divini judicii

tui tribunal *regredere,* illudque conscende, ut omnes acclament : *Dominus judicat populos.*

9. *Secundum justitiam,* i. e. merita mea, *et innocentiam meam*, quæ est *super,* seu in *me.*

10. *Consumetur*, consumatur, pereat *nequitia peccatorum, et* sic bene *diriges justum.*

11. *Justum adjutorium meum a Domino*, hoc est, æquum est, ut Deus me innocentem adjuvet.

13. *Nisi conversi fueritis,* nisi emendaveritis vos, o iniqui, *gladium suum vibrabit, et* jam tum *arcum tetendit.*

14. *In eo,* sc. arcu suo, *paravit vasa*, i. e. instrumenta tela *mortis*, h. e. mortifera; *sagittas suas ardentibus effecit*, h. e. illis, seu contra illos paravit, qui odio et invidia ardent.

15. *Ecce* iniquus *parturiit,* machinatus est malum contra me, postquam *concepit dolorem* ex invidia *et* tandem *peperit iniquitatem,* h. e. in lucem edidit, et reipsa exercuit conceptum facinus iniquum.

16. *Lacum aperuit*, i. e. foveam fecit, *in quam* ipse iniquus persecutor meus *incidit.*

17. *Convertetur dolor,* seu cruciatus, quem mihi paravit, *in caput ejus.*

18. *Confitebor Domino,* i. e. laudabo Dominum, *secundum,* i. e. propter *justitiam* ejus, qua iniquos punit, et innocentes liberat.

DOMINUS REGIT, ETC. PS. 22.

*Argumentum Psalmi.*

David, olim pastor ovium, sibi, et in persona sua cuivis justo, maxime christiano, gratulatur de benevolentia et cura Dei, et Christi tamquam solliciti pastoris erga suas oviculas. S. Hieron. ait Psalmum hunc vocem esse Ecclesiæ collaudantis Christum.

1. *Dominus regit me*, hebr. et græc. pascit me, vel est pastor meus; *in loco pascuæ*, in Ecclesia, ubi saluberrima Scripturarum et Sacramentorum sunt pascua, *ibi me collocavit.*

2. *Super aquam refectionis :* præter pascua oviculæ necessaria est aqua, quæ consolatio Spiritus sancti et gratia Dei est, qua ardor carnalium desideriorum restringitur, *Joan. 4. Qui biberit ex hac aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum :* gustato enim spiritu desipit omnis caro. *Animam meam convertit,* quod tertium est oviculæ necessarium, sc. ut a grege aber-

rans ad caulam reducatur; se enim ipsa reducere nequit. Sic nec peccator suis solis viribus ad Deum redire potest. Bonus proinde pastor JESUS illum sæpe quærit et reducit; quod beneficium electis potissimum præstatur.

5. *Virga tua*, paterna tua castigatio, *et baculus tuus*, quo me fatigatum sustentas (recte S. Bernardus: Baculus juvat ad tolerantiam virgæ), *ipsa me consolata sunt.*

6. *Parasti in conspectu meo mensam*, sc. Scripturarum, consolationum cœlestium, maxime vero Corporis et Sanguinis Christi in Eucharistia, *adversus eos, qui tribulant me*, sc. dæmones, et inordinatos animi affectus.

7. *Impinguasti in oleo caput meum*, quod olim convivis ad majorem illorum recreationem fiebat. Oleum hoc animæ, spiritualis est consolatio. *Et calix meus inebrians*, i. e. exhilarans, oblivionem rerum mundanarum et miseriarum inducens (qualis calix animæ est, vel copia bonorum spiritualium vel passionis, quem Deus dilectis suis interdum propinat) *quam* hic calix Deo et homini *præclarus* et gloriosus *est!*

9. *Et* dabit, *ut inhabitem in domo Domini*, h. e. prope illam hic in terris, quo facilius Deum meum in eo laudare possim: quod in cœlesti domo æternum fiet. Novæ legis Sacramenta, quæ Christus instituit, a Davide hoc Psalmo indicantur. I. BAPTISMUS per vers. 2. *super aquam refectionis:* ita sentit S. Aug. II. POENITENTIA per verba: *animam meam convertit.* III. CONFIRMATIO, quoad ejus effectum, per verba: *si ambulavero*, sc. propter fidem *in medio, etc.* IV. EUCHARISTIA per vers. 6. *Parasti in conspectu meo mensam.* V. EXTREMA UNCTIO per vers. 7. *Impinguasti in oleo.* VI. ORDO, per verba, *calix meus, etc.* Matrimonii non meminit, quia viri et fœminæ conjunctionem Christus non instituit primo, sed institutam a Deo in paradiso, ad Sacramenti gratiam evexit.

## AD TE, DOMINE, ETC. PS. 24.

*Argumentum Psalmi.*

Implorat divinam misericordiam hoc Psalmo David, ut exsolvatur a peccatis, utpote fontibus omnium malorum, in quibus se constitutum sentit.

2. *Qui sustinent*, h. e. expectant *te*.

3. *Iniqua agentes*, sc. con-

tra me *supervacue*, i. e. temere et sine causa.

5. *Dirige in veritate*, h. e. in vera doctrina *tua*, ne apparentes et fucatæ opiniones fallacium hominum me in errores aut vanitates inducant.

9. *Legem* et instructionem *dabit Dominus*, propter bonitatem suam, *delinquentibus in via* mandatorum Dei, juxta quam legem delictum peccantis corrigatur.

10. *Diriget mansuetos*, i. e. humiles, qui agnoscunt sua delicta, et cupiunt instrui cum *judicio* et ratione, ut omnia juxta rectas legis suæ vias faciant.

11. *Universæ viæ Domini misericordia et veritas*, hoc est in omni modo suo agendi Deus ostendit suam misericordiam et fidelitatem; iis tamen maxime, qui requirunt *testamentum*, i. e. pactum seu præcepta homini data, quæ etiam testamenta dicuntur, quia testantur, quid Deus a nobis exigat.

12. *Propter nomen tuum*, quod a bonitate et misericordia habes, *propitius eris peccato meo: multum* et magnum *est enim*, supple peccatum meum. Sequitur, quid commodi habeat timens Deum.

13. *Quis est homo, qui timet Dominum?* Ille docebitur juxta statum seu *viam*, quam Deus *ipse elegit*. Deinde

14. *Amica ejus* bonis plurimis cumulabitur. *Semen* seu filii et nepotes ejus amplas habebunt hæreditates.

15. *Firmamentum* seu protector *est Dominus* omnibus *timentibus eum. Et testamentum*, seu pactum *ipsius* Dei factum est *ut* specialiter *manifestetur illis*.

16. *Oculi mei semper ad Dominum*. Postquam David prædicavit felicitatem timentium Dominum, illam sibi studet comparare, dirigendo semper oculos mentis suæ in Deum, et petendo, ut a Deo vicissim benigne respiciatur.

17. *Respice in me, quia unicus*, i. e. solus omni ope destitutus, *et pauper* seu afflictus *sum ego*.

19. *Vide humilitatem*, miseriam et abjectionem *meam*.

22. *Innocentes et recti*, h. e. integri et justi, quibus innocentia mea perspecta est, pro me steterunt, quia viderunt me patienter opem ab eo expectare.

23. *Libera Deus, Israel*. Recte David, postquam pro se oravit, etiam tamquam rex pro populo suo orat, in quo, procul dubio, multi fuerint in simili afflictione qua ipse, constituti. Utinam

Davidem omnes, qui subditos suæ curæ commissos habent, in hoc imitentur!

DOMINUS ILLUMINATIO MEA, ETC. PS. 26.

*Argumentum Psalmi.*

David seipsum hoc Psalmo animat, nosque docet, in maximis angustiis Deo maxime fidendum, et ad vitam æternam, a Deo nobis oblatam, anhelandum.

1. *Dominus illuminatio mea*, sc. in tenebris tribulationum.

3. *Dum appropiant, etc. ut edant*, consumant me, sc. illi.

4. *Qui tribulant me*, (en effectum protectionis Dei), *ipsi infirmati sunt*, pro infirmabuntur et cadent.

6. *In hoc*: in hac re, sc. quod Deus sit *illuminatio et salus*, seu salvator meus, *ego sperabo.*

7. *Unam*, sc. petitionem, vel rem *petii a Domino, ut* ab exilio meo liberatus, *inhabitem in domo Domini*, non tantum juxta domum Domini, quæ hic in terris est, arcamque ac propitiatorium continet, sed potius in domo illa cœlesti, *omnibus diebus*, non quidem hujus caducæ, sed futuræ *vitæ meæ.*

8. *Ut videam*, id est, percipiam *voluptatem*, dulcedinem, qua Dei præsentia cor hominis afficit, maxime in cœlis; proinde opto, *ut visitem templum ejus*, in quo beati omnes congregati sunt, quod merito *templum* dicitur, cum domus sit Deo sacratissima, in qua nihil reperitur profanum, imo assidue hostia laudis et jubilationis sacrificatur.

9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo.* Dat hic David rationem, cur tam confidenter petat habitare in domo, seu templo Domini, ejusque pulchritudine frui: quia eximiam Dei percepit gratiam in hac turbulenta vita, in qua Deus ipsum, tamquam charissimum filium, abscondit loco tutissimo, hoc est, tabernaculo Dei. Allegorica est locutio, qua David prædicat singularem sui protectionem ex qua spem concepit, se aliquando in domo Domini habitaturum.

10. *In petra exaltavit me.* Pergit David in metaphora prædicare Dei beneficium, et peculiarem sui protectionem, aitque se a Deo tamquam in arce altissima et munitissima collocatum: ita quoque olim Deus exaltavit *caput meum super inimicos meos*, ut sim illorum dominus. Describitur hic præ-

terea cujusvis hominis justi protectio, cui nulli hostes nocere possunt, juxta illud Petri: *Quis est, qui vobis noceat, si boni æmulatores fueritis?* 1. Petr. 3. 13. Modus ad illam securitatem perveniendi est mentis in Deum, ejusque domum cœlestem ascensio.

11. *Circuivi.* David, postquam mente super omnia terrena in cœlum ascendit, *circuivi,* inquit, h. e. circumspexi, et perlustravi tunc ex altissimo loco omnia opera Dei, quæ in cœlo et in terra sunt. Et *in* hoc tam ingenti Dei *tabernaculo*, sc. cœlo, Deum magna voce laudavi, quod est, *immolavi hostiam vociferationis*, seu laudis, idque se porro facturum policetur : *cantabo*, *etc.*

12. *Exaudi Domine.* Redit David ad prius, scil. *unam petii etc.*, hancque suam petitionem exaudiri ardenter postulat, nimirum ut Deum in cœlo videat.

13. *Legem pone mihi:* comparavit se versu præcedente infanti derelicto, ut Dei opem ad optatum finem suum impetret, quam etiam se expertum prædicat ; nunc ulterius petit, ut Deus ipsum tamquam infantem doceat rectam ad cœlum viam, quæ est via mandatorum Dei : idque *propter inimicos* suos fieri petit, qui magnam peccandi occasionem præbent.

17. *Ne tradideris me in animas*, h. e. in voluntatem et desiderium *tribulantium me. Quoniam insurrexerunt in me testes iniqui,* quo malo sæpius David queritur se agitatum esse; sed solatur seipsum, eo quod *iniquitas* sit *mentita sibi*, h. e. in propriam auctoris perniciem cesserit.

19. *Credo videre bona Domini :* q. d. ego etiam invitis meis hostibus, confido me visurum *bona Domini*, *in terra viventium*, ubi mors ultra non dominabitur.

20. *Expecta Dominum, etc.* Animat seipsum David ad patientiam, siquidem non tam cito fiat, quod tam ardenter hoc Psalmo desideravit.

EXPECTANS, ETC. PS. 39.

*Argumentum Psalmi.*

Psalmam hunc de Christo tamquam capite, et Ecclesia tamquam corpore Christi intelligendum esse, colligi potest ex Epist. ad Hebr. c. 10 Idemque asserunt SS. Ambr. Hier. Aug., etc. Christus semper loquitur, et quidem primum in persona corporis sui, h. e. Ecclesiæ,

gratias agit Deo Patri pro impensa ope; pergit deinde in persona sua, offerendo seipsum holocaustum, loco legalium sacrificiorum.

1. *Expectans expectavi Dominum*, h. e. longo tempore (sc. post lapsum Adæ 4000 annis et amplius) Messiam. Sic loquitur Christus in persona populi sui. *Et intendit mihi*, h. e. aures suas mihi benevole inclinavit; uti declarat vers. 2. *Et exaudivit preces meas.*

3. *Et statuit super petram*, h. e. loco munito *pedes meos*, quos de lacu miseriæ et fæcis peccatorum eruit. *Petra autem erat Christus.* 1. Cor. 10. 4.

4. *Et misit in os meum canticum novum*, q. d. ex eo, quod me Deus statuit in via firma, *in petra*, cœpi cantare canticum novum de amore Dei, tamquam homo novus, relictis veteribus canticis de mundi amoribus: quod fuit *carmen* laudis *Deo nostro.*

5. *Videbunt* et audient *multi* hoc exemplum meum, *et timebunt* lacum miseriæ et lutum peccati, et conversi *sperabunt in Domino.*

6. *Beatus vir, etc.* Exhortatio est ad imitationem talium bonorum hominum.

7. *Multa fecisti*, h. e. multiplicasti *tu*, *Domine*, *mirabilia tua*, quod maxime fecit Deus in mysterio Incarnationis, qua mirabiliter liberavit nos ex luto miseriæ.

8. *Annuntiavi*, ego Christus illa mirabilia hominibus: et cui crederent mihi annuntianti novam legem, adeo *multiplicati sunt*, ut vix numerari possint.

9. *Sacrificium*, sc. veteris legis, consistens in pecoribus, panibus, thure, etc., tibi porro offerri, o Deus Pater, *noluisti*: figura enim et umbra erat Sacrificii Christi. *Aures autem perfecisti mihi* Filio tuo, ad obediendum perfecte verbis tuis. Per synecdochen aures pro corpore ponuntur, quia illæ obedientiæ serviunt, quam solam Deus Pater in Filio incarnato expetivit. Idem proinde est, quod ad Hebr. 10.5. legitur: *Corpus autem optasti mihi.*

10. *Holocaustum*: Sacrificium *pro peccato* olim offerri consuetum, *non postulasti*, quia me Filium tuum in humana carne hostiam pro expiando peccato generis humani expetivisti. *Tunc*, cognita sc. tua voluntate, *dixi*: *Ecce venio*, meque tibi offero in optatum sacrificium.

11. *In capite*, h. e. in summario *libri* totius sacræ

Scripturæ (nam caput libri dicitur non modo initium, sed etiam id, quo omnia referuntur) *scriptum est de me,* quia summa totius sacræ Scripturæ ad Christum pertinet: ipse enim est finis veteris et novæ legis, omniaque testantur Christum ad hoc in mundum esse venturum, et venisse, ut faciat voluntatem Patris sui. Et Christus ipse sic eumdem Patrem suum prompte alloquitur: *Deus meus, volui,* pro volo, etc.

11. *Annuntiavi,* evangelizavi *justitiam tuam,* seu opera veræ justitiæ, *in ecclesia magna,* h. e. congregatione plurimorum hominum; idque feci tum exemplo, a prima hora Nativitatis, tum verbo, usque dum in cruce expirarem. *Nec umquam abscondi,* ℣. 13. et ℣. 14. spe lucri aut commodi proprii, aut ex respectu humano, *justitiam, veritatem, et misericordiam tuam a concilio multo,* i. e. frequenti congregatione, sed ubique illa prædicavi.

13. *Tu autem, Domine:* sic Christus alloquitur Patrem suum, *ne longe facias,* seu non prolonges *miserationes tuas a me,* videl. in passione mea, sed per celerem resurrectionem ab omni passione et morte libera; sicuti a principio Incarnationis meæ *misericordia et veritas,* seu fidelitas *tua semper susceperunt me.*

16. *Quoniam circumdederunt me mala,* in Passione mea; *comprehenderunt me iniquitates meæ:* quas ego meas feci, et quas tu, Pater mi, *super me posuisti,* Isaiæ 53: *et non potui ut viderem,* quod videlicet illarum iniquitatum essent. Loquitur hic Christus more humano: cæteroquin novit accuratissime numerum et gravitatem omnium peccatorum, præteritorum, præsentium et futurorum.

19. *Confundantur, etc.* quod in Christi resurrectione contigit, quando confusi sunt, qui eum per mortem Crucis exstinctum putarunt.

20. *Qui dicunt mihi,* seu super me: *Euge, euge,* exultantes istis vocibus super passione et morte mea.

22. *Exultent et lætentur* e contrario *super te,* Deus meus, *omnes quærentes,* ut colant *te.* Et non sibi, sed tibi gloriam tribuant, dicentes: *Magnificetur Dominus;* gratiam vero id faciendi tribue illis, *qui diligunt salutare* seu Salvatorem, me Christum Filium *tuum.*

23. *Ego autem mendicus sum.* Redit hic Christus ad

statum passionis suæ, q. d. destitutus sum omni humano auxilio, sed tu, Domine, *ne tardaveris,* supple, ut me cito resuscites.

### BEATUS QUI, ETC. PS. 40.

*Argumentum Psalmi.*

Est fausta apprecatio iis, qui afflictis benefaciunt, et querimonia de falsis amicis. Et quamvis aliqui hunc Psalmum Davidi applicent, quasi ipse de se ægrotante loquatur, melius tamen SS. Ambr., Hier., August. Chrys. totum Christo tribuunt, et volunt hunc solum in illo loqui. Ipse Christus versum 10 allegat *Joan. 13. 18.* et Judæ proditori applicat. Quare S. Chrys. temerarium fore ait de alio quam de Christo Psalmum hunc exponere.

1. *Beatus, qui intelligit,* hoc est, attente considerat Christum *pauperem,* potissimum in cruce nudum, qua voluntaria sua paupertate nos locupletavit. Et *beatus* qui *super egenum* in Christi membris cogitat, iisque eleemosynas largitur, de quibus ipse ait: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.* Matth. 25. *in die mala* sive paupertatis suæ, sive judicii extremi, *liberabit eum Dominus.*

2. *Dominus conservet eum,* per modum bonæ apprecationis prædicit illi, qui sic miseretur pauperis, multa bona: *et vivificet eum,* i. e. post mortem ressuscitet: *et non tradat eum in animam* seu voluntatem *inimicorum ejus.*

3. *Stratum ejus versasti:* alloquitur ex abrupto ipsum Deum, q. d. tu, Deus, instar matris, versas ac molliter componis lectum talis eleemosynarii, quo levius ferat morbum suum.

4. *Ego dixi:* Christus hic loqui incipit et declarare, se esse illum pauperem, seque infirmari in membris suis lamentatur: insuper ait, se peccasse, quia in se peccata miserorum hominum sponte suscepit.

5. *Inimici mei,* Pharisæi et sacerdotes, *dixerunt mala mihi,* h. e. de me, et anhelarant ad mortem meam.

6. *Et si ingrediebatur,* transit hic Christus a Judæis ad Judam, quasi diceret, quando Judas intrabat, ut me videret, *vana* seu ficta quædam *loquebatur,* ne proditoris animus detegeretur; *cor ejus congregavit iniquitatem* et dolos *sibi,* i. e. in propriam perniciem.

7. *Egrediebatur foras;* sc. Judas e cœna, et *loquebatur in idipsum,* i. e. simul cum

Judæis de proditione caute instituenda.

8. *Adversum me susurrabant*, h. e. submissa voce loquebantur, ne innotesceret consilium de proditione; et *adversum me cogitabant mala mihi* inferenda.

9. *Verbum* seu decretum *iniquum constituerunt adversum me*, ut me occiderent. Sed Christus illis opponit: *Numquid qui dormit (*quod mihi Christo in morte continget), *non adjiciet, ut resurgat?* h. e. vosne, o Judæi, cum Juda proditore impedietis, ut non resurgam?

10. *Etenim homo pacis*, h. e. in speciem pacificus (qualis Judas fuit, qui signo pacis, h. e. osculo Christum tradidit) *in quo speravi* velut amico et discipulo meo, *qui edebat* tamquam domesticus *panes* a me consecratos in cœna ultima, *magnificavit super me supplantationem*, i. e. mirifice me supplantavit. Hunc versum Christus citat *Joan 13.* his verbis: *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum*, i. e. supplantabit me.

11. *Resuscita me* a morte, *et retribuam eis*, per excidium urbis, quod merentur.

12. *In hoc*, seu hacre *cognovi, quoniam voluisti* seu dilexisti *me: quoniam non gaudebit diu et impune inimicus meus super me* per crucem interfecto.

13. *Me autem propter innocentiam meam*, tibi, Deus Pater, notam, *suscepisti* de manibus eorum, qui me occiderunt; *et confirmasti* seu stabilivisti me *in conspectu tuo*, assumens me in cœlum, et statuens ad dexteram tuam *in æternum*.

14. *Fiat, fiat* omne id, quod jam prædictum est.

QUEMADMODUM, ETC. PS. 41.

*Argumentum Psalmi.*

Dum in exilio David queritur se impediri ab accessu domus Dei, simul vehemens desiderium manifestat, videndi in cœlis Deum.

1. *Quemadmodum desiderat cervus* sitibundus ex cursu, *ad fontes aquarum, etc.*

2. *Ad Deum fortem*, potentem, stabilem, etc.

3. *Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes*, q. d. relicto cibo quæsivi refectionem in fletu; *dum dicitur mihi* ab hostibus meis: *Ubi est Deus tuus*, ut te juvet, et soletur, quandoquidem omnem spem in illo posuisti?

4. *Hæc* opprobria, *recordatus sum et effudi animam meam*, h. e. laxavi animæ habenas, ut tota indulgeat dolori et lacrymis. Sed dum effudi lacrymas,

infusa sunt gaudia, *quoniam* mox (id mihi mens mea præsagit) *transibo in locum tabernaculi admirabilis,* non manu facti, sed æterni in cœlo, ubi est *domus Dei.* Idque fiet

5. *In*, seu cum *voce exultationis et confessionis*, seu laudis, quæ vox est *sonus epulantis.*

6. *Quare tristis es:* se ipse solatur.

7. *Spera in Deo,* etsi illum juxta votum tuum nondum videas, *quoniam adhuc*, dum vivo, *confitebor*, h. e. laudes dicam *illi*, qui est *salutare vultus mei*, h. e. vultum meum a perpetua confusione et dolore salvat.

8. *Ad me ipsum:* S. Hieron. in meipso *anima mea conturbata est.* Exponit vicissitudines tristitiæ et consolationis suæ. Dixerat quidem: *Spera in Deo;* tamen ad suam infirmitatem respiciens, rursus timore concutitur: *propterea* ut huic occurrat, a sua imbecillitate oculos avertit, et ait: *Memor ero tui*, o Deus, tuorumque mirabibium operum, *de terra Jordanis,* et huic vicino monte *Hermoniim,* qui modicus seu parvus est, ubi ego nunc exul dego et ubi olim periclitantibus Israelitis opem tulisti contra Og et Sehon, reges Amorrhæorum: horum memor in spem erigor similis auxilii obtinendi.

9. *Abyssus abyssum invocat.* Pergit explicare afflictum statum, q. d. quando una profundissima calamitas transiit, supervenit alia, tamquam a priore vocata: sicuti in mari unus fluctus alterum solet quasi trahere, ut succedat. Idque fit (uti circa diluvium) *in voce cataractarum tuarum*, qua scilicet jubes calamitatum cataractas pandi, ut una post aliam in me irruat. Ita S. Hier.

10. *Omnia excelsa tua,* h. e. calamitates ab alto venientes, v. g. fulmina, procellæ, inundationes, profundissimi gurgites afflictionum, *super me transierunt,* meumque caput involverunt.

11. *In die,* h. e. tempore quod Deus ab æterno decrevit, *mandavit*, seu mandabit *misericordiam suam*, juxta quam mitius mecum aget (sic David iterum se consolatur) *et nocte*, qua alias flere solebam, cantando gratias pro misericordia illius agam.

12, *Apud me,* solum scilicet in cubiculo meo, fiet *oratio* cum cantico *Deo* auctori *vitæ meæ.*

13. *Quare oblitus es mei?* q.d. cum tu, Deus, sis su-

ceptor meus, quare adeo mei videris oblivisci, ut a tentationibus pene obruar? O quam mirabili vicissitudine servos tuos gubernas!

14. *Dum confringuntur ossa,* h. e. vires meæ ex continua miseria, *exprobraverunt* iusultantes *mihi* hostes, dicentes :

15. *Ubi est Deus tuus?* Sic Tobiæ exprobratum est *Tob. 2. Ubi est spes tua?* Et Christo *Matth. 27. confidit in Deo, liberet eum, si vult.* Sed David iterum se reprehendit et excitat: *Quare tristis es, etc.*, ut supra versu 7. Disce ex hoc Psalmo, quantis afflictionibus etiam illi, qui ardentissimo in Deum amore feruntur, hic subinde premantur.

## AD LAUDES.

MISERERE MEI, DEUS, ETC. PS. 50. *Vide pag. 698.*

TE DECET, ETC. PS. 64.

*Argumentum Psalmi.*

Psalmus hic (ut illius titulus indicat) a Davide scriptus est, ut cantaretur ab Hieremia et Ezechiele, totoque populo redeunte ex captivitate Babylonica in patriam. Altiore sensu prædicitur liberatio generis humani a servitute diabolica, reditusque ad cœlestem patriam, quæ per Sion et Jerusalem indicatur.

1. *Te decet hymnus in Sion,* i. e. convenit, ut populus tuus tibi vero Deo laudes cantet potius in Sion, ubi tua potentia nota est, quam in terra aliena, sc. Babylone, ubi idola coluntur. *Et tibi reddetur votum* piorum hominum *in Jerusalem:* Templum enim et Altare, in quo vota solvebantur, non erat nisi in Jerusalem. Hæc etiam intellige de Ecclesia.

2. *Exaudi orationem meam:* precatio populi est. Si me, inquit, exaudieris, meque a captivitate liberatum in patriam reduxeris, non ego solus, sed *omnis caro*, h. e. omnes homines ad te laudandum, et vota reddenda venient.

3. *Verba*, i. e. opera, potentiæ (sæpe in Scriptura verbum pro opere ponitur) *iniquorum* Babyloniorum nos vi abducentium *prævaluerunt super nos;* sed tu secundum misericordiam tuam propitius eris *impietatibus nostris,* quibus hanc captivitatem sumus meriti.

4. *Beatus quem elegisti,* S. Hier. elegeris, ut videlicet ex tam dura captivitate redeat in patriam. *inhabitabit,* i. e. ut inhabitet per crebram frequentationem Templi tui *in atriis* ejusdem. Quanto beatior est, quem tu ab æterno elegisti, ut sit

civis Sanctorum, et domesticus Dei! Is enim *habitabit in atriis*, h. e. in domo tua (ponitur pars pro toto) in sæcula sæculorum.

5. *Replebimur*, sc. quando in patriam redierimus, *in* seu ex *bonis*, quæ in domo, seu Templo tuo (maxime in Ecclesia Christi) solent a te obtineri. S. Augustinus hunc versum soli cœlesti patriæ tribuit: Ibi enim vere replebimur omnibus bonis, juxta illud *Ps. 16.* Satiabor cum apparuerit gloria tua. *Sanctum est templum tuum;* tum quia tibi dedicatum est, et a te inhabitatum; tum quia frequentantes sanctificat doctrina, sacrificiis, divinis laudibus, etc., *mirabile in æquitate*, seu justitia, quæ in eo abundat.

6. *Exaudi nos, Deus (*iterum orat populus, ut liberetur ex captivitate) *salutaris*, seu Salvator *noster*, *spes omnium*, qui habitant in finibus *terræ*, et in remotissimis insulis *maris*.

7. *Præparans*, seu creans et stabiliens *montes, etc.* Laudat Dei potentiam, qua facile possit solvere captivitatem. *Qui conturbas*, commoves *profundum maris*, et *sonum fluctuum ejus* excitas et compescis; uti videre est *Marc. 4. 39.*

8. *Turbabuntur*, *qui habitant terminos* terræ et maris, *a signis tuis*, in tempestatibus, tonitru et fulmine ostensis: subinde tamen etiam *delectabis* homines per *exitus* seu egressus *matutini* seu auroræ et vesperæ: grata enim est homini vicissitudo diei et noctis, nam auroræ adventus recreat, quia lucem operibus expediendis revehit; nox adventans exhilarat, quia fatigatis per diurnos labores offert quietem.

9. *Visitasti terram,* mittens in illam desideratam pluviam. Pergit nunc populus Dei bonitatem prædicare, illum in omnibus spectans finem, ut redeat in patriam, *et inebriasti*, h. e. abunde irrigasti *eam. Multiplicasti locupletare eam*, i. e. valde locupletem et fertilem fecisti eam.

10. *Flumen Dei*, i. e. nubes; quæ repletæ sunt *aquis*. Et *parasti*, sc. per illas nubes, tamquam per fœcundum flumen, *cibum illorum*, sc. hominum, et animantium: *quoniam ita*, i. e. hoc modo, sc. per pluviam, *est præparatio ejus*, videlicet terræ, ad uberes proferendos fructus.

11. *Rivos*, S. Hier. sulcos *ejus*, sc. terræ *inebria*, i. e. abundanter fluentibus aquis

rigare perge; et sic *multiplica genimina*, h. e. herbas, fruges, plantas *ejus in stillicidiis ejus*, h. e. in pluvia et rore guttatim distilante *lætabitur* terra *germinans*.

12. *Benedices coronæ*, i. e. circulo *anni*, ut suis temporibus flores et fruges proveniant, quæ dona sunt *benignitatis tuæ*.

13. *Pinguescent* cœlesti rore *speciosa*; S. Hieron. legit *Pascua deserti*, quæ ex varietate herbarum et florum solent quidem esse speciosa aspectu, non tamen ex se fertilia; fient tamen ista, tua, o Deus, benignitate pinguia: *et colles accingentur*, i. e. circumdabuntur *exultatione*, q. d. colles alias frugiferi, tuo beneficio gramina, poma, uvas proferendo, videbuntur exultare.

14. *Induti sunt arietes ovium* copiosa lana, quæ illis crevit ex pinguedine pascuorum, *et valles abundabunt frumento*, unde homines præ gaudio passim *clamabunt*, et ob tam lætos omnium rerum proventus *hymnum* laudis tibi benefactori *dicent*, *qui te decet*, o Deus, *in Sion*, et in Ecclesia, maxime in cœlis.

DEUS DEUS MEUS, ETC. PS. 62. *Vide pag. 673.*

DEUS, MISEREATUR, ETC. PS. 66. *Vide pag. 674.*

EGO DIXI, ETC. *Cant. Ezech.*

Carmen hoc Eucharisticum rex Ezechias cecinit, accepto de restituenda sibi sanitate nuntio, illiusque signo per solis regressum impetrato.

1. *Ego dixi* corde et ore, (putabam enim actum esse de vita mea) *in dimidio dierum meorum* (non excesserat Rex 39. ætatis annum) *vadam ad portas inferi*, i. e. secundum corpus ad sepulchrum.

2. *Quæsivi*, seu requisivi *residuum annorum* vitæ meæ, quod mihi subtrahi sentiebam; *dixi: Non videbo Dominum meum* mirabilia patrantem (qualia mihi promisit) *in terra viventium* hominum.

3. *Non aspiciam hominem* in hac vita, *et habitatorem quietis*, hoc est, qui in regno meo quiete et pace fruatur, cum rex Assyriorum mihi exilium minetur.

4. *Generatio*, stirps et omnis posteritas *mea ablata est a me*, qui morior sine prole; consequenter Messias Davidi promissus non nascetur ex semine meo: erit ergo familia mea quasi *convoluta* in mea persona, uti convolvi

et tolli solet rurale *tabernaculum pastorum.*

5. *Dum ordirer* regni mei gloriam, *de mane usque ad vesperam,* hoc est, intra diei unius spatium *finies* vitam meam per tam vehementem morbum.

6. *Sperabam* prima die morbi usque ad initium sequentis diei, quando adeo invaluit, ut *quasi leo* videretur conterere *omnia ossa mea.*

7. *De mane,* etc., repetit semel dicta, ad demonstrandum præsentissimum mortis periculum. Proinde *sicut pullus hirundinis,* dum is famet et friget, clamare cœpi et meditari, *ut columba* gemens, opemque implorans.

8. *Attenuati sunt* vi morbi et lacrymarum, *oculi mei,* qui macie et languore mortem indicant; ad te, Deus, respiciunt *in excelsum.*

9. *Domine, vim patior* a morbi vehementia; *responde pro me,* et suscipe patrocinium meum, alioquin succumbam, quia impar sum dolori. *Quid dicam,* aut querar? Ecquid responsi mihi Deus, si opem illius imploravero, dabit, *cum ipse* ægrum me *fecerit?* Et quis consilia, actionesque ejus culpabit? Quandoquidem ego contra te, Deus meus, non possum jure contendere.

10. *Recogitabo tibi omnes* præteritæ vitæ *annos meos in* seu cum *amaritudine animæ meæ,* revocando in memoriam omnia peccata, quibus tot jam annis iram tuam in me provocavi: atque ita gratiam a clementia tua implorabo.

11. *Domine, si sic vivitur,* q. d. si misera est vitæ humanæ conditio, et *talibus* legibus *vitæ spiritus* trahitur, ut nemo impune peccet; *corripies me,* id est, permitto me tibi, imo rogo, ut me hic punias; nam sic placatus *vivificabis me,* per absolutionem a peccatis, quæ mortem animæ afferunt. *Ecce in pace,* hoc est, in flore ætatis et regni mei, quo homines sani et incolumes esse solent, patior amarissimos angores mortis.

12. *Tu autem,* motus oratione et lacrymis meis, ex faucibus mortis temporalis et æternæ *eripuisti animam meam, etc.,* quia *projecisti post tergum,* et condonasti *omnia peccata mea.*

13. *Quia non infernus;* q. d. ideo pepercisti mihi, et reddidisti sanitatem, ut laudem et celebrem tuam bonitatem; nam qui in inferno et morte degunt, te laudare in terris non pos-

sunt. *Et qui descendunt in lacum*, i. e. in sepulchrum, *non expectabunt veritatem tuam*, i. e. eventum promissionis tuæ, qualem mihi fecisti: imprimis prolem me impetraturum, ex qua procreabitur Messias, deinde regnum meum ab Assyriorum invasione liberandum.

14. *Vivens, vivens ipse confitebitur tibi*, h. e. illi qui vivunt laudabunt te, et *pater filiis notam faciet veritatem*, id est, fidelitatem *tuam* in præstandis promissis, id quod ego experientia doctus nunc facio.

15. *Domine, salvum me fac*, conservando me in reddita sanitate, et liberatione ab Assyriis, quam promisisti. Et in gratiarum actionem *cantabimus* tibi, etc.

LAUDATE DOMINUM, ETC. PS. 148. *Vide pag. 675.*

CANTATE DOMINO, ETC. PS. 149. *Vide pag. 676.*

LAUDATE DOMINUM, ETC. PS. 150 *Vide pag. 676.*

---

## 4. INTERPRETATIO PSALMORUM

### AD VESPERAS APOSTOLORUM.

DIXIT DOMINUS, ETC. PS. 109. *Vide pag. 649.*

LAUDATE PUERI, ETC. PS. 112. *Vide pag. 651.*

CREDIDI, ETC. PS. 115.

*Argumentum Psalmi.*

Gratias agit pro liberatione ex augustiis.

1. *Credidi* Deo promittenti mihi salutem et regnum, in summis periculis constituto, *propter quod* beneficium *locutus sum*, et multis hoc fidenter indicavi; *ego autem*, Saule id invidente et persequente, *humiliatus*, et afflictus *sum* valde.

2. *Ego dixi in* discessu et fuga mea: *Omnis homo mendax:* quia vidi me ab amicissimis desertum. Vel, in mentis *excessu meo*, quo vidi fallaciam rerum terrenarum, quibus homines fidunt, *dixi: Omnis homo* fallitur, cor suum illis affigendo.

3. *Quid retribuam* pro tanto mihi præstito bono?

4. *Calicem salutaris* seu redemptionis *accipiam*, juxta ritum sacrificiorum pacificorum, in quibus Deo quasi epulum instituebatur, et

vini vel alterius liquoris pars effundebatur, sicque libabatur Deo, reliqua vero pars ab offerente hauriebatur. Respicit simul in spiritu ad calicem Eucharistiæ, ad calicem Passionis, de quo Christus *Matth. 20.*, *Potestis bibere calicem, etc.* Ad hunc calicem Passionis etiam se David pro gloria Dei bibendum offert. Quia autem suis viribus non fidit, addit: *Et nomen Domini invocabo.*

5. *Vota mea,* de calice isto bibendo *reddam* palam, etsi mortis periculum ex eo mihi immineret: *pretiosa* enim *in conspectu Domini mors Sanctorum ejus,* vel ita *pretiosa* Deo est *mors Sanctorum,* ut eos non facile patiatur ab impiis interimi.

6. *O Domine, ego servus tuus.* Ostendit se non superbire ex iis, quæ promisit se præstiturum.

7. *Dirupisti vincula,* eximendo me a periculis et respectu humano. Ideo

8. *Vota mea, etc.*

IN CONVERTENDO, ETC. PS. 125. *Vide pag. 682.*

DOM. PROBASTI, ETC. PS. 138.

*Argumentum Psalmi.*

Prædicatur Dei omniscientia et omnipræsentia, quæ exigit ut pie vivamus.

1. *Domine, probasti,* chald. perscrutatus es *me cognovisti* ab æterno, quæ sedens, surgens, stans et ambulans facio. Etiam quando et quomodo humiliandus et exaltandus sim. Ecclesia hoc psalmo in Paschate utitur, eumque Christo accommodat.

2. *Intellexisti cogitationes meas de longe,* h. e. longe ante eas nosti, quam mihi inciderint: *semitam meam,* i. e. vivendi modum *et funiculum,* seu longitudinem et metam vitæ meæ: item quantitatem hæreditatis meæ (quæ olim per mensuram funiculi distribuebatur) *investigasti.*

3. *Non est sermo* quantumvis obscurus aut dolosus in ore hominis, quem tu non noveris, qua mente proferatur.

4. *Tu cognovisti novissima et antiqua,* h. e. præterita, præsentia et futura. *Tu* sicut vas figulus, *formasti me,* non autem, ut alii opifices, opus factum dimisisti; *sed posuisti super me manum* conservatricem *tuam;* alias mox perirem.

5. *Mirabilis facta est scientia tua ex me,* h. e. ex mei structura, conservatione et gubernatione; *confortata est,* S. Hier. excellentior est, quam ut eam capiam.

6. *Quo ibo a spiritu tuo,* S. Hier. a divinitate tua, quæ est anima mundi, et ubique per essentiam, præsentiam et potentiam, quod deducitur ex ℣℣. seqq.

1. *Forsitan tenebræ conculcabunt,* S. Hier. operient *me,* ut a te non videar, sed fallar: nam *et nox,* quæ alioqui tegit omnia, erit coram Deo *illuminatio mea* pro me: q. d. nox prodet et manifestabit me Deo *in deliciis meis,* si illis in nocte indulgeam.

11. *Sicut tenebræ ejus,* sc. noctis, *ita et lumen ejus,* sc. diei coram te Deo. Non minus enim in nocte, quam in die vides.

12. *Tu possedisti,* i. e. habes in potestate et plena cognitione tua *renes meos,* i. e. interiora consilia, et secretissimos affectus meos. *Suscepisti me* sub tua protectione a die quo natus sum.

13. *Confitebor:* laudem dicam *tibi, quia terribiliter,* mirifice in mei formatione magnificatus apparuisti: *mirabilia* sunt hæc sapientiæ et potentiæ *opera tua, et anima mea* valde sataget, ut illa cognoscat.

14. *Non est occultatum os,* i. e. ullum ex ossibus meis *a te. quod* enixe tu *fecisti* in utero matris meæ. *Et* similiter non est occultata tibi *substantia mea,* i. e. tota corporis mei structura, *in inferioribus terræ,* h. e. in imis matris visceribus.

15. *Imperfectum meum,* sive corpus adhuc in utero matris informe, sive animam nondum excultam, *viderunt oculi tui,* et cognoverunt quid inde futurum esset, *et in* mentis tuæ *libro,* in quo sunt omnium rerum ideæ, *omnes* nascituri *scribentur: dies formabuntur,* i. e. in dies singulos formabuntur homines, *et nemo in eis,* Hebr. *nihil in eis* formandis *deerit* ex parte Dei.

16. *Mihi autem,* i. e. apud me *nimis honorificati, etc.* Postquam David exposuit providentiam Dei in genere circa omnes homines, singularem illam ostendit in amicos suos. *Nimis,* i. e. valde *confortatus,* stabilitus *est principatus,* i. e. dignitas et potentia *eorum.*

17. *Dinumerabo,* q. d. si numerare voluero hos tuos amicos, tot inveniam, ut superent arenam maris. Ideo ego David, ut huic numero me adjungerem, *exsurrexi* quasi ex somno tepiditatis et diffidentiæ; *et adhuc* ab illo tempore quo fervorem illum concepi, *sum tecum,* i. e. tibi Deo meo conjun-

ctus. S. Aug., Hilar. et Theodor. *Christus resurrexit, ut semper adsit Deo.*

18. *Si* quando *occideris peccatores, o Deus,* qui justos ita exaltas, dico et dicam ego: *Viri sanguinum procul abeste a me.* Non soli latrones dicuntur, viri sanguinem: *Qui* enim *odit proximum, homicida est. 1.* Epist. Joan. 3.

19. *Quia dicitis* vos impii *in cogitatione* vestra: *accipient* justi frustra *civitates tuas*, quas tu Deus illis dedisti, nos enim has justis eripiemus, ideo dico ego: *Discedite a me.*

20. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam* (confidenter ad Dei testimonium provocat)? et præ zelo *super* seu contra *inimicos tuos* tabescebam?

21. *Perfecto odio*, S. Aug. quo iniquitatem, non personam aversamur, *oderam illos,* q. d. quod facis, o Deus, circa omnes, id fac circa me, ut videant, an non cor verbis correspondeat.

23. *Et vide*, an forte *via iniqua in me est, an mentior.*

---

## 5. INTERPRETATIO ALIQUOT PSALMORUM

### PER VARIA HUJUS OPERIS LOCA DISPERSORUM.

BENEDIC, ANIMA, ETC. PS. 102. PAG. 59.

*Argumentum Psalmi.*

Invitatio ad Dei laudem celebrandam.

1. *Benedic:* lauda Dominum tam benignum. Quemadmodum David in hoc psalmo Dominum laudat ob misericordiam sibi et omni Israeli exhibitam, ita nos christiani aptissime hunc psalmum recitare poterimus post Confessionem sacramentalem, vel sacram Communionem.

21. *Virtutes,* i. e. cœlestes Angelorum exercitus, ut sit repetitio.

QUAM DILECTA, ETC. PS. 83. PAG. 76.

*Argumentum Psalmi.*

Beatus est homo qui ex hac lacrymarum valle jugiter ad cœlum aspirat, et cum fiducia a Deo auxilium expectat.

1. *Tabernacula tua* cœlestia.

3. Sicut *passer invenit,* ita ego exopto.

4. *Altaria tua,* seu tabernacula tua.

6. *Beatus,* qui sedulo cogitat, quomodo ad te, o Deus, possit pervenire, *in loco quem* divina Providentia ipsi *posuit.*

7. Sic ambulantibus *dabit benedictionem legislator* Deus.

10. *Super millia* alibi.

BENEDIXISTI, ETC. PS. 84. PAG. 77. *Vide pag. 678.*

INCLINA, DOMINE, ETC. PS. 85. PAG. 77.

*Argumentum Psalmi.*

Est oratio in tribulatione. Uti David in afflictione constitutus, Dei misericordiam implorat, ita nos in tribulationibus nostris eam implorare debemus.

2. *Sanctus,* i. e. tibi sacratus seu dicatus.

8. *Diis* falsis. Quare.

9. *Omnes.... venient.*

13. *Ex inferno inferiori,* i. e. æterna damnatione in quam peccata mea me deduxissent, nisi tua gratia me ab iis præservasset.

14. *Super,* i. e. contra, *Synagoga,* i. e. cœtus hominum crudelium.

15. *Da imperium tuum puero tuo,* i. e da mihi servo tuo fortitudinem, ad vincendos inimicos.

16. *Fac mecum,* i e. declara aliquo signo te mihi esse propitium: *in bonum:* Hier. in bonitate.

CREDIDI PROPTER, ETC. PS. 115. PAG 78. *Vide pag. 729.*

DE PROFUNDIS, ETC. PS. 129. PAG. 79. *Vide pag. 688.*

CANTICUM TRIUM PUERORUM, ETC. PAG. 96. *Vide page. 675.*

LAUDATE DOMINUM, ETC. PS. 150. PAG. 97. *Vide pag. 676.*

DEUS IN ADJUTORIUM, ETC. PS. 69. PAG. 353.

*Argumentum Psalmi.*

Oratio in tribulatione.

2. *Revereantur,* i. e. pudore afficiantur.

5. *Salutare,* i. e. Salutem quæ a te venit, nempe redemptionem sive Christum.

7. *Ne moreris* mihi auxilio venire.

## 6. UTILISSIMÆ QUÆDAM PRECES,

### QUÆ IN DUABUS PRIORIBUS EDITIONIBUS DESIDERABANTUR.

### ORATIO.

*Æreæ laminæ inscripta in parte aversa imaginis Mariæ Dominæ nostræ in Basilica liberiana, Romæ.*

Ave, augustissima Regina pacis, sanctissima Mater Dei, per sacratissimum cor Jesu Filii tui, Principis pacis, fac ut quiescat ira ipsius, et regnet super nos in pace. Memorare, o piissima Virgo Maria, non esse auditum a sæculo, quemquam tua petentem suffragia esse derelictum. Ego tali animatus confidentia ad te venio. Noli, Mater Verbi, verba mea despicere, sed audi propitia et exaudi, o clemens, o pia, o dulcis Virgo Maria.

*Huic orationi Pius Papa IX, decreto 23 Septembris 1846, in perpetuum annexuit: 1° 300 dierum indulgentias, quotiescumque eam devote et corde contrito recitaveris; 2° indulgentias plenarias semel in mense lucrandas, si consueveris quotidie eam dicere dummodo contritus, confessus, et sacra communione refectus in ecclesia vel in publico oratorio per aliquod tempus oraveris.*

### ORATIO AD B. MARIAM VIRG.

*Cui Pius Papa IX, die quinta mensis Aug. 1851. annexuit 1° Indulgentias 100 dierum, lucrandas ab iis qui mane et vesperi post salutationem angelicam, eam pie et corde contrito recitaverint; 2° semel in mense indulgentias plenarias pro iis qui singulis totius mensis diebus eam dixerint.*

O Domina mea! O Mater mea! Tibi me totum offero, atque ut me tibi probem devotum, consecro tibi hodie oculos meos, aures meas, os meum, cor meum, plane me totum. Quoniam itaque tuus sum, o bona Mater, serva me, defende me ut rem et possessionem tuam.

### ASPIRATIO AD B. M VIRGINEM IN QUAVIS TENTATIONE.

*Huic aspirationi Pius Papa IX indulgentias 40 dierum annexuit lucrandas quotiescumque in tentatione eam recitaveris. (5 Aug. 1851.)*

O Domina mea! O Mater mea! Memento me esse tuum, serva me, defende me ut rem et possessionem tuam.

## ORATIO UNIVERSALIS CLEMENTIS XI.

Credo, Domine, sed credam firmius.

Spero, Domine, sed sperem securius.

Amo, Domine, sed amem ardentius.

Doleo, Domine, sed doleam vehementius.

Adoro te ut primum principium, desidero ut finem ultimum: laudo ut benefactorem perpetuum: invoco ut defensorem propitium.

Tua me sapientia dirige, justitia contine, clementia solare, potentia protege.

Offero tibi, Deus, cogitanda, ut sint ad te; dicenda, ut sint de te; facienda, ut sint secundum te; ferenda, ut sint propter te.

Volo quidquid vis; volo, quia vis; volo, quomodo vis; volo, quamdiu vis.

Oro, Domine, ut intellectum illumines; voluntatem inflammes; corpus emundes; animum sanctifices.

A superbia non inficiar; adulatione non afficiar; a mundo non decipiar; a Satana non circumveniar.

Gratiam præsta memoriam purgandi, linguam frenandi, oculos cohibendi, sensus coercendi.

Defleam præteritas iniquitates; repellam futuras tentationes; corrigam vitiosas propensiones; excolam idoneas virtutes.

Tribue mihi, bone Deus, amorem tui, odium mei, zelum proximi, contemptum mundi.

Studeam superioribus obedire, inferioribus subvenire, amicis consulere, nemini invidere.

Meminerim, o Jesu, mandati tui et exempli inimicos diligendo, injurias sufferendo, persequentibus benefaciendo, pro calumniantibus orando.

Vincam voluptatem austeritate, avaritiam largitate, iracundiam lenitate, tepiditatem pietate.

Redde me prudentem in consiliis, constantem in periculis, patientem in adversis, humilem in prosperis.

Fac, Domine, ut sim in oratione attentus, in epulis sobrius, in munere sedulus, in proposito firmus.

Curem habere sanctitatem interiorem, modestiam exteriorem, conversationem exemplarem, vitam regularem.

Naturæ invigilem domandæ, gratiæ fovendæ, legi servandæ, saluti promerendæ.

Sanctimoniam assequar sincera peccatorum confessione, fervida Corporis Chri-

sti communione, continua mentis recollectione, pura cordis intentione.

Discam a te, Deus, quam tenue, quod terrenum: quam grande, quod divinum; quam breve, quod temporaneum; quam durabile, quod æternum.

Da, mortem præveniam, judicium pertimeam, infernum effugiam, paradisum obtineam. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

### ORATIO PRO SEIPSO.

Omnipotens sempiterne Deus qui me peccatorem in sino Ecclesiæ Catholicæ Romanæ nasci voluisti, et ita ad agnitionem tui nominis venire tribuisti, concede propitius; ut qui jam te ex fide cognovi, usque ad contemplandam speciem tuæ celsitudinis perducar. Per eumdem Dominum, etc.

### ORATIO PRO REMISSIONE PECCATORUM.

Deus, qui nullum respuis, sed quantum vis peccantibus per pœnitentiam pia miseratione placaris: respice propitius ad preces humilitatis nostræ, et illumina corda nostra; ut tua valeamus implere præcepta. Per Dominum.

### ORATIO PRO PETITIONE LACRYMARUM.

Gratiam Spiritus sancti, Domine Deus, cordibus nostris clementer infunde: quæ nos gemitibus lacrymarum efficiat maculas nostrorum diluere peccatorum, atque optatæ nobis te, largiente, indulgentiæ præstet effectum. Per Dominum.

### ORATIO AD REPELLENDAS MALAS COGITATIONES.

Omnipotens et mitissime Deus, respice propitius ad preces nostras, et libera corda nostra de malarum tentationibus cogitationum, ut sancti Spiritus dignum fieri habitaculum mereamur. Per Dominum.

### ORATIO AD POSTULANDAM HUMILITATEM.

Deus, qui superbis resistis, et gratiam præstas humilibus: concede nobis veræ humilitatis virtutem, cujus in se formam fidelibus Unigenitus tuus exhibuit, ut nunquam indignationem tuam provocemus elati, sed potius gratiæ tuæ capiamus dona subjecti. Per eumdem Dominum.

### ORATIO AD POSTULANDAM PATIENTIAM.

Deus qui Unigeniti tui patientia, antiqui hostis con-

tulisti superbiam ; da nobis, quæsumus, quæ idem pie pro nobis pertulit, digne recolere, sicque exemplo ejus nobis adversantia æquanimiter tolerare. Per eumdem Dominum.

### ORATIO AD POSTULANDAM CHARITATEM.

Deus qui diligentibus te facis cuncta prodesse, da cordibus nostris inviolabilem tuæ charitatis affectum: ut desideria, de tua inspiratione concepta, nulla possint tentatione mutari. Per Dominum.

### ORATIO PRO INIMICIS.

Deus pacis, charitatisque amator et custos : da omnibus inimicis nostris pacem charitatemque veram, et cunctorum eis remissionem tribue peccatorum : nosque ab eorum insidiis potenter eripe. Per Dominum.

### ORATIO PRO INFIRMIS.

Deus, cujus nutibus vitæ nostræ momenta decurrunt, suscipe preces et hostias famulorum tuorum, pro quibus ægrotantibus misericordiam tuam imploramus, ut, de quorum periculo metuimus, de eorum salute lætemur. Per Dominum nostrum.

### PRO LOCO QUODAM PARTICULARI.

Benedic, Domine, Deus omnipotens, locum istum ; ut sit in eo sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas et mansuetudo, plenitudo legis et gratiarum actio Deo Patri et Filio et Spiritui sancto : et hæc benedictio maneat super hunc locum, et super habitantes in eo, nunc et in omnia sæcula sæculorum. ℟. Amen.

### ORATIO PRO DOMO QUADAM.

Te Deum, patrem omnipotentem suppliciter exoramus pro hac domo, et pro habitatoribus ejus, ac rebus ; ut eam benedicere et sanctificare ac bonis omnibus ampliare digneris : tribue eis, Domine, de rore cœli abundantiam, et de pinguedine terræ vitæ substantiam, et desideria voti eorum ad effectum tuæ miserationis perducas. Ad introitum ergo nostrum benedicere et sanctificare digneris hanc domum, sicut benedicere dignatus es domum Abraham, et Isaac, et Jacob, et intra parietes domus istius Angeli tuæ lucis inhabitent, eamque, et ejus habitatores custodiant. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

### ORATIO PRO PEREGRINANTIBUS.

Redime me, Domine, et

miserere mei, pes enim meus stetit in via recta; in ecclesiis benedicam Dominum *Ps.* Judica me, Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum: et in Domino sperans non infirmabor. ℣. Gloria Patri, etc.

Adesto, Domine, supplicationibus nostris, et viam famulorum tuorum in salutis tuæ prosperitate dispone: ut inter omnes viæ et vitæ hujus varietates, tuo semper protegantur auxilio. Per Dominum.

*Ps.* 22. Si ambulem in medio umbræ mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es, Domine. ℣. Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt. Alleluia, alleluia. ℣ *Ps. 118.* Gressus meos dirige secundum eloquium tuum. ut non dominetur mei omnis injustitia. Alleluia.

*Ps. 90.* Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. ℣. In manibus portabunt te. ne umquam offendas ad lapidem pedem tuum. ℣. Super aspidem et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem et draconem.

Propitiare, Domine, supplicationibus nostris, et has oblationes quas tibi offerimus pro famulis tuis, benignus assume, ut viam illorum et præcedente gratia tua dirigas, et subsequente comitari digneris; ut de actu atque incolumitate eorum secundum misericordiæ ætu præsidio gaudeamus. Per Dominum.

*Dominicis diebus extra tempus Paschale ad aspersionem aquæ benedictæ.*

Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor: lavabis me, et super nivem dealbabor. *Psalmus.* Miserere mei, Deus, secundum magnam misericordiam tuam. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper et in sæcula sæculorum. Amen. Asperges me, *ut supra.*

*Tempore Paschali ad aspersionem aquæ benedictæ.*

Vidi aquam egredientem de templo, a latere dextro, alleluia: et omnes ad quos pervenit aqua ista, salvi facti sunt, et dicent: Alleluia, alleluia. *Psalmus.* Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in sæculum misericordia ejus. Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto. Sicut erat in principio, et nunc, et semper: et in sæcula sæculorum. Amen. Vidi. *Ut supra.*

℣. Ostende nobis, Domi-

ne, misericordiam tuam. *Tempore Paschali additur* Alleluia.

℟. Et salutare tuum da nobis.

℣. Domine exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum spiritu tuo.

OREMUS.

Exaudi nos, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus: et mittere digneris sanctum Angelum tuum de cœlis qui custodiat, foveat, protegat, visitet atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PRECES,

*Recitandæ pro Rege singulis diebus Dominicis et Festivis servatis post Missam Solemnem.*

AD GRADUM ALTARIS.

℣. Domine, salvum fac Regem nostrum.

℟. Et exaudi nos in die qua invocaverimus te.

℣. Domine, exaudi orationem meam.

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus vobiscum.

℟. Et cum Spiritu tuo.

OREMUS.

Pateant aures misericordiæ tuæ, Domine, precibus supplicantium; et, ut petentibus desiderata concedas, fac eos, quæ tibi sunt placita postulare. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti Deus in sæcula sæculorum. Amen.

---

## (*Ind.*) LITANIÆ

### PRO OBTINENDA FELICI MORTE.

Domine Jesu, Deus bonitatis, Pater misericordiarum, en sto coram te corde humiliato, contrito et confuso; horam meam novissimam ac quidquid eam subsequetur, tibi commendo.

Dum pedes immobiles indicabunt mihi, cursum meum jamjam in hoc mundo

consummari ; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum manus meæ torpentes et trementes non poterunt tuam , o Jesu crucifixe, sustinere imaginem ad pectus meum : quando, me invito, cum cruce relabentur in lectum mortis ; benignissime Jesu , miserere mei.

Dum oculi mei obscurati et a facie mortis appropinquantis perterriti in te tristes et jam claudendi aspicient ; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum labia mea frigida et trementia nomen sanctum tuum ultimo articulabunt ; benignissime Jesu , miserere mei.

Dum genæ meæ pallidæ ac lividæ compassionem ac horrorem inspirabunt circumstantibus , et quando crines erecti et sudantes sudore lethali finem meum annuntiabunt proximum ; benignissime Jesu , miserere mei.

Dum aures meæ dicta hominum haud amplius percipientes erigentur ab audiendam sententiam irrevocabilem , quæ, quid in æternum de me futurum sit, statuet; benignissime Jesu , miserere mei.

Dum mens mea tristibus horrendisque agitata cogitationibus , mœrore pene conficietur ; dum spiritus meus, turbatus ex consideratione iniquitatum mearum et ex metu justitiæ tuæ, luctabitur adversus principem tenebrarum , qui me , mihi occultando misericordias tuas , in desperationem agere conabitur : benignissime Jesu, miserere mei.

Dum cor meum debile , morbo oppressum , mortis horroribus perculsum, enervabitur in prælio adversus salutis meæ hostes ; benignissime Jesu , miserere mei.

Dum ultimas lacrymas, mortis adventum annuntiantes, profundam , eas accipe in sacrificium expiatorium , ut quasi pœnitentiæ victima expirem ; in momento illo terribili, benignissime Jesu, miserere mei.

Dum parentes et amici mei, circum me stantes, sortemque meam deflentes, te pro me invocabunt ; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum privatus fuero omni sensu , dum ante me præterierit figura hujus mundi, et ita oppressus in agone versabor; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum ultimi mei cordis singultus urgebunt animam, ut e corpore discedat, sint

tibi in signum quo cupiam dissolvi et esse tecum; benignissime Jesu, miserere mei.

Dum anima mea, modo super labia fluitans, mundo in æternum valedicet ac corpus relinquet pallidum, rigidum et exanime, accipe destructionem istius corporis in agnitionem supremi tui dominii; benignissime Jesu, miserere mei.

Tandem, dum anima mea tibi apparebit, et prima vice majestatis tuæ splendorem intuebitur, ne projicias eam a facie tua, sed in sinum misericordiæ tuæ suscipe me, ut laudes tuas cantem in æternum; benignissime Jesu, miserere mei.

ORATIO.

O Deus! qui morti nos adjudicasti, sed qui nos nescire diem atque horam voluisti, da mihi gratiam qua juste et pie vivam omnibus diebus vitæ meæ, ut in pace et in amore tuo obdormiam: per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus sancti. Amen.

*Omnes Christi fideles qui has Litanias corde contrito recitaverint, sequentes indulgentias poterunt lucrari: 1° Centum dies, singulis diebus semel; 2° Indulgentias plenarias singulis mensibus semel, idque die quo voluerint Ad posteriorem hunc favorem consequendum, requiritur, ut per integrum mensem singulis diebus saltem semel eas Litanias recitaverint, et prætserea confessi et sacra communione refecti templum quoddam vel oratorium publicum visitent, ibique ad consuetos ecclesiæ fines precentur.*

*Eæ indulgentiæ animabus in Purgatorio detentis applicari possunt. (Pius VII. 12. Maii 1802, et Leo XII. 11 Aug. 1824).*

---

## MISSA PRO DEFUNCTIS.

*Intr.* Requiem æternam dona eis. Domine: et lux perpetua luceat eis. *Ps.* Te decet hymnus Deus in Sion, et tibi reddetur votum in Jerusalem: exaudi orationem meam, ad te omnis caro veniet. Requiem.

ORATIO.

Deus, cui proprium est, misereri semper et parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare jussisti: ut non tradas eam in manus inimici, neque obliviscaris in finem, sed jubeas eam a sanctis Angelis suscipi et ad patriam paradisi perduci; ut, quia in te speravit et credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia æterna possideat. Per Dominum.

Lectio Epistolæ beati Pauli Apostoli ad Thessalonicenses. 1. c. 4.

Fratres, Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri, qui spem non habent. Si enim credimus quod Jesus mortuus est, et resurrexit: ita et Deus eos, qui dormierunt per Jesum, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini, non præveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in jussu et in voce archangeli, et in tuba Dei descendet de cœlo: et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Deinde nos, qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in area, et sic semper cum Domino erimus. Itaque consolamini invicem in verbis istis.

*Grad.* Requiem æternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis. ℣. *Ps.* 111. In memoria æterna erit justus: ab auditione mala non timebit.

*Tractus.* Absolve, Domine, animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum. ℣. Et gratia tua illis succurrente, mereantur evadere judicium ultionis. ℣, Et lucis æternæ beatitudine perfrui.

*Sequentia*, Dies iræ, *pag.* 42.

Sequentia sancti Evangelii secundum Joannem. c. 7. 11.

In illo tempore: Dixit Martha ad Jesum: Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus: sed et nunc scio, quia quæcumque poposceris a Deo, dabit tibi Deus. Dicit illi Jesus: Resurget frater tuus. Dicit ei Martha: Scio quia resurget in resurrectione in novissimo die. Dixit ei Jesus: Ego sum resurrectio et vita: qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, et omnis, qui vivit et credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Utique, Domine, ego credidi, quia tu es Christus

filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti.

*Offert.* Domine Jesu Christe, Rex gloriæ, libera animas omnium fidelium defunctorum de pœnis inferni et de profundo lacu: libera eas de ore leonis, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum: sed signifer sanctus Michael repræsentet eas in lucem sanctam: * Quam olim Abrahæ promisisti, et semini ejus.

℣. Hostias et preces tibi, Domine, laudis offerimus: tu suscipe pro animabus illis, quarum hodie memoriam facimus: fac eas, Domine, de morte transire ad vitam. * Quam olim.

SECRETA.

Propitiare, quæsumus, Domine, animæ famuli tui, N., pro qua hostiam laudis tibi immolamus, majestatem tuam suppliciter deprecantes: ut per hæc piæ placationis officia, pervenire mereatur ad requiem sempiternam. Per Dominum.

Præfatio, *pag. 30.*

*Comm.* Lux æterna luceat eis, Domine, * Cum Sanctis tuis in æternum: quia pius es. ℣. Requiem æternam dona eis, Domine: et lux perpetua luceat eis. * Cum Sanctis.

POSTCOMMUNIO.

Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut anima famuli tui, N., quæ hodie de hoc sæculo migravit, his sacrificiis purgata, et a peccatis expedita indulgentiam pariter, et requiem capiat sempiternam. Per Dominum.

*Dicto* Dominus vobiscum, *dicitur*, Requiescant in pace. ℟. Amen. *Et non data benedictione, sed dicto secreto:* Placeat tibi sancta Trinitas, *et osculato altari, legitur evangelium sancti Joannis In* principio erat, *pag. 34.*

ABSOLUTIO DEFUNCTORUM.

Non intres in judicium cum servo tuo, Domine, quia nullus apud te justificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus, tua judicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei christianæ commendat; sed, gratia tua illi succurrente, mereatur evadere judicium ultionis, qui dum viveret insignitus est signaculo sanctæ Trinitatis; qui vivis et regnas Deus in sæcula sæculorum. ℟. Amen.

*Resp.* Subvenite sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam ejus: * Offerentes eam in

conspectu Altissimi. ℣. Suscipiat te Christus, qui vocavit te, et in sinum Abrahæ Angeli deducant te. * Offerentes. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos a malo.

OREMUS.

Deus cui omnia vivunt et cui non pereunt moriendo corpora nostra, sed mutantur in melius, te supplices deprecamur, ut quidquid anima famuli tui vitiorum, tuæque voluntati contrarium, fallente diabolo, et propria iniquitate atque fragilitate contraxit, tu pius et misericors abluas indulgendo, eamque suscipi jubeas per manus sanctorum angelorum tuorum deducendam in sinum patriarcharum tuorum, Abrahæ scilicet amici tui et Isaac electi tui, atque Jacob dilecti tui, quo aufugit dolor et tristitia, atque suspirium, fidelium quoque animæ felici jucunditate lætantur ; ut in novissimo magni judicii die, inter sanctos et electos tuos, eum facias perpetuæ gloriæ percipere portionem, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quam præparasti, Deus, diligentibus te. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

℟. Qui Lazarum resuscitasti a monumento fœtidum: * Tu eis Domine dona requiem et locum indulgentiæ. ℣. Qui venturus es judicare vivos et mortuos, et sæculum per ignem. * Tu eis.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster. ℣. Et ne nos inducas in tentationem. ℟. Sed libera nos a malo.

OREMUS.

Fac, quæsumus, Domine, hanc cum servo tuo defuncto misericordiam, ut factorum suorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, ut sicut hic eum vera fides junxit fidelium turmis, ita illic eum tua miseratio societ Angelicis choris. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

*Resp.* Libera me, Domine, *pag. 44.*

PRO UNO DEFUNCTO.

Inclina, Domine, aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam supplices deprecamur, ut animam famuli tui, quam de hoc sæculo migrare jussisti, in pacis ac lucis regione constituas, et sanctorum tuo-

rum jubeas esse consortem. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

PRO MULIERE

Quæsumus, Domine, pro tua pietate miserere animæ famulæ tuæ: et a contagiis mortalitatis exutam in æternæ salvationis partem restitue. Per Dominum nostrum etc.

℣. Requiescant in pace.
℟. Amen.

Miserere, *pag. 43*. De Profundis. *pag. 18*.

# XLIII.

# COMMONITORIUM ET PROFESSIO FIDEI.

—

## 1. COMMONITORIUM BREVE DE ECCLESIA,

### SEU SCUTUM FIDEI CATHOLICÆ CONTRA PROFANAS HÆRETICORUM NOVITATES.

—

Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo... in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere. *Ephes. VI.*

« *Sola* Ecclesia catholica *est, ait Lactantius, quæ verum cultum retinet. Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei: quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit, a spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri: agitur enim de vita et salute, cui nisi caute et diligenter consulatur, amissa et extincta erit.* » Div. Instit. L. IV. cap. 30.

1. RELIGIO CHRISTIANAA DEO DUCIT ORIGINEM ESTQUE AD SALUTEM NECESSARIA.

Multifarium, ait Apostolus, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis, novissime locutus est nobis in Filio in quo sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi.

Divinam suam missionem et veritatem novæ revelationis Christus id est, verus Messias prænuntiatus a prophetis, manifestavit miraculis: *Cœci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, pauperes evangelizantur. Opera quæ mihi dedit Pater ut perficiam ea, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me.* Matth. 11. Joan. 5. Unigenitus autem Dei Filius, qui vult omnes homines salvos fieri, et ad agnitionem veritatis pervenire, ideo notas fecit hominibus divitias gloriæ suæ, ideo religionem suam mundo patefecit, ut per eam universi ad salutem æternam pervenirent: *Prædicate Evangelium omni creaturæ: qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Marc. 16. Unde Petrus Apostolus Act. 4. *Non est in aliquo alio salus,* quam in nomine Jesu. Et Paulus ad Hebr. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo.*

II. CHRISTUS PROPTER RELIGIONEM CONSTITUIT ECCLESIAM, CUJUS HIC INSTITUTIO DIVINA PROBATUR.

Debuit Christus, divinæ Religionis auctor, doctrinarum suarum perpetuæ conservationi et propagationi prospicere. Igitur, ne labentibus annis veritates cœlestes hominum infirmitas vel malitia læderet vel ex animis deleret, sapientissime discipulos suos in unam convocavit societatem, seu sacram familiam, quæ Ecclesia nuncupatur. Ecclesia est societas hominum viatorum, qui veram Christi doctrinam profitentur, sive justi sint, sive peccatores. Huic Ecclesiæ, quæ in corpus quoddam morale coalescit ex populo fideli totius orbis, revelationis commisit observantiam et custodiam; huic peculiarem dedit formam, qua foret ab aliis cœtibus plane distincta; huic mandata dedit specialia; hujus membra junxit et veluti connexuit quibusdam vinculis: hanc mediis ornavit necessariis ad finem suum, qui est fidelium omnium æterna salus, assequendum. Et hæc quidem credentium societas vel ipso nomine suo, doctrina, cultu, institutis, legibus, testatur in universo mundo, se ab incarnato Dei Filio fuisse primitus institutam; per ipsam existentiam suam Ecclesia Christiana de semetipsa reddit testimonium. Deinde, sacrarum subsidio Litterarum

Ecclesiæ divina fundatio non minus adstruitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam; et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum: et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Matth. 16. Quum autem hic Ecclesiæ fundationem stabilimus testimonio Scripturarum Novi Testamenti, Scripturis utimur, ut documentis mere historicis et scriptis authenticis hominum coævorum, quorum testimonium de iis quæ ab initio ipsi viderunt ac audierunt, et quæ immediate acceperunt a Christo, nemo recusare potest. Evangelistas et Apostolos nondum citamus tamquam scriptores divinitus afflatos, sed ut humanos testes, omni fide dignos. Considerent ergo novatores, qui solis Scripturis volunt inniti, Ecclesiam antiquiorem esse Scripturis quæ de ea loquuntur, et eisdem *præscribere*, uti jam latius dicendum est.

### III. PRÆTER SCRIPTURAM EST ALIA FIDEI REGULA, TRADITIO.

Christiani, quos vocant passim Romano-Catholicos, semper unanimi voce professi sunt totam Salvatoris doctrinam in duplici contineri fonte, in sacra Scriptura et Traditione, quas pari pietatis affectu et reverentia suscipiunt et venerantur. Protestantes contra, qui a Luthero et Calvino nomen et originem habent, verbum Dei ad solas Scripturas restringunt, nec ullam censent adhibendam fidem dogmatibus, nisi dilucide in Scripturis exprimantur; erroremque hunc tamquam suæ reformationis fundamentale principium posuerunt. At vero profana vocis hujusce novitas vel ex eo satis arguitur, quod, historia teste, primitus Christiana Religio et Ecclesia fuerit longe lateque propagata sine Scripturarum adminiculo, substiteritque utraque plures per annos, vita vivens integerrima, quamvis Novi Testamenti libri nondum evulgati forent ab hagiographis: jam enim baptismus conferebatur in nomine SS. Trinitatis, jam instruebantur fideles viva Apostolorum voce, jam credebant Christi verba, jam Deum orabant utentes verbis Christi, jam a superioribus regebantur, antequam quidpiam horum fuisset scriptis consignatum.

Quod si temporis progressu gesta Salvatoris doctrinamque litteris mandarunt discipuli, non id utique fecerunt, ut jussioni Magistri parerent, nec voluerunt quidquid ad fidei depositum spectat, libris complecti; sed oblata occasione scripserunt, nonnisi particularia quædam attingentes doctrinæ capita, sive ut refellerent falsas narratiunculas et gliscentes hæreses, sive ut fidelium piæ petitioni satisfacerent. Et revera suis non dixit Salvator: *Scribite* sed: *Euntes* DOCETE *gentes quæcumque mandavi vobis; PRÆDIDATE Evangelium omni creaturæ.* Et S. Joannes in fine Evangelii sui testatur, Jesum et alia multa fecisse, quæ non sunt scripta in libro hoc, et quæ, si scripta forent, orbis universus non caperet. Præterea, cum asserunt hæretici recentiores, Biblia credendorum esse regulam perfectam et fontem unicum, deberent assertionem hanc ipsam quodam evidenti Bibliorum testimonio confirmare; neque id solum, sed etiam per ipsa Biblia, quæ sola admittunt, certo cognoscere et certo nos edocere, quinam libri vere ad Biblia pertineant: neutrum vero hucusque potuerunt efficere. Econtra perspicue multis in locis docent Scripturæ, non omnia fidei capita in Scripturis reperiri: *Itaque fratres, state, et tenete traditiones, quas didicistis sive per* SERMONEM, *sive per epistolam nostram.* Thess. 2. *Laudo vos, quod...., sicut* TRADIDI *vobis, præcepta mea tenetis.. Ego accepi a Domino, quod et* TRADIDI *vobis.* 1. Cor. 11. *Quæ* AUDISTI *a me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios* DOCERE. II. Tim. 2. Quæ verba mirifice probant divinæ seu apostolicæ Traditionis existentiam in Ecclesia, et omnino parem cum scriptis testimoniis auctoritatem. Hinc Patres orthodoxi et Concilia in rebus fidei morumque Traditionem contra hæreticos, sæpius etiam quam Scripturas, appellant. Accedit communis fidelium sæculis omnibus persuasio, qui plura fidei dogmata tamquam divinitus revelata suscipiunt, licet sacri Libri de illis altum sileant; ita, v. g., perpetuam B. V. Mariæ Virginitatem, descensum Christi ad inferos, baptisma parvulorum, baptismatis valorem ab hæreticis collati, credunt etiam a catholici. Tandem, ut solæ Scripturæ possent fieri revelationis cri-

terium sufficiens, esse deberent tam apertæ et faciles intellectu, ut quilibet fidelis omni tempore ex eis haurire sinceram Christi doctrinam posset, sine cujusquam erroris formidine, sed quod de Paulinis epistolis dicit Petrus, Epist. 2. 3. *in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti et instabiles depravant, sicut cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem:* id de Scripturis universis dicendum esse convincunt et Patrum testimonia, et exortæ de sacri Codicis sensu lites, quin etiam confessio pseudo-reformatorum.

IV. CHRISTUS ECCLESIAM, SICUT REGIONEM, INSTITUIT VISIBILEM, NECESSARIAM, INDEFECTIBILEM, UNIVERSALEM, SANCTAM, UNAM.

Salvator, quum causa Religionis suæ societatem positivam in terris constituerit, huic operi suo quosdam imprimere debuit characteres, quibus tum a quavis temporali societate, tum a sectis hæreticorum, quæ temporum lapsu sibi falso decus et nomen arrogarent Ecclesiæ Christianæ, facile et tuto dignosceretur. Sunt autem tres præcipue societates, quæ sibi divinam originem tribuunt: videlicet præter Ecclesiam Catholicam, sunt etiam Schismaticorum ac Protestantium conventicula, quæ serius exorta sunt. Apud omnes in confesso est, nonnisi unicam ex his tribus societatem esse vere a Christo fundatam; eam procul dubio, quæ imaginem, sapientissimi Architecti manu delineatam, perfecte repræsentet. Jam vero sponte sequitur, ut, qualem Christus Ecclesiam esse voluerit, quæramus.

1. Ecclesia societas est VISIBILIS, ita ut, constanti et singulari claritate conspicua, in omnium oculos incurrat. *Luce perfusa*, ait S. Cypr., *per totum orbem radios suos porrigit.* Novatorum opinionem, qui Ecclesiam occultam et invisibilem finxerunt, sane quam valide refellunt utriusque Scripturæ plura oracula: *Erit mons domus Domini in vertice mon ium, et elevabitur super colles, et fluent ad eam omnes gentes.* Isai. 2. In Evangelio Matth. 5. comparatur *civitati supra montem positæ.* Salvator, dum jubet ad Ecclesiæ præfectos deferri fidelium peccata, visibilem esse Ecclesiam supponit: *Si Ecclesiam quis non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Matth. 18

2. Ecclesia, non secus ac Religio quam conservat, est ita NECESSARIA, ut nemini extra illam versanti sit speranda salus. Quod si jubente Deo teneantur omnes profiteri Christi doctrinam, tenentur etiam ingredi societatem : quæ est doctrinæ domicilium. Eos ergo, qui noluerint venire ad nuptias Filii Regis, a vita æterna affirmat extorres fore : *Dico vobis, nemo virorum illorum gustabit cœnam meam.* Luc. 14. Hinc. S. Cypr. *Habere non potest Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem.* Et S. Iren. *Dominus judicaturus est eos omnes qui sunt extra veritatem, id est, qui sunt extra Ecclesiam.*

3. INDEFECTIBILIS vocatur, hoc est, in perpetuum duratura, et in ejusdem doctrinæ, quam Christus prædicavit, professione perseveratura. Gabriel angelus repetit Prophetarum de Messia vaticinium : *Regni ejus non erit finis.* Et Christus spondet, potestatem inferorum et molimina numquam adversus Ecclesiam prævalitura : se cum ea futurum usque ad finem mundi : *Matth.* 16. *et* 28. Et sane, si perpetua sit Ecclesia. indubie sequitur fieri non posse, ut unquam a vera fide tantisper deflectat ea, quæ dicitur ab Apostolo *Columna et firmamentum veritatis.* 1. Tim. 3. Et Christus : *Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis. Apud vos manebit et in vobis erit. Ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia.* Joan. 14. Quæ verba Salvatoris, sive ad solos Apostolos eorumque successores pertineant, sive ad totam fidelium congregationem, convincunt certe, veritatem et fidem in Ecclesia numquam posse deficere.

4. UNIVERSALIS, seu CATHOLICA dicitur, quod, ex institutione Christi, diffundi debeat per universum orbem, ita ut nullis locorum limitibus, sicut nec temporis angustiis, definiatur. Quod prædixerat regius Vates, Ps. 21 : *Adorabunt in conspectu ejus universæ familiæ gentium,* hoc executioni mandat Christus, Apostolis præcipiens : *Euntes in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ.* Marc. 16. Et duodecim Apostoli, nuntiantes *verbum Crucis, Judæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam, prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante, sequentibus signis.*

1. Cor. 1. Marc. 16. Porro qui vocantur ad Evangelium et ad Christum crucifixum, membra fiunt Ecclesiæ, quæ est corpus Christi mysticum: *Ipsum* (Christum) *dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius, et plenitudo ejus.* Ephes. 1.

5. Ecclesiæ SANCTITAS non in uno Scripturæ loco celebratur, *Christus seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret.* Ephes. 5. Elegit nos Deus, et vocavit nos *in societatem Filii sui D.N.J. C.* 1. Cor. *ut essemus sancti et immaculati, cives sanctorum et domestici Dei, genus electum et gens sancta.* Eph. 1. et 1. Petr. 2. Hinc Ecclesia sæpe vocatur *templum et domus Dei, corpus et sponsa Christi,* instituta *ad consummationem sanctorum, etc.* Sanctitas autem ea provenit ex ratione Fundatoris et Capitis invisibilis; ex ratione doctrinæ cultus et mediorum quæ ad sanctitatem informant et ducunt; ex ratione fidelium, qui ad sanctimoniam ex vocatione sua tendunt omnes, quum saltem plurimi eo perveniant.

6. Quam Christus fundavit societatem, est essentialiter UNA. Est Ecclesia *corpus unum, sicut unus est Dominus, una fides, unum baptisma.* Ephes. 4. Eam vocat multoties Salvator singulari numero *regnum suum, domum suam, Ecclesiam suam, unum ovile sub uno pastore.* Hæc proprietas exsurgit ex unitate *fidei* et *charitatis* seu *communionis*, qua fit ut omnes qui membra sunt Corporis Christi, easdem veritates revelatas credere et eamdem tenere communionem debeant. In ultima cœna Jesus Patrem orat, ut utraque unitas in Ecclesia perpetuo remaneat: *Non pro eis* (apostolis) *rogo tantum, sed et pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me, ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et ego in te; ut et ipsi in nobis unum sint.* Joan. 17. Et Paulus præcipit, ut simus *solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis; unum corpus et unus spiritus, donec occurramus omnes in unitatem fidei.* Eph 4. Nomine autem *charitatis* hic intelligimus charitatem specialem; totius populi christiani propriam, qua cuncti fideles adhærent Ecclesiæ præfectis, cum eadem fide et eadem communione, ad unum idemque corpus constituendum. Quoniam vero Salvator unitatem præcepit, Ecclesiam debuit mediis instruere necessariis ad utramque unitatem ju-

giter asservandam; adeoque illa so cietas quæ mediis illis sit destituta, spectari debet ut *synagoga Satanæ* (Apoc. 3), et nequaquam ut vera civitas Dei, de qua dicta sunt gloriosa. Nam, dicente S. Cypr *Deus unus est, et Christus unus, et una Ecclesia ejus, et plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.* Quodnam vero sit in Ecclesia principium unitatis, et certissima revelatæ veritatis anchora ex sequentibus fiet manifestum.

V. REQUIRITUR, PRÆTER DUPLICEM FIDEI REGULAM, QUÆDAM AUCTORITAS; ATQUE HÆC NOS EST IPSA SCRIPTURA, NEC UNIUSCUJUSQUE RATIO PRIVATA.

Revelationem divinam, sive Libris inspiratis consignatam, sive Traditione transmissam, indigere dicimus custode et interprete, eoque tum instituto divinitus, tum infallibili et publico. Etenim, nisi talem auctoritatem Christus in Ecclesia posuisset, nulli posset certo constare de revelationis ab eo factæ identitate et integritate; omnes fluctuarent incerti, an suprema veritas hoc illudve dogma revelaverit, necne: an nihil divinis verbis ab homine sit additum, an nihil detractum Dubii semper essemus de vero verborum intellectu, quibus revelatio expressa fuit, præsertim ubi de mysteriis agitur. Quod satis superque testantur eorum hallucinationes gravissimæ, qui, necessariam auctoritatis viam deserentes, sibimetipsis voluerunt esse duces et magistri. Et vero, quævis civitas sapienter ordinata non tantum leges habet, quæ suum cuique præscribant officium; sed insuper a legislatore constituti sunt in ea magistratus et judices, qui leges debite custodiant, interpretentur, in causis particularibus applicent, dissidia litesque de legislationis sensu dirimant: quæ si singulorum civium arbitrio forent permissa, brevi respublica in summam abiret rerum confusionem. Eadem igitur ratione debuit divinus Legislator integritati codicis sacri regnique sui conservationi providere. Debuit scilicet quoddam erigere juge tribunal, et magistratus publicos insignire auctoritate, qua fidei depositum Ecclesia fideliter custodiat, qua germanam doctrinam ab humanis commentis secernat, germanum Scripturæ Traditionisve sensum proponat, controver-

sias de fide morumve disciplina finiat irreformabili judicio. Porro necessarius ille controversiarum judex oportet ut sit infallibilis : etenim veritates divinas fide quoque divina, adeoque infallibili, credendas esse fatentur sectarii : ut vero dogma quoddam infallibili fide credi possit infallibiliter homini constare debet illud esse divinitus revelatum, et vere contineri sive in Scriptura sive in traditione; atqui nequit hoc infallibiliter constare, nisi judicis sententia, quæ dogma tamquam revelatum exhibet, sit infallibilis.

Hæretici clamant supremum controversiarum judicem esse Scripturam ipsam. At *omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit*. 2. Petr. 1. Scriptura non omnia continet quæ fidei christianæ sunt, et alia plura tantum obscure continet, esitque sæpissime difficilis intellectu. Fieri non potest sui ipsius interpres, quum sit lex muta, quæ interrogata silet, et patienter sinit se varios in sensus torqueri. Est ea judex mortuus, qui nec litigantium rationes audire, nec sententiam ipse valet pronuntiare. Insaniæ merito argueretur legislator etiam humanus, qui legem constituisset judicem legis, et de sensu legis litigantes ad legem remitteret. Alii rationem humanam invocant uti Scripturarum interpretem ; in fidei quæstionibus standum esse volunt judicio spiritus privati seu potius ut ipsi aiunt, auctoritati Spiritus sancti, qui est in privatis hominibus et unumquemque docet interius. His Ezech. 13. *Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident! Vident vana et divinant mendacium, dicentes : Ait Dominus ; cum ego non sim locutus.* Sane testimonium illud sensus interni, quale Protestantes fingunt, vel est diversum in diversis, vel idem est in omnibus. Si prius, blasphemant hæretici ; namque Spiritus sanctus unus est, nec secum ipse potest dissentire : si posterius, cur in diversas hæretici scinduntur sententias, cur eisdem in libris opposita reperiunt placita ? Respondet S. Vinc. Lirin *Quia videlicet Scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno eodemque sensu universi accipiunt ; sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius atque alius interpretatur, ut pene quot homines sunt, tot illinc sententiæ*

*erui posse videantur. Atque idcirco multum necesse est, propter tantos tam varii erroris anfractus, ut propheticæ et apostolicæ interpretationis linea secundum ecclesiastici et catholici sensus normam dirigatur.* Commonit. c. 2.

VI. CHRISTUS, UT FIDEI CONSERVATIONI AC UNITATI PROVIDERET, ECCLESIÆ PERPETUAM CONTULIT POTESTATEM DOCENDI.

Ne revelatio pessum iret, Christus divino plane consilio publicam in Ecclesia statuit cathedram, seu magisterium perpetuum ac infallibile; ita ut inter fideles alii doctores essent, alii auditores et discipuli. Discessurus ex hoc mundo ad Patrem, docendi munus imponit Apostolis, et Ecclesiam docentem plenissime constituit aperto sermone: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti; docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.* Ne vero quis Apostolos in promulgandis Christi doctrinis et præceptis errare posse suspicetur, neve in animum inducat potestatem docendi baptizandique fuisse ad Apostolorum tempora restrictam, mox solemnem Christus addit promissionem perennis assistentiæ, et juge privilegium infallibilitatis: *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Matth. 28. Idipsum confirmatur capite *Joan. 14.* ubi dicit Salvator Paracletum seu *Spiritum veritatis in æternum* cum Apostolorum collegio mansurum. Hos igitur præceptores, fallere fallique nescios, nos audire, his credere nos jubet tamquam ipsi Deo loquenti: *Qui vos audit, me audit; et qui vos spernit, spernit eum qui misit me.* Luc. 10. Eum qui Ecclesiæ præfectis detrectaverit obedientiam, haberi vult *sicut ethnicum et publicanum.* Matth. 18. Et docendi potestatem, cum eaque donum innerrantiæ non omnibus fidelibus indiscriminatim Salvator contulit, sed eis tantum quos alloquitur Apostolis eorumque legitimis successoribus, idque ut servetur puritas doctrinæ et unitas semper intemerata, secundum S. Paulum; *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores.. ut jam non simus parvuli flu-*

*ctuantes, et circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum in astutia ad circumventionem erroris.* Ephes. 4. Et episcopis commendat: *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiæ.* 1. Tim. 6. Sic, antequam ullus liber N. T. fuisset conscriptus, Ecclesia jam erat divinitus constituta, munita jure perpetuo docendi, ornataque privilegio infallibilitatis. Vi autem auctoritatis divinæ quam accepit, declaravit postea, quinam libri sint canonici et inspirante Spiritu sancto conscripti, unde illud S. Aug.: Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ commoveret auctoritas; quæ divina dogmata semper fuerint vivæ vocis oraculo tradita; utramque fidei regulam, Scripturam et Traditionem, asservat et infallibiliter interpretatur; exortas de religione controversias dirimit. *Sedula et cauta depositorum apud se dogmatum custos,* ait S. Vincent., Lirin. Common. c 32, *nihil in his umquam permutat, nihil minuit, nihil addit, non amputat necessaria, non apponit superflua, non amittit sua, non usurpat aliena.*

VII. ECCLESIA, QUÆ DOCENS VOCATUR, POTESTATEM HABET MINISTRANDI ET REGENDI; USQUE IN SÆCULI FIITEM DURATURAM.

Ecclesiæ Fundator non minus mirabiliter identitati consuluit cultus publici, quem ipse determinaverat. Sacrorum enim administrationem non permisit universis fidelibus, sed quibusdam viris concredidit, quos elegit ut *ministros suos et dispensatores mysteriorum Dei.* 1. Cor. 4. Mandat Apostolis, instituens Eucharistiam: *Hoc facite in meam commemorationem.* Luc. 22. Et de Sacramento Pœnitentiæ: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt.* Joan. 20. Tandem, quum respublica et familia bene ordinata existere nequeat sine regimine, et quum aliunde recta regiminis forma quamdam postulet politiam seu disciplinam publicam, ideo Christus sacræ Reipublicæ contulit supremam potestatem sanciendi leges idoneas, in judicium vocandi subditos, et pœnis salutaribus in legum transgressores animadvertendi. *Quæcum-*

*quæ alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo; et quæcumque solveritis super terram, erunt aut sol et in cœlo.* Matth. 18. *Peccantes coram omnibus argue, ut et cæteri timorem habeant* 1. Tim. 5. Cæterum, Apostoli tum in concilio Hierosolymitano, tum alibi, eorumque successores hac potestate legislativa, judiciaria et coactiva nullo non tempore usi sunt. Petrus scribit Episcopis, Ep. 1.5. *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Et Paulus dicit : *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.* Act. 20.

### VIII. CHRISTUS PETRO CONCESSIT HONORIS ET JURIDICTIONIS PRIMATUM, AD PETRI SUCCESSORES PROPAGANDUM.

Non tantum Apostolos elegit Dominus, qui Ecclesiam Dei regerent, sed etiam uni inter duodecim specialem contulit prærogativam Primatus, supremum in Ecclesiam principatum, ut, capite constituta, ait S. Hier., schismatis tollatur occasio. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam ; et tibi dabo claves regni cœlorum,* etc. Matth. 16. Hoc sub gemino petræ fundamentalis claviumque symbolo significat, se Petro daturum plenitudinem potestatis. Sicut fundamentum sustentat ædificium materiale, ita Petrus ille erit cui totum ædificium spirituale, omnis in Ecclesia potestas et vis legum, debebit inniti. Collatio clavium habetur ubique gentium velut insigne juris, aut symbolum potestatis in domum aut civitatem aliquam. Hoc autem privilegium, quod Matth. 16. pollicetur Petro nominatim ob confessionem specialem divinitatis, illud post resurrectionem uni Petro confert (Joan. 21.), dum Petrum coram aliis Apostolis interrogans : *Diligis me plus his ?* tribus vicibus et soli defert auctoritatem propriedictam in gregem universum, dicens : *Pasce agnos meos : pasce oves meas.* Ne vero princeps Apostolorum erret in imposito sibi munere, addit Christus : *Ego rogavi pro te : ut non deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Luc. 22. Petri Excellentiam communis tum in Oriente, tum in Occidente fides semper agnovit. *Ecclesiæ,* inquit S. Ambrosius, *quam ipse intimo Spiritu regit, hominem, suæ potestatis vicarium et*

*ministrum, præfecit: nam cum visibilis Ecclesia visibili capite egeat, ita Salvator noster Petrum universi fidelium generis caput ei pastorem constituit, cum illi oves suas pascendas verbis amplissimis commendavit, ut qui ei successisset, eamdem plane totius Ecclesiæ regendæ et gubernandæ potestatem habere voluerit.* Haud dubie primatus debet perseverare; pertinet enim ad naturam Ecclesiæ, primariamque constitutionem. Igitur prærogativa non fuit Petro personalis; nec eo moriente fuit extincta, sed necessario transit ad ejus in eadem episcopali cathedra legitimos successores. Ergo, ut ait S. Ambr., *ibi Petrus, ibi Ecclesia*, adeoque Christus, qui est Via, Veritas et Vita.

X. VERA CHRISTI ECCLESIA NON ALIA POTEST ESSE, QUAM SOCIETAS ROMANO-CATHOLICA, QUÆ HABET CATHEDRAM PETRI.

Frustra principem Apostolorum Petrum, id est, Petri successorem, quærat aliquis in conventiculis schismaticorum, qui rumpunt unitatem regiminis; vel in sectis pseudo-reformatis, quæ numquam ipsæ sibi primatum ausæ sunt vindicare. Frustra Petrum et Christum quæras extra Catholicam Ecclesiam, quæ adhuc, secuta totam retro antiquitatem, Romanæ Sedi velut communi centro regiminis ecclesiastici adhæret, et ejus Sedis antistitem uti supremum Dominici gregis pastorem veneratur. « Cum Petrum apostolum. ait Leibnitzius, in principe orbis terrarum urbe Roma, et Ecclesiam gubernasse, et martyrium subiisse, et successorem sibi designasse constanter veteres tradant, neque ullus alius Episcopus umquam ea ratione venerit, Romanum cætororum principem merito agnoscimus. Hinc Romani Pontifices a prima statim origine, se tamquam gubernatores universalis Ecclesiæ supremos gesserunt, et in cunctas orbis Christiani sedes episcopales potentissimam autoritatem exercuerunt. » *In Romana Ecclesia*, ait. S Aug., *semper Apostolicæ cathedræ viguit principatus.* Et Patres œcumenici Concilii Chalcedonensis (451), prælecta S. Leonis epistola, exclamarunt: *Hæc Patrum, hæc Apostolorum fides: omnes ita credimus. Anathema ei qui non ita credit!* PETRUS PER LEONEM LOCUTUS EST!

X. ECCLESIA ROMANA EST SOLA VERUM OVILE CHRISTI, QUOD SIT VISIBILITER UNA, SANCTA, CATHOLICA ET APOSTOLICA.

Vera Christi sponsa dignoscitur ab adulterinis societatibus per indicia quædam externa et positiva, quæ Symbolum fidei Nicæno-Constantinopolitanum sic exprimit : *Credo... unam, Sanctam, Catholicam.* Eos autem veritatis characteres essentiales habet Ecclesia Romana ; atque eo ipso quod illos habeat, patet eam solam illis insignitam esse, adeoque solam jure vocari veram Ecclesiam.

1. UNITAS. Ecclesiæ participes sunt, quotquot per orbem dispersi sunt ; in unumque corpus coalescunt, duplici connexi vinculo, fidei et communionis. Eadem ubique dogmata corde credunt ad justitiam, et ore confitentur ad salutem. Eisdem participant Sacramentis, quæ numero septem ad nos propagata sunt traditione. Ab ortu solis usque ad occasum offerunt idem veri Dei nomini sacrificium et oblationem mundam, de qua vaticinatus est Malachias ; c. 1. Eisdem obediunt præpositis : nam arctissima est populi necessitudo cum pastore suo ; pastores uniuntur cum suo episcopo, et episcopi communicant cum Christi Vicario, Sedem occupante Romanam *ad quam propter potentiorem principalitatem* (verba sunt S. Irenæi) *necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui undique sunt fideles.* Sic vere fit unum ovile et unus pastor. *Hanc unitatem Ecclesiæ qui non tenet, non tenet Patris et Filii fidem, vitam non tenet et salutem*, inquit S. Cypr. Et vero, fieri non potest, ut unitas in Romana Ecclesia non reperiatur. Hæc enim principio nititur auctoritatis infallibilis in docendo, et supremæ in regendo ; sicut e contra in reformatis sectis necessario tot sunt in fide sensus, quot capita. Libertas examinis, teste experientia, est origo fluctuationum necessaria, fons urberrimus discordiarum, causa errorum et confusionis perpetuæ.

2. SANCTITAS. Sancta est Romana Ecclesia, quandoquidem fundata fuerit ab Unigenito Dei Filio, supra fundamentum Apostolorum, ac præsertim supra rupem immotam, D. Petri cathedram, quam adhuc nulla potuerunt inferorum conamina subvertere. Servat integrum ac intemeratum sanctæ doctrinæ Christi depo-

situm. Animas fidelium sanctas efficit usu sacramentorum, quæ sunt invisibilis gratiæ signa visibilia. Ope cultus publici sensus fovet intimæ pietatis. Protulit omni tempore et profert in hodiernam diem membra sancta, veros in quavis hominum conditione imitatores Christi. Interior eorum sanctitas et vita gratiæ prodit se per exteriorem vitæ manifestationem, per exercitium virtutum omnium et consiliorum evangelicorum in gradu heroico. Prodit se præsertim sanctimonia per donum miraculorum, quibus Sancti inclarescunt, nunc, sicut olim, *Domino testimonium perhibente verbo gratiæ suæ, dante signa et prodigia fieri per manus eorum.* Act. 14. Proferant tale quid hæretici!

3. Catholicitas. Quod spectat notam universalitatis, *tenenda est nobis Christiana Religio, et ejus Ecclesiæ communicatio, quæ Catholica est, et Catholica nominatur, non solum a suis, sed etiam ab omnibus inimicis suis,* ait S. Aug. de vera Religione. c. 7 Etenim ut scribit S. Ignatius martyr ad Smyrnæos, c. 8. *Ubi fuerit Christus Jesus, ibi Catholica est Ecclesia.* Ecclesia, quam Romanus Pontifex jure divino gubernat, dicitur et est Catholica, quia semper et ubique diffusa est, et adhuc ubique diffunditur, et ita quidem diffunditur, ut sit prorsus eadem tum ratione fidei et communionis, tum ratione temporis et locorum. Auream servans regulam S. Vincentii Lirin. common. c. 3. *magnopere curat ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est; hoc est et enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem.* Innumeræ prolis mater immortalis, semper eadem fecunditate quotidie novos Christo filios procreat, etiam in terræ novissimis oris: quæ hodiedum centum octoges es mille millia filiorum numerat, quum hæreticæ communiones, etiam collective sumptæ, ad summum centies mille millia asseclarum habeant.

4. Apostolicitas. Tandem Ecclesiæ licet agnoscere veritatem ex Apostolicitate tum originis ac doctrinæ, tum successionis Pastorum; quæ quidem nota sponte sua fluit ex primigenia societatis christianæ constitutione.

Apostolos enim Christus jussit docere et baptizare, Ecclesias instituere ac regere; monetque Paulus fideles esse *super ædificatos super fundamentum Apostolorum.* Eph. 2. Jam vero, sola est Ecclesia Romana, quæ jure referat ad Apostolos originem et doctrinam, et ordinem habet legitimum Pastorum. Sub hoc duplici respectu talis adhuc temporis est Ecclesia, qualis ævo fuit Apostolico; idem est ovile Petro divinitus commissum, idem est grex suo Pastori conjunctus. Hucusque conservat et tradit omnia et sola fidei capita quæ ab Apostolis per verbum traditum aut scriptum accepit Si Apostolica non sit nostra Ecclesia, dicant hæretici quo auctore, quibus præconibus, quo tempore sit orta; dicant quam ob causam discesserit a veteri Ecclesia; ubi jam illa lateat Apostolica Ecclesia, a qua fuerit discessum, etc. Insuper, Ecclesia Romana est hæres potestatis Apostolicæ per legitimam missionem ac perennem successionem Pastorum, quæ ab Apostolis incipiens ad huncce diem serie numquam interrupta deducitur. Hinc sectas alienas, quæ sibi tanti nominis audent tribuere gloriam, triumphans provocat Tertullianus, lib. Præscript. cap. 32. *Edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurentem ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.* Tum locutus de serie Pontificum nostrorum, præsertim in Sede Romana, sic pergit: *Confingant tale aliquid hæretici... sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum Apostolica comparata, ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit, neque Apostoli alicujus auctoris esse neque Apostolici; quia, sicut Apostoli non diversa inter se docuissent, ita et Apostolici nón contraria Apostolis edidissent... Ita omnes hæreses ud utramque fornam* (originis ac doctrinæ) *a nostris Ecclesiis provocatæ, probant se quaqua putunt Apostolicas. Sed adeo non sunt, nec probare possunt quod non sunt, nec recipiuntur in pacem et communicationem ab Ecclesiis quoquomodo Apostolicis* Et cap. 37. loquens de hæreticis, qui vel ideo *quod hæretici sunt Christiani esse non possunt,* dicit: *Ad quos*

*merito dicendum est : Qui estis? Quando est unde venistis?... Mea est possessio; olim possideo, prior possideo hab eo origines firmas ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum hæres Apostolorum; sicut caverunt testamento suo, sicut fidei commiserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo: vos certe exhæredaverunt semper, et abdicaverunt ut extraneos at inimicos. Unde autem extranei et inimici Apostolis hæretici, nisi ex diversitate doctrinæ, quam unusquisque de suo arbritrio adversus Apostolos aut protulit, aut recepit?*

XI. CONCLUSIO COMMONITORII, EX VERBIS S. PACIANI : CHRISTIANUS MIHI NOMEN, CATHOLICUS COGNOMEN.

*Multa sunt*, ait S. Aug. *quæ me in Ecclesiæ gremio justissime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata spe nutrita charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus mandavit, usque ad præsentem Episcopatum* (Pii IX, qui nunc Romanam Ecclesiam venerandus illustrat) *successio sacerdotum; tenet denique ipsum catholicæ nomen, quod non sine causa inter tam multas hæreses ista Ecclesia obtinuit.* Lib. contra Epist. Fundamenti. *Quæ cum ita sint*, inquit S. Vincentius Lirin. c. 25, *ille est verus et germanus Catholicus, qui veritatem Dei, qui Ecclesiam, qui Christi corpus diligit; qui divinæ Religioni, qui Catholicæ Fidei nihil præponit non hominis cujusquam auctoritatem, non amorem, non ingenium, non eloquentiam, non Philosophiam; sed hæc cuncta despiciens, et in fide fixus et stabilis permanens, quidquid universaliter antiquitus Ecclesiam Catholicam tenuisse cognoverit, id solum sibi tenendum credendumque decernit; quidquid vero ab aliquo deinceps uno, præter omnes vel contra omnes sanctos novum et inauditum subinduci senserit, id non ad Religionem, sed ad tentationem, potius intelligit pertinere.*

## 2. PROFESSIO FIDEI CATHOLICÆ.

### JUXTA TENOREM BULLÆ PII IV, SUMMI PONTIFICIS.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana

Ecclesia utitur, videlicet: Credo in Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum ante omnia sæcula: Deum de Deo, lumen de lumine: Deum verum de Deo vero: genitum non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt; qui propter nos homines, et propter nostram salutem descendit de cœlis: et incarnatus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine, et Homo factus est: crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est; et resurrexit tertia die secundum Scripturas: et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris: et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum, Dominum et vivificantem, qui ex Patre Filioque procedit: qui cum Patre et Filio simul adoratur et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum, et vitam venturi sæculi. Amen. Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiæ observationes et constitutiones firmissime admitto, et amplector. Item sacram Scripturam, juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto: nec eam umquam, nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor. Profiteor quoque, septem esse vere et proprie Novæ Legis Sacramenta a Jesu Christo Domino nostro instituta atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre: et ex his, Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione, recipio et admitto. Omnia et singula, quæ de peccato originali et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita

et declarata fuerunt. amplector et recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium Sacrificium pro vivis et defunctis. Atque in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem, una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiæ panis in Corpus, et totius substantiæ vini in Sanguinem: quam conversionem Catholica Ecclesia transsubstanstiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi. Constanter teneo, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes venerandos atque invocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas. Firimissime assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum, habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam et Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco: Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo ac juro. Cætera item omnia a sacris Canonibus et œcumenicis Conciliis, ac præcipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita et declarata, indubitanter recipio ac profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio et anathematizo. Hanc veram Catholicam Fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor et veraciter teneo, eamdem integram et inviolatam usque ad extremum vitæ Spiritum, constantissime (Deo adjuvante) retineri, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri et prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia.

# INDEX.

PARS I. EXERCITIA PIETATIS ORDINARIA.

ALIA PER HEBDOMADEM PIETATIS EXERCITIA.

PARS V. VARIÆ DE VITA VERE CHRISTIANA INSTITUTIONES, PRECUM EXPLICATIONES, PSALMORUM INTERPRETATIONES, QUIBUS ADDITUR PRÆCIPUORUM DOGMATUM NOSTRORUM CATHOLICA EXPOSITIO ET FIDEI PROFESSIO.

# INDEX ALPHABETICUS.

## PSALMI.

## CANTICA.



## HYMNI, RHYTMI ET PROSÆ.

## LITANIÆ ET VARIA OFFICIA.



## PRECES IN HONOREM B. M. V.



Mechliniæ, H. Dessain. — MDCCCLXXIX.